BENEDICTI VVINCLERI SOLTQUELLENSIS PRINCIPIORUM IURIS LIBRI QUINQUE. IN QUIBUS GENUINA...

Benedikt Winkler, Giovanni Battista Coccini



Digitized by Google

25.4.6.
922



Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

C
963

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BENEDICTI WINCLERI
Soltquellensis
PRINCIPIORUM IURIS
LIBRI QUINQUE.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

In quibus genuina Iuris, tàm Naturalis quàm Positivi, principia, & firmissima Iurisprudentiæ fundamenta ostenduntur, ejusdem summus finis ob oculos ponitur, & Divina autoritas probatur.



16 15.

BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IESV
IHS

LIPSIÆ

Imprimebat LAURENTIUS COBER.

Apud Johannem Thimium Bibliop. Francof.


Digitized by Google

Digitized by Google



SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ,

Domini mei Clementissimi,
Consiliariis intimis ac primariis



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Magnificis, Nobilissimis, Virtute ac meritis præcellentissimis Viris

Dn. CASPARO à Schönberg,

in Püelsnitz & Gerikau, Electoralis consilii Secretioris Directori, & summi Appellationum judicii Præsidi dignissimo,

ET

Dn. ESAIÆ à Brandenstein,


in Oppurg, Grunau & Knau, supremi judicii provincialis, quod Lipsiæ est, Præfecto vigilantissimo,

Dominis Patronis & Promotoribus suis officiosè colendis

S. P.

Digitized by Google

MAGNIFICI ET NOBILISSIMI VIRI,



Ui non nobis ſolis, ſed Deo & communi hominum ſocietati nos natos eſſe affirmant, nimirum id volunt, nos quoque, qui nos Juris & Juſtitiæ ſtudioſos profitemur, Juſtitiam & veritatem Dei pro viribus defendere, publicè proclamare & docere debere. Sed cum autor Romanæ hiſtoriæ omnes, qui animum ad ſcribendum appellunt, admoneat, ut aut in rebus certius quid afferant, aut ſcribendi arte vetuſtatem ſuperent: ego autem conſiderarem quod erudita antiquitas veritatis ſtudioſum de omnibus ſufficienter poſſet edocere, ſcripturientem hunc animum & cala-

Digitized by Google

& calamum aliquoties inhibui. Verebar enim, cum illi, quorum ob eruditionem & inveteratum nomen summa autoritas est, omnia ingeniose & eleganter tractassent, suisq; lectoribus nullum meæ institutionis desiderium reliquissent, apud negligentes autem nihil proficerent, ne ego discere cupientibus seram, recusantibus vero inanem operam præstarem. Veruntamen ubi animadverti non omnem priscæ sapientiæ repetitionem fructu carere, & nonnullos per ignobilem monitorem ad nobilissimorum autorum scripta tanquam per rivulum ad fontes reduci, soláq; interpellatione denuò invalescentium errorum præscriptiones rumpi, putavi non desperandum, quin hac qualicunque mea opera eruditiorum scripta quibusdam commendare, & incautioribus periculosissimos aliquot erro-

rum gurgites ostendere possem. Atque utinam doctorum virorum scripta eâ qua digni erant, fortuna uterentur; hoc certè monitore nemo indigeret: sed illis priorum seculorum nondum omnibus exosa barbaries, nostrorum temporum contradicendi pruritus, & per vulgatam corrigendi licentiam recrudescens in incertitudine omnium rerum inscitia, officiunt, quò minus ab omnibus maximi fiant. Æquiori animo ferri poterat hæc calamitas, si in fundos steriles incideret; & ea tantùm in dubium vocarentur, quarum vili referret: at cùm ipsa pietatis & justitiæ fundamenta labefactare conantur novatores, id verò etiam obstinatissimi silentij hominem ad obloquendum compellere posset. Quid verò indignius aut periculosius, quàm nostro hoc tempore à plurimis salutaris justitiæ fontes, è

qui-

quibus solis beatitudo ad hominem derivanda est, vel ignorari, vel corrumpi & venerio falsissimarum nugarum tingi, ut citius inde mortem haurias, quàm vitam, facilius quævis infanda scelera perpetrare & totum jus abjurare, quàm Deum metuere & justitiam colere discas? Quid sibi vult illa juris naturæ labefactatio, qua nec Deus sibi semper constare & justitiæ eandem regulam observare dicitur, nisi ut nullum jus reverâ in Deo existere statuatur? Quid est, quod qui ex lege peccati vivunt, & ne beluinum quidem jus observant, sed promiscuas libidines exercent, & omne meum ac tuum è natura sublatum cupiunt, secundum jus naturæ humanæ vivere dicuntur? Alij jus naturæ violari & amori injuriam fieri autumant, si cujusquam cupiditati ulla in re adverseris, nec

omnia omnibus prostituas. Quidam jus soli & poli sibi contradictoriè opponunt, & suum jus soli etiam invito jure poli defendere audent; atque ita justitiam Dei valere & à se facessere jubent. Quid verò quærit illa omnis culpæ in fatum & voluntatem Dei translatio, & humanæ voluntatis abnegatio; nisi ut primum omnis boni autorem acerbissimè accusemus & in omnibus delictis damnemus? Finxêre Poëtæ, Justitiam olim cum aliis virtutibus inter homines habitasse, sed tædio humanæ pravitatis migrasse hinc in cœlum, ibiq; proximum à summo Deo locum occupasse, vel, ut alij interpretati sunt, in sinu & pectore Dei consedisse. Negant nonnulli cum Epicureis, si non verbis expressis, ipsâ tamen mente & vi argutationum suarum, justitiam Deo cordi esse. Alij cum

Stoi-

Stoicis faciunt; & hisce etiam absurdiores sunt, qui licet tantam virtutum venerationem præ se ferant, ut ad eas unicè, tanquam ad summum bonum; anhelare videri velint; re ipsâ tamen virtutes & vitia, bonum & malum; eorumq; autores juxta habent; imò ipsum summum bonum causam omnis mali statuere non extimescunt. Videntur utrisq; subscribere qui dicunt; jus tantum opinione esse, non re verâ; & perinde esse quicquid perpetremus, modò id justum esse vulgo persuadeamus. Hinc etiam illa corrigendarum legum promptitudo; ut quidam non dubitent, jus naturæ eo ipso sublatum esse, quando civili lege vel erronea consuetudine obruitur. Principibus & omni magistratui quidam potestatem in religionem & Deum ipsum concedunt, alij potestatem eorum nec in puris

 po*si-*

Digitized by Google

positivis liberam esse volunt, & legum civilium rationes naturales ab illis poscunt, quas si non invenerint, leges audacter corrigunt, derident, repudiant, & legislatoribus totiq; antiquitati confidenter illudunt. Nimirum eò jam deventum est, ut quid naturale aut positivum sit vulgò ignoretur, ideò omnia ab indoctis miscentur & sine fronte etiam ad privatorum censuram vocantur. Quantum mali hi errores jam in respubl. invexerint, quantum damni ecclesia à pseudopoliticis & jureconsultis istis acceperit, quæ futura denique sit, si hæc ulterius invalescant, magistratuum & juris antistitum autoritas, quantus occasus justitiæ & pietatis metuendus sit, cuivis facilè apparet. Annisi ergo sunt omnibus temporibus viri boni, ut ingruentem hanc calamitatem à

rebus-

rebuspub. averterent & juris autoritatem illæsam servarent; quorum scripta, si attentius legerentur, ignorantes docere & contradicentes potuerant compescere. Quia verò antiqui errores novis phrasibus vestiti subindè in lucem prodeunt & incautiores decipiunt, & animadverti nostris temporibus nonnullos antiqua Stoicorum analecta magno boatu eructare, Cynicam impudentiam, Epicureamque libidinem nobis in jus evomere, & nescio quid non pro voluntate Dei & naturæ necessaria, magno scandalo & periculo publico venditare velle; putavi me operæ precium facturum, si ostenderem vesanam istam impudentiam & peccandi necessitatem à voluntate Dei, à sanctissima Justitia & jure humano tam alienam esse, ut ne beluino quidem juri conveniat,

niat, imò ut tota natura ab illa abhorreat. Repetitis itaque & novis phrasibus paululùm illustratis saniorum philosophorum argumentis monstrare volui Naturam, Rationem rectam & Justitiam esse rem sanctissimam, Dei filiam, ab omni peccato avocantem, delicta hominum seriò detestantem & gravissimis pœnis vindicantem: peccandi verò necessitatem, libidines, injurias, & similia, nec naturali nec positivo jure introduci aut probari posse, & inter juris humani fructus falsissimo numerari, nec Jurisconsultis tantùm, sed & Deo atrocissimam injuriam fieri, cum inter effectus juris alicujus recensentur. Quæ cum legaliter tractari non possent, haurienda fuerunt ex theologia & philosophia, ut Jurisprudentiæ nostræ fundaretur autoritas, & adversarij

sibi

ſibi non cum edicto Prætoris, ſed cum Deo & ratione litem eſſe perſpicerent. Ita mihi emerſere quinque hi libelli, quos PRINCIPIORUM JURIS inſcriptione in lucem prodire volui. In quibus Juſtitiam & jus à ſanctiſſimo Deo per rationem & naturam ad nos deſcendere, & nec naturali, nec gentium, nec poſitivo ſcito Deo repugnare, quâ poſſem perſpicuitate & brevitate indicare volui. Non deſpero eos, quibus juſtitia Dei, publica ſalus, & juriſprudentiæ autoritas cordi ſunt, ſtudium meum non omninò improbaturos, & mecum pro Deo & jure, tanquam pro aris & foris, pugnandum arbitraturos. Scripsêre quidem etiam noſtra ætate alij de principiis juris, quanquam non omnes ſuos libros eo titulo indigitarint,

Digitized by Google

tarint, omnes tamen eo consilio, ut Jurisprudentiæ autoritatem sartam tectam conservarent: sed videbantur illi nostræ diligentiæ aliquid indagandum vel colligendum reliquisse. Quapropter me non piguit ex scriptis theologorum & antiquorum philosophorum plura ad hanc materiam facientia colligere, & in hisce libellis uberiorem gustum principiorum juris, ac monstrationem errorum manifestiorem exhibere, ut illi, qui ad gubernandas respubl. præparantur, à primis statim juris initiis discerent opiniones ecclesiæ Dei & politiis humanis exitiales nosse, detestari, & suâ aliquando operâ nostris à civitatibus prohibere.

Permagnum verò huic studio & voto meo robur accedet, si id à vobis,

Viri

Viri Magnifici, Officiis, Genere, Eruditione & Autoritate Nobilißimi, probabitur. Cum enim vos Deus justitiæ suæ ministros esse voluerit; cum vos Serenißimus Princeps ac Elector Saxoniæ Dux, Dominus meus clementißimus, omnium intimorum consiliorum suorum arbitros, Academiarum inspectores, docentium ac discentium patronos, justitiæq; gubernatores constituerit; meritò omnium oculi in Vos sunt conjecti, omniumq; aures Vestrum de rebus arduis expectant judicium. Quapropter & ego hanc qualemcunque operam meam vestræ censuræ subjicere, & me meaq; studia favori ac patrocinio vestro commendare volui ac debui. Si sciam Vos opusculum hoc meum benigno vultu suscepisse, meq; in numerum suorum clien-

tum

Digitized by Google

cum retulisse, magni id muneris loco habebo, de hoc scripto meo & de omnibus studiis meis benè sperabo, & magnum me beneficium pro exiguo munusculo accepisse fatebor. Valete. Dab. Lipsiæ. Kal. Decemb. Anno Christi 1614.

Vestræ


Magnif. & Excell.

Officiosiss. cliens

Benedictus VVincler, S.

PRIN-

Digitized by Google



PRINCIPIORUM JURIS LIBER PRIMUS.

In quo agitur de lege omnia primò movente ac gubernante.



Principia juris diligenter investiganda & cognoscenda esse.

CAP. I.



QUi Jurisprudentiæ operam daturi, veram solidamque sibi Juris cognitionem exoptant, necessariò à primis principiis ordiuntur: cùm quia ratio docet omnia ordinè suis à principiis proficisci, tùm quia fieri non potest, ut quis neglectis initiis ad plenam alicujus rei cognitionem adspiret. Nam ut videmus opificum discipulis, circa objecta in sensus incurrentia manuariam operam præstantibus, gene-

Principia juris studiosa primò discenda.

Ob ordinem cognitionis.

generalia quædam de objecta sibi materia, deq; appellatione & usu instrumentorum suorum præcognoscenda esse, priusquàm ad operationem accedere, & aliquid arte dignum exhibere possint: ita multò magis id necessarium est iis in scientiis, quæ tantùm acumine ingenii percipiuntur: siquidem operatio mentis, quò subtilior, liberior, pluribusq; objectis obvia, eo etiam citiùs vel rerum obscuritate, vel infinitâ particularium varietate implicata decipitur. Ex quo porrò subsequuntur errorum fructus, periculum & dolor, qui nobilioribus in artibus tantò pejores semper, quò difficilior est correctio, quoq; magis interfuit non aberrasse. Quod ergo nautis accidit, si pelago se committant prius quàm clavem navis tenere, retinacula & funes adducere vel laxare didicerint, ut semper summo in vitæ discrimine natent: idipsum in vastissimo juris civiliumq; negotiorum oceano evenit iis, qui in medias se leges & lites præcipitarunt, antequam principia juris degustarent, ipsumve jus quid sit, unde & quo fluat, explorarent. Quo etsi vix quicquam est frequentius, miranda tamen est auda-

Ob periculum ignorantium.

audacia hominum, qui se civilibus negotiis, ne cogitantes quidem quam magnum & difficile mare ingrediātur, immergunt. Nam si quis mihi maris scopulos, brevia, gurgites, & quæ ibi sese offerre solent monstra, memoret, minusq; discriminis in hac legali navigatione esse putet, fallitur. Conferamus magnum fluvium, civitati copiosæ ac locupleti; mare, toti regioni ac vicinitati; marina monstra, improbis civibus; gurgites & scopulos, negotiis civium publicis privatisq;; procellas deniq; & tempestates, seditionibus & bellis: facile plus laboris in sustinenda republ. quam in gubernanda nave inveniemus. At præter hæc omnia in studio juris periculum animæ, quod summum omnium est, versatur, cum hîc non de rebus & mercibus tantum, sed de omnibus, quæ homines attinere possunt, agatur, nec humanarum rerum quicquam sit tam remotum à studio juris, ut nullam ejus in considerationem veniat. Sive enim de rebus & negotiis humanis loquamur; sive de cujusq; officio, statu & potestate; sive de recta civium institutione & ordinatione; seu deniq; de dissidiis eorum extri-

 candis

candis & delictis vindicandis: omnia hæc juribus personarum, rerum & actionum includuntur, & legibus consiliisq; publicis reguntur. Quid autem periculosius esse potest, quàm in omnibus humanis gubernandis se ministrum Dei gerere, & tales ubiq; sententias ferre, quarum rationes Deo & civitati tuæ sis probaturus? Tanta periculi imminentis magnitudo meritò omnes, qui animum ad hoc studium appellunt, excitat, ut in essentiam veritatemq; juris diligenter inquirant, idque probè perspiciant, priusquàm alios docere vel judicare tentent. Accedit alia investigandi principia juris necessitas, quod ex vulgari eorundem ignorantia tantus invaluit juris contemptus, ut quidam nobis omnem vitæ disciplinam, quæ in jure consistit, labefactare & evertere conentur. Quid enim toto in jure tutum extraq; controversiam positum affirmare ausimus, cum ipsa nobis juris & legum fundamenta, portus ac receptus nostri, hostiliter infestentur? Alii leges omnes simpliciter damnant; alii jus naturale ab æterna Dei justitia defluxisse negant; quidam leges nil nisi potentiorum

Ob juris conservationem.

placita

placita esse arbitrantur; nonnulli inveteratas quasdam opiniones, & commenta virorum ingeniosorum ad gubernandas respub. adinventa, leges vocari autumārũ; quin & extiterunt qui affirmare non erubescerent, magistratus, judicia & leges penitus aboleri oportere, quod Christo initiatus homo lætâ conscientiâ iis uti non posset. Quæ quidem disputantur & refutantur à Theologis nostris, sed quia sunt legis, suo considerationis modo etiam ad Jurisconsultos pertinent, inprimis cum illi talibus effatis inscitiæ, injustitiæ & impietatis rei citentur, quasi servile & intolerabile aliquod jugum hominibus Dei & naturæ beneficio liberis imponant, humanisq; figmentis vitæ ac bonis miserorum insidientur. Qui modestius agere vel occultius pungere volunt, enarrare solent Juris consultis leges naturaliter hominum cordibus inscriptas, *non occides, non furtum facies &c.* rogitant deinde, quo jure, quâ conscientiâ huic vitam, illi bona auferenda pronuncient, talibus in causis, ubi ratio naturalis ipsis nil tale suadeat, imò in legibus Mosaicis præcepta & exempla sint diversa? Hîc

omninò obmutescere & hærere, aut suæ conscientiæ vim facere oportet, qui principia juris ignorant: cum è contra vero Jurisconsulto ratio semper in promptu sit, quâ errantes doceat & calumniatorum argutias, veluti obverso clypeo, frangat. At rationes legum probas sola suggerunt juris principia, ex iis tanquam è quodam Copiæ cornu eas depromas licet, si non speciales, attamen generales, & (quod non tàm de hoc præsenti libello, quàm de ipsa principiorum juris efficacia affirmabo,) inexpugnabiles, tuæ conscientiæ, alienæ cavillationi satisfacientes. Quod autem, cum de omnibus contractuum articulis, deq; methodo & arte juris certatim scribant autores, tam rari sint qui de principiis juris aliquid tradiderint, ut illorum utilitati non detrahit, ita nec magnopere est mirandum. Tritam enim viam omnibus in artibus plerīq; ambulant, & ad vendibiliora grallatorio gradu contendunt, pulcherrima relinqui solent, quia difficillima, & vulgi judicio sterilia. At superanda est difficultas labore, & opera danda ut hæc quoq;, cùm perspicua & plana fiant, tùm utilitatem

Ob rationes legum assequendas.

Princ. juris cur vulgo negligantur.

Digitized by Google

tem suam maximam palàm exhibeant. Qu. Mucium refert Pomponius Servio objecisse, *turpe esse patricio, & nobili, & causas oranti, jus in quo versaretur ignorare. l. 2. §. 43. De orig. jur.* Id haud dubiè rectè occantatur his, qui principiis juris aut penitus (ut ferè fieri solet,) neglectis, aut vix summo ore delibatis, se foro immiscere & justitiæ antistites opinari audent. Hi enim, licet verba legum scire, & alicubi ad propositam quæstionem accommodare posse videantur, tamen jus ipsum re verâ turpiter ignorant, contenti opinionibus & exemplis. At in rationum concursu nec civilia à naturalibus separare, nec rationes ipsas ponderare possunt. Quo ergo nomine dignabimur illos, qui se justitiam administrare gloriantur, cum nec ipsum jus quid sit intelligant, nec ullam solidam rationem latæ sententiæ habeant, quâ suæ (si in eam descendant) conscientiæ satis facere possint? Jurisconsultus certè, qui honore tanti nominis dignus esse, verâ Philosophiâ reipub. salutarem operam præstare, & Divinæ Justitiæ Sacerdos esse cupit, ut ab Ulpiano *in l. 1. D. de Justit. & Jure* admonetur, primò scire de-

Turpe est Iurisconsulto ignorare princ. juris.

 re de-

Digitized by Google

re debet quid tractet, utrum figmenta hominum & antiquas opiniones, an vero jus aliquod re verâ existens & Deo placens? Deindè opus est ut discat naturalium & civilium rationum pondera justo examine inquirere, ut secundum jus & æquitatem in omnibus possit rationabiliter judicare. Et quid homini jucundius esset, quam se ipsum, suam rationem & naturam nosse, ac in ea divinas virtutes intueri, quæ in principiis juris deteguntur? ut Cic. *1. de legib.* inquit, *Sic habetote, nullo in genere disputandi magis patefieri, quid sit homini naturâ tributum, quantam vim rerum optimarum mens humana contineat, cujus muneris colendi efficiendiq; causa nati & in lucem editi simus, quæ sit conjunctio hominum, quæ naturalis societas inter ipsos: his enim explicatis fons legum & juris inveniri potest.* In principiis juris discimus quomodo se Deus cum hominibus, & homines inter se mutuò, unâ societate juris devinxerit, & quomodo jus nostrum maxima sui parte immediatè, partim autem mediante magistratu, Dei ministro, ex ore & corde Dei sit depromptum, quo nihil Jurisconconsulti studio dignius aut conscientiæ tuti

Hic discimus nosmet nosse.

Et societatem juris quam cum Deo habemus.

tutius esse potest. Quid porrò magnificentius, quàm Deum ipsum in jure deprehendere, eo colloqui & præceptore uti? Hîc videbimus quomodo Theologia, Jurisprudentia & Philosophia, veræ Gratiæ, mutuis sese teneant amplexibus, unamq; in veritatem venerandam & tuendam unanimiter conspirent. Hîc de omnibus quæ in jure occurrere poterunt quæstionibus, ex genuinis & propriis discemus disputare & judicare principiis, quo nihil in conflictu argumentorum & collationibus opinionum est utilius.

Et consonantiam jurispr. cum Theolog. & Philosophia.

Et vera disputandi principia.

Non ignorarunt id præceptores nostri, ideoque hortantur nos, ut in hisce fundamentis ponendis vigilemus, tanquã ibi de dimidio totius, vel potissima parte, imò de toto agatur. Cajus noster, explicationem XII. tab. auspicaturus, his verbis suos auditores alloquitur: *Facturus legum vetustarum interpretationem, necessariò prius ab urbis initiis repetendum existimavi: non quia velim verbosos commentarios facere, sed quod in omnibus rebus animadverto id perfectum esse quod ex omnibus suis partibus constaret. Et certè cujusq; rei potissima pars principium est. Deindè si in foro causas dicentibus*

Ad princ. juris cognitionem excitant nos

Cajus.

Digitized by Google

nefas, ut ita dixerim, videtur esse, nullâ præfatione facta judici rem exponere: quanto magis interpretationem promittentibus inconveniens erit, omissis initiis, atq; origine non repetitâ, atque illotis, ut ita dixerim, manibus, protinus materiam interpretationis tractare? namq;, nisi fallor, istæ præfationes & libentiùs nos ad lectionem propositæ materiæ producunt, & cum ibi venerimus, evidentiorem præstant intellectum. Quæ verba, ut nos ad fundamenta juris solida ponenda admonerent, in frontispicio tituli *De origine juris* poni voluerunt prudentissimi legum compositores.

Aristot. Et Arist. *1. Eth. 7.* δοκεῖ πλεῖον ἢ τὸ ἥμισυ τοῦ παντὸς εἶναι ἡ ἀρχὴ, καὶ πολλὰ ἐμφανῆ γίνεσθαι δι᾽ αὐτῆς τῶν ζητουμένων. *Videtur plus quam dimidium totius esse principium, & multa per illud manifesta fieri eorum quæ in quæstionem veniunt.*

Plato. Huc etiam Plato *lib. 4. de legib.* respexit, quando à legislatore proœmium legis requirit, ne omnia imperare sed quædam etiam persuadere videatur. Nam hæ sunt illæ præfationes, quæ in nobis justitiæ venerationem ac sitim excitant, & ad intellectum legum facem præferunt, ut Cajus modò dicto loco testabatur. Et *6. de legib.* Plato iterum inquit:

ἀρχὴ

ἀρχὴ λέγεται ἥμισυ παντὸς, ἐν ταῖς παροιμίαις, ἔργου· καὶ τόγε καλῶς ἄρξασθαι, πάντες ἐγκωμιάζομεν ἑκάστοτε· τὸ δ' ἐστι τε (ὡς ἐμοὶ φαίνεται) πλέον ἢ τὸ ἥμισυ· καὶ οὐδεὶς αὐτὸ καλῶς γινόμενον ἐγκεκωμίακεν ἱκανῶς. *Principium dimidium totius operis esse proverbio dicitur: atq; eum qui benè cœpit omnes ubiq; laudamus. Mihi autem hoc plus quam dimidium esse videtur, rectumq; principium nunquam ab aliquo satis laudatum fuisse.* Cicero vero, quanti faciat principiorum juris cognitionem, testantur ejus libri quos *de legibus* scripsit. Illud notabile, quod *lib. 1. de legib.* inquit: *Qui aliter jus civile tradunt, non tam justitiæ quam litigandi tradunt vias:* quod quidem ego credo verissimum esse. *Cicero.*

Age ergo, si non lites sed justitiam discere placet, si cordi sunt ea quæ diximus, principia juris diligenter investigaturi, rem seriò aggrediamur. *Et autor libelli.*

Te prius, qui JUSTITIA ipsa & fons omnis boni es, sine quo nihil possumus, te imploramus supplices: annue cæptis, tuæq; veritatis radiis illumina mentes nostras, ne doceatur neve approbetur quicquam, nisi quod vergat ad nominis tui gloriam, veritatis defensionem, ecclesiæ *Deum fortunet studium.*

tuæ

Digitized by Google

tuæ utilitatem, omniumq́; qui hæc nostra lecturi vel usurpaturi sunt, salutem & honorem.



Juris Principia unde haurienda.

CAP. II.

Principia juris legaliter tractari non posse.

IN tota Jurisprudentia nihil est quod minus legaliter tractari possit quam ipsa principia. Nam qui de contractu vel alia legali quæstione scribunt, simpliciter ad leges provocare possunt, & sufficit iis si vel ex verbis, vel ex ratione & mente legis quæ statuunt, probent. Si alias præterea rationes ex politicis, ethicis aut theologicis scriptis depromptas adjiciunt, id fit ex superabundanti, ut lex, se ipsam suâ utilitate & prudentiâ commendans, magis placeat & observetur: alioquin latarum legum proprium non est persuadere, sed pro autoritate sua imperare, ut *l. 1. D. de legib.* dicitur, *lex est præceptum*: & *l. 7. ibid. legis virtus est imperare, vetare, permittere, punire.* Quotiescunq́; autem ita ad leges provocatur, præsupponitur legem esse tale præceptum cui, propter rationem boni & autoritatem præcipientis, sine reluctatione obediendum esse omnes sciant. Et hoc est illud generale omnium legum proæmium seu præsuppositum, quod in principijs juris

juris demonstrandum. Quia ergo ipsa natura & autoritas legum in dubium vocatur, cum quæritur quid sit lex? quæ ejus nativitas & essentia? cur eam amplecti & observare debeamus? & unde eam sibi vindicet potestatem, ut etiam invitos ad obedientiam vel ad pœnam trahat? confestim cuivis id ratio suggerit, non posse leges in hac status sui controversia sibi ipsis sententiam aut testimonium ferre, ideoq; probationes aliunde quam ex legibus sumendas fore: quod & Philosophorum axioma vult, cum dicunt *nullam artem sua principia demonstrare.*

Cum ipsa leges hic patiantur status controversiam.

Illa itaq; suscipienda nobis sunt ex communibus omnium artium fontibus, Theologia & Philosophia: Medicina enim, suum in finem declinans, à nostro longius recedit. A Philosophis hauriemus, quia tractabimus res quæ sunt rationis, quæq; Iureconsultis in Ethicis, Oconomicis & Politicis præmonstrantur, & in forum introducenda docentur. Aristot. *1. Eth. 1.* docuit, finem civilis scientiæ summum ac perfectissimum esse, omnesque alios fines illi subservire, ideò enim præcepta philosophica tradi, non ut in scholis delitescant & emoriantur, sed ut eorum usus aliquis sit in vita civili. Civili vero scientiæ Aristot. legumlatricem includit, propter magnam cognationem quam Politica cum Iurisprudentia habet. Et in doctrina de moribus sæpè facit mentionem legum, nec veretur interdum ex legibus argumenta duce-

Iuris principia petenda.

Ex Philosophia.

ducere, *ut 1. Eth. 13. 3. Eth. 1. & 5. al. 7.* quo testetur ac monstret, quomodo omnia, quæ in philosophia practica traduntur, ad usum civilem & ad sanciendas leges spectent. Non potuit enim ignorare, præcepta de moribus & virtutibus, de potestate & officio parentum, maritorum, dominorum, magistratuum & privatorum, parum profutura, nisi à legislatore publicâ parendi necessitate armarētur & in usum vocarentur. Præterea noster considerandi modus id requirit, ut de legibus paulò aliter quam Theologi loquamur, nec vereamur etiam prudentium ethnicorũ phrasibus, sententiis ac præceptis uti, siquidem obedientiam, quæ secundum rationem humanam nostrarumq; virium sit, à nostris auditoribus postulamus, & non moralia tantum, sed & civilia jura tradituri sumus.

Et ex theologia. At theologiæ suffragio ideo nos uti oportet, quia de Deo & voluntate ejus, quæ summa lex esse apparebit, item de homine, ejus natura & ratione, deq; lege naturæ quam homo immediatè à Deo accepit, acturi sumus, quod sine opera Theologiæ fieri nequit. Nemini ignotum est, Deum magistratui & omnibus qui se reipub. ad conservandam justitiam parant, utramq; legis suæ tabulam legendam & observandam dedisse, *Deut.* 17 *v.* 18. non modo ut homines secundum eas viverent, sed etiam ut legumlatores ac justitiæ divinæ ministri, omnia sua præcepta ad voluntatem & normam à summo

mo legislatore præscriptam componere discerent. Ideo quæstiones de lege & operibus hominum, paucis exceptis, Theologis & Iureconsultis sunt communes: & fallitur qui putat curam harum rerum ad Theologos tantum pertinere, nam & magistratum scire oportet, an quæ sancit & judicat recta sint, & quomodo earum ratio coram Deo reddi possit. Est enim Iurisprudentia Theologiæ in doctrina legis famula, & magistratus Dei est minister, qui officio suo rectè fungi nequit nisi voluntatem sui domini intelligat.

Quod autem lectorem non statim, ubi quid ex Theologicis aut Philosophicis principiis probandum est, ad theologorum & philosophorum scripta remittimus, causa est quod cuivis suus est de lege considerandi & scribendi modus, & nobis principia juris ita tradenda, ut paulatim ad studium legale declinemus. Non est autem omnib. initia juris hauriētibus tantum ingenii vel otii, ut perspicere possint, quomodo & quatenus quodq; studio jurisprudentiæ applicari possit & debeat. Theologi enim & Philosophi varias in sectas discesserunt, eorum aliqui juri contraria docent, nonnulli juris nostri ignorantiâ nescio quas absurditates jurisconsultis affingunt, à quibus etiam quidam illorum, qui juris interpretes se profitentur, conturbati, sæpè contradictoria statuerunt. Sic cogimur interdum in argumentis Theologicis & Philosophicis esse prolixiores;

Cur lector non remittatur ad illorū scripta.

Digitized by Google

res, quod necessitati & susceptæ tractationis argumento condonandum. Habemus hujus rei exempla apud priscos Iurecõsultos, quos videmus studium juris ita auspicatos, ut cum jurisprudentia divinarum rerum notitiam veramq; philosophiam conjungerent. *l. 1. & 10. D. de Iustit. & jure.* Horum vestigiis nos non pœnitebit insistere, & quo magis id vulgò negligitur, eò diligentius naturalia juris principia explicare, si fortè quibusdam ostendere possimus, IURISPRUDENTIAM nostram non esse spuriam OPINIONIS filiam, ex variis hinc inde collectis erroribus natam; nec infelicem & subdititium pravæ CONSUETUDINIS partum; sed genuinam prolem VERITATIS, quam IUSTITIA ex Deo peperit, PHILOSOPHIA enutrivit, Deus hæreditate & autoritate suâ dotavit. Ita nostri studii conservabitur autoritas, & alii consideratius de eo judicare admonebuntur.



Juris principia à Deo repetuntur, qui Iustitiæ fons, protector & gubernator esse præsupponitur.

Cap. III.

[illegible] à Deo [illegible]

DE Iustitia & jure scripturientium quidam nescio quas de Diis & deabus gentilium fabulas, prudenti viro tantarumq; rerum exordio indignas, præfati sunt. Sed rectè judicat

dicat Philo, tantam rem non à figmentis, sed à Deo totius naturæ autore ordiendam, ut sciat homo unde sit lex cujus imperio ipse & totus mundus subjicitur. Verba ejus ex libro περὶ τῆς Μώσεως κοσμοποιΐας, prout Gelenius vertit, hæc sunt: *Cæteri legislatores, partim nullo ornatu adhibito nudum jus præscripserunt: partim ad exaggerandam apud vulgus rem, fabulosis figmentis veritatem prætexerunt. Moses vero, utraq; ratione posthabitâ, alterâ ut rudi ac ignavâ, parumq; decorâ philosopho: alterâ ut mendace plenaq; præstigiis, perpulchrum ac honestissimum legum suarum fecit initium: neq; statim quæ facienda, quæve non, admonens; neq; quoniam formandæ prius erant mentes accepturorum has leges, affingens fabulas, aut aliorum figmenta recipiens :&c.* Nos itaq;, quos nec tanquam ignavos & rudes philosophos, (sic enim vides à Philone vocari qui nullo ornatu adhibito statim in jus irruunt,) nullâ præfatione factâ, illotis manibus, contra fas & decorum protinus ad leges accedere, *l. 1. D. de orig. jur.* nec mendaces præstigiatores, sed potius bonos philosophos & veræ theologiæ discipulos imitari decet, *l. 1. & 10. D. de just. & jure*, missis gentilium nugis, principium à vero ter optimo maximo Deo, qui solus principio & fine caret, ducimus, idq; duplici de causa. Primò ne cordatioribus ethnicis pietate inferiores fuisse videamur, qui legum suarum originem ad summum Deum referendam putarunt: *Cal. Rhodig. lib. 18. antiq. lect. cap. 19. Polyd. Virg. lib.*

2. de invent. cap. 1. Ant. August. de legib. cap. 2. Secundò quia necessitas hoc exordium requirit, cum ille solus primum ac certissimũ principiũ sit & alius justitiæ autor non detur. Πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον, ἄνωθεν ἐστι, καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων. *Omnis donatio bona & omne donum perfectũ è supernis est, descendẽs à patre luminum. Iac. 1. v. 17.* Cum enim ratio suggereret jus nõ posse aliunde quã à Deo justitiæ omniumq; virtutũ autore descẽdere, omnes qui accuratius de jure & legib. scripserunt, à Deo primordia capienda viderunt. Ac poetarum quidem de Dea Iustitia nemini ignotas fabulas mittimus, licet enim aliquid doctrinæ in se contineant, *v. Gell. lib. 14. cap. 4. Bud. ad. l. Iustitia. 10. D. de just. & jure.* huc tamen non pertinent, & ubi seria tractantur præstat figmentis abstinere, ut Philonem modò judicantem audivimus: Cicero *lib. 2. de legib.* putat hoc esse genuinum & proprium legum proœmium, ut *jam ab initio persvasum sit civibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores Deos, eaq; quæ gerantur, eorum geri judicio ac numine, eosdemq; optimè de genere hominum mereri, & qualis quisq; sit, quid agat, quid in se admittat, quâ mente, quâ pietate religiones colat, intueri, piorumq; & impiorum habere rationem.* Platonis hæc sunt, oratore ipso non dissimulante; is *libro 10. de legib.* putat legislatorem, priusquam ad alia properet hoc minimè transilire, sed haud gravatim tanquam utile & necessarium primò persvadere debere, quod Dii sint justitiæ

Proprium legum proœmium Deus.

tiæ autores & defensores. *Multum conferet, inquit; si verisimili ratione sermo noster ostenderit quod Dii sint, & boni sint, justitiamq; multò magis quam homines volant, quod ferè optimum pulcherrimumq; legum omnium erit exordium. Quamobrem absq; ulla molestia atq; festinatione pro viribus nihil prætermittamus quod ad hanc rem persuadendam pertineat.* Et primum de legib. dialogum his verbis inchoat: θεὸς ἤ τις ἀνθρώπων ὑμῖν ὦ ξένοι, εἴληφε τὴν αἰτίαν τῆς τῶν νόμων διαθέσεως; ΚΛ. Θεὸς, ὦ ξένε, θεὸς, ὥς γε τὸ δικαιότατον εἰπεῖν. *Deumne an aliquem hominum, ô hospites, condendarum legum causam putatis? CLIN. Deum, ô hospes, Deum, ut decet asserere.* Talibus legum proœmiis putarunt eruditi mentes hominum præparari, justitiæ magnam autoritatem & sitim, injustitiæ vero timorem & abominationem concitari posse. Quo pertinet quod Macrob. *in somn. Scip. lib. 1. cap. 1.* dicit Platonem, virum sapientiâ præcellentem, nihilq; in investigatione veri nisi divinum sentire solitum, castigato operi suo nihil adjecisse superfluum, & de animæ immortalitate ejusq; post migrationem è corpore domicilio, priusquàm de republ. tractaret, egisse, ut animis hominum eò majorem justitiæ sitim ac amorem infunderet, si scirent quæ præmia justis, quæve pœnæ impiis post hanc vitam in animarum immortalitate essent expectandæ. Simili legum proœmio usus est Zaleucus cum inquit: Τοὺς κατοικοῦντας τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν, πάντας πρῶτον πεπεῖσθαι χρὴ καὶ νομίζειν θεοὺς εἶναι, καὶ ἀναβλέ- *Zaleuci pulchrum exordium legum.*

 ποι-

πόντας εἰς οὐρανὸν καὶ τὸν κόσμον, καὶ τὴν ἐν αὐτοῖς διακόσμησιν καὶ τάξιν. οὐ γὰρ τύχης, οὐδ' ἀνθρώπων εἶναι δημιουργήματα. σέβεσθαι δὲ τούτους καὶ τιμᾶν, ὡς αἰτίους ὄντας ἁπάντων ἡμῖν ἀγαθῶν, τῶν κατὰ λόγον γινομένων. ἕκαστον οὖν ἔχειν καὶ παρασκευάζειν δεῖ τὴν αὐτοῦ ψυχὴν, πάντων τῶν κακῶν καθαράν. ὡς οὐ τιμᾶται θεὸς ὑπ' ἀνθρώπου φαύλου, οὐδὲ θεραπεύεται δαπάναις, οὐδὲ τραγῳδίαις τῶν ἁλισκομένων, καθάπερ μοχθηρὸς ἄνθρωπος: ἀλλ' ἀρετῇ καὶ προαιρέσει τῶν καλῶν ἔργων καὶ δικαίων. διὸ ἕκαστον δεῖ εἰς δύναμιν ἀγαθὸν εἶναι, καὶ πράξει καὶ προαιρέσει, τὸν μέλλοντα ἔσεσθαι θεοφιλῆ, καὶ μὴ φοβεῖσθαι τὰς εἰς χρήματα ζημίας μᾶλλον τοῦ καλοῦ καὶ δικαίου. ὅσοις δὲ μὴ ῥᾴδιον πρὸς ταῦτα τὴν ὁρμὴν πεπεῖσθαι, τὴν δὲ ψυχὴν ἔχουσιν εὐκίνητον πρὸς ἀδικίαν, ὧδ' ἡμῖν παρηγγέλθω, πᾶσι τοῖς τοιούτοις πολίταις, καὶ πολίτισι καὶ ξυνοίκοις, μεμνῆσθαι θεῶν ὡς ὄντων, καὶ δίκας ὑποπεμπόντων τοῖς ἀδίκοις, καὶ τίθεσθαι πρὸ ὀμμάτων τὸν καιρὸν τοῦτον, ἐν ᾧ γίνεται τὸ τέλος ἑκάστῳ τῆς ἀπαλλαγῆς τοῦ ζῆν. πᾶσι γὰρ ἐμπίπτει μεταμέλεια τοῖς μέλλουσι τελευτᾶν, μεμνημένοις ὧν ἠδικήκασι, καὶ ὁρμὴ τοῦ βούλεσθαι πάντα πεπρᾶχθαι δικαίως αὐτοῖς. διὸ δεῖ ἕκαστον παρ' ἑκάστην πρᾶξιν αἰεὶ συνοικειοῦν τὸν καιρὸν τοῦτον, ὡς δὴ παρόντα. οὕτω γὰρ ἂν μάλιστα τοῦ καλοῦ καὶ τοῦ δικαίου φροντιεῖν. ἐὰν δὲ τῳ παραστῇ δαίμων κακὸς τρέπων πρὸς ἀδικίαν, διατρίβειν πρὸς ναοῖς, καὶ βωμοῖς, καὶ τεμένεσι, φεύγοντα τὴν ἀδικίαν, ὡς δέσποιναν ἀσεβεστάτην καὶ χαλεπωτάτην, ἱκετεύοντα τοὺς θεοὺς συναποτρέπειν αὐτήν. ἰέναι δὲ καὶ πρὸς ἄνδρας δόξαν ἔχοντας ἐπ' ἀνδραγαθίᾳ ἀκουσόμενος περὶ εὐδαιμονίας βίου, καὶ κακῶν ἀνδρῶν τιμωρίας ἵνα ἀποτρέπηται τῶν ἀδίκων ἔργων. *Omnes qui urbem ac regionem inhabitant, persuasos esse oportet, existimareq; Deos esse, quod manifestum fit ex cæli & totius mundi inspectione, rerumq; in ipsis dispositione pulcher-*

cherrima, & ordine. Haud enim fortuita aut humana hujusmodi opera putare convenit. Deinde colendi honorandiq; dii sunt, ut bonorum omnium nobis autores, quæ aliqua ratione fiunt. Singulos igitur habere, & comparare animam quemq; suam oportet, ut ab omnibus malis pura sit. Nam ab improbo homine non honoratur Deus, nec sumptibus colitur, nec tragœdiis capitur instar hominis mali: sed virtute ac instituto bonorum operum ac justorum. Quocirca opus est unumquemq; pro virili bonum esse, tum factis, tum voluntate, qui modo futurus sit Deo charus: & non metuere pecuniariam jacturam magis quam honestatis & justitiæ. Cæterum illos, quorum voluntas non facile ad hæc persuaderi potest, & animos ad injustitiam pronus est, viros & fæminas cives, aliosq; cohabitatores, admonitos velim meminisse deorum, ut qui & sint & pœnas ab injustis sumant: atque ob oculos ponere tempus istud, quod unicuiq; finis est vitæ futurum. Morituros enim omnes injuriarum, quas commiserunt, memores pœnitentia invadit, & vehemens cupiditas, quâ vellent exactam sibi vitam omnem fuisse justam. Quamobrem singulos oportet semper in singulis actionibus illud tempus adeo suis cogitationibus familiare facere, ac si præsens esset. Ita enim maximè honesti justiq; cura vigebit. Si quis vero à malo genio quopiam assistente sibi ad injustitiam instigetur, is ad templa, aras, & delubra versetur, fugiens injustitiam ceu dominam impiissimam molestissimamq;, & Deos oret ut opem ad propellendam ipsam sibi ferant. Accedat quoque viros probitatis nomine claros, ut de vitæ felicitate & ma-


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

lorum hominum vindicta differentes audiens, ab injustis facinoribus animum avertat. Stob. serm. 42. Meminit hujus exordii Diod. Sicul. *lib.* 12. *bibl. hist.* Iurisconsultos etiam studium juris olim à Deo exorsos esse testantur Papinianus *l.* 1. Marcianus *l.* 2. *D. de legib.* Vlpianus *l.* 1. *D. de Iustit. & jure.* aliiq;, quorum verba ibi referuntur. Deus ipse, cum suas tabulas promulgaret, à se incipit: *Ego Iehova Deus tuus &c. Exod.* 20.

Præsupponuntur tria.

1. Esse Deum.

Huc ergo nos quoq; respicientes, tria præsupponimus nostris lectoribus: primum, *Esse Deum.* Hoc, inquam, præsupponimus apud omnes certum & indubitatum, nec hujus loci aut opus esse opinamur contra atheos & gentiles disputare. Plato *lib.* 10. *de legib.* ait, Deum graviter irasci illis, qui dubitant an Deus sit: Cic. 2. *de Nat. deor. Omnibus innatum est, & animo quasi insculptum, esse Deos: quales sint, varium est, esse nemo negat.* Iambl. *de myst. Ægypt. ante omnem rationis usum inest naturaliter insita Deorum notio, imò tactus quidam divinitatis melior quam notitia.* Arnob. *lib.* 1. *cont. gentil.* quæstionem an Deus sit, responsione dedignatur & inquit, *ajunt sana sentientes contradicere rebus stultis, stultitiæ esse majoris.* Et Paulus *Rom.* 1. *v.* 19. naturalem Dei certitudinem apud omnes gentes præsupponit.

2. Deum esse justum, bonum &c.

Secundò apud omnes certum ponimus, *Deum in summa perfectione esse justum, veracem, bonum, sanctum, beneficum, &c.* omniaque, quæ de Deo ad hunc modum prædicantur, illi essentialia, coæterna & immutabi-

lia

lia esse. Nolumus hic in prolixam proprietatum divinarum probationē descendere, quanquam ea non inutilis foret ad probandam juris naturalis in Deo essentiam, de qua infra *lib.* 3. *cap.* 8. agemus sed non suspicamur lectorem quenquam tam rudem vel impium, qui de talibus Dei proprietatibus dubitare possit aut velit, nobis obtingere posse, cum & gentiles (ut loca supra citata testantur,) non diffiterentur Deum esse justum ac bonum, justitiamque multò magis colere quam homines. Apud Trismegistum Mens inquit, *quemadmodum homo nequit sine vita vivere, ita nec Deus vivere potest nisi bona producat.* Ergo totum esse Dei credimus nihil aliud nisi bonum & justum operari, nec posse Deum esse qui est, nisi summa & ineffabili perfectione bonus esset. Tertiò & illud præsupponimus; Deum, omnium rerum unicum creatorem & supremum arbitrum, mortalium rerum curam agere, quid quisq; agat vigilantibus oculis observare, & à nobis omnibus ut pietatem & justitiam colamus seriò requirere. Idem ut sibi præsupponere liceret *lib.* 1. *de legib.* ab Attico, qui Epicureus erat, postulabat Cicero, nolebat enim ibi repetere Deorum immortalium potestate ac numine humana regi, quod *in libris de nat deorum* satis probaverat *Dasne igitur hoc nobis Pomponi*, inquit Cicero, *Deorum immortalium naturâ, ratione, potestate, mente, numine, sive quod est aliud verbum, quo planius significem quod volo, naturam*

3. Deum humana respicere & justa exigere.

omnem regi? nam si hoc non probas, à Deo nobis causa ordienda est potissimum. A T. Do sanè si postulas. Et hæc tria sunt quæ Plato, Zaleucus & alii, in proæmiis legum hominibus primò persvadenda putarunt, quæ nos jam olim ipsâ vi rationis ac naturæ omnibus persvasa & confirmata arbitramur, eorumq; præfationibus, qui ad rudem populum leges promulgant, uberius explicanda relinquimus.



Divinam voluntatem esse summam legem primò & propriè sic dictam, eâque omnia primò moveri ac gubernari.

CAP. IV.

Lege divina voluntatis omnia regi.

QVod nos usitatè dicimus, omnia Dei voluntate & providentiâ regi, alii ita protulerunt, omnia gubernari *divinâ lege.* quia vero philosophorum operâ nos uti oportet, retinenda est illa phrasis, sed quæ sit illa lex in Deo, quâ omnia administrari dicuntur, erit explicandum.

Legis significatio varia.

Varia est apud Theologos legis acceptio, de quâ Chemnit. *in loco de lege cap.* 1. & alii Theologi docent, varia etiam apud Philosophos & apud Iureconsultos. *Ant. August. de legib. cap.* 1. nobis quæ ad nostrum institutum facere videntur explicasse sufficiat. Communiter & usi-

Prima.

usitatissimè lex accipitur pro juris præscripto, ut cum capita quæ sunt in XII. tabulis aut in corpore juris appellantur leges: hoc sensu lex consvetudini opponitur & in aliquot species dividitur *§. constat. institut. de jure nat.* Sed ex mente philosophorum hæc non est propria legis acceptio, ideoq; illam Cicero popularem vocat, *lib, 1. de legib.* inquiens, *populariter interdum loqui necesse est, & eam appellare legem quæ scripto sancit quod vult, aut jubendo aut vetando.* de hac legis significatione hîc non agitur. Secundo lex pro jure ponitur, *ut l. 2. §. 12. de orig. jur. in civitate nostra aut jure, id est lege, constituitur*; cum tamen lex & jus non sint idem, ut infra *lib. 2.* dicetur. Tertiò lex accipitur pro pacto, conditione vel modo aliquo, ut cum quis certis conditionibus vendit, hæ conditiones appellantur venditionis leges. *ut in l. hanc legem. 22. l cum in lege 33. D. de cont. empt. l. quo tutela. 73 §. ult. D. de reg. jur.* Sic Terent. *in Eunu. act. 1. sc. 2. lege hac tibi meam adstringo fidem.* & Cic. *pro L. Corn. Balbo: non gravior L. Cornelio, quam multis viris bonis atq; fortibus, constitui lex vitæ & conditio videtur.* Quartò lex sumitur pro quavis præceptione, regula vel observatione, ut Plato *in Minoe* hortulanorum & coquorum observationes vocavit leges. Cic. 2. *de legib.* ait Coclitem (de quo Liv. *lib. 1.*) contra hostes in ponte, lege atque imperio fortitudinis pugnasse. & 2. *Tusul.* philosophis disciplinam suam non ostentationem scientiæ, sed legem

Secunda.

Tertia.

Quarta.

vitæ esse debere. Plin. *lib. 2. nat. hist. cap.* 7. naturalem nascendi ordinem vocat nascendi leges. Tandem etiam lex significat vim ac impetum rei motum imperantem, eumque pro naturæ suæ qualitate gubernantem; in qua significatione lex prior est eo quod præcipitur, quia est principium motus in agente, quod impellit ad præceptum aliquod faciendum; perinde quasi voluntatem constantem & perpetuam agentis alicujus describas. Differt itaque lex hoc modo sumpta à jure, ut præcipiens & præceptum, idque Plato vult *in Minoe* cum ostendit legem non esse id quod præcipitur, ut nec auditus id quod auditur. Hanc philosophi faciunt primam & propriam legis significationem, quæ describi posset quod sit *mentis verbum, regula, virtus & potentia voluntatis in movente, qua imperat & gubernat certum actionis modum.* In hac significatione nos quoq; hic legem accipimus, ita tamen ut potissimū respiciamus illos actionum modos, qui ad justitiam pertinent. Ita usurpavit Cic. 1. *de legib.* cum ait, *Lex est ratio summa, insita in natura, quæ jubet ea quæ facienda sunt, prohibetq; contraria.* & cum *ibid.* definit legem quod sit *naturæ* (puta divinæ vel humanæ) *vis, mens, ratioq; prudentis, juris atq; injuriæ regula.* & 4. *de finib. summi rectoris & domini ad naturam apta ratio vera illa & summa lex à philosophis dicitur.* Simili modo voce legis usus est apostolus *Rom. 7. v. 23.* βλέπω δὲ ἕτερον νόμον ἐν τοῖς μέλεσί μου, ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ τοῦ νοός μου.

Ultima, hujus loci, & propria.

Hujus

Hujus significationis Plato legem facit quadruplicem, Divinam, Cœlestem, Naturalem & Humanam, ut eruditissimus Albertus Bolognetus *in libello de lege, jure & æquitate, cap.* 3. ex Timæo, Phœdro & Gorgia Platonis observavit.

Lex in ultima significatione est quadruplex.

I. *Lex Divina.*

Divina lex Platoni est providentia illa æterna & ratio gubernandi in Deo, quâ omnia regit ac moderatur. de hac *in Gorgia* inter alia sic ait: δοκεῖ δέ μοι καὶ Πίνδαρος, ἅπερ ἐγὼ λέγω ἐνδείκνυσθαι ἐν τῷ ᾄσματι, ἐν ᾧ λέγει ὅτι νόμος ὁ πάντων βασιλεὺς θνατῶν τε καὶ ἀθανάτων. οὗτος δὲ δὴ (φησὶν) ἄγει βιαίως τὸ δικαιότατον ὑπερτάτᾳ χειρί. *Videtur autem mihi Pindarus hæc eadem in quodam cantu ostendere, ubi legem ait omnium esse reginam, mortalium atq; immortalium; eamq; jus agere violenter, præpotenti manu.* De ea etiam Cicero loquitur *lib. 2. de legib. Hanc igitur video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neq; hominum ingeniis excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam & ultimam mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei; ex qua illa lex, quam Dii humano generi dederunt, rectè est laudata, est enim ratio mensq; sapientis ad jubendum & ad deterrendum idonea.* Vide similes aliquot theologorum hujus legis definitiones apud Chemnit. *in loco de lege cap.* 2. Et quamvis Platoni lex *Cœlestis* alia sit ab hac *divina* differens, ut infra dicetur, non ineptè tamen Cicero *ibidem* hanc de qua nunc

Quæ vocatur omnium regina.

Princeps, ultima mens & ratio Dei, ex qua lex humana.

Vocatur etiā lex cœlestis. nunc agimus legem, cœlestem vocat, quia Diis cœlestibus illam tantum attribuit: verba ejus sunt, *sed antequam ad populares leges venias, vim istius cœlestis legis explana*: ostendit subsequens explanatio illum de lege divina loqui, cum inquit, *quæ vis non modo senior est quam ætas populorum & civitatum, sed æqualis illius cœlum ac terras tuentis & regentis Dei. Neq; enim esse mens divina sine ratione potest, nec ratio divina non hanc vim in rectis pravisq; sanciendis habere.* & paulò post: *ratio profecta à rerum natura, & ad rectè faciendum impellens, & à delicto avocans, non tum deniq; incipit lex esse cum scripta est, sed tum cum orta est: orta autem est simul cum mente divina. Quamobrem lex vera atq; princeps, apta ad jubendum & vetandum ratio est recta summi Iovis.* & iterum ibid. *Divina mens summa lex est.* Loquitur de hac lege Boet. *de consol. phil. lib. 1. met. 5.*

Ratio divina.

Ratio à rerum natura profecta.

Lex cœlum & mundum gubernans.

O stelliferi conditor orbis,
Qui perpetuo nixus solio
Rapido cœlum turbine versas,
Legemq; pati sidera cogis.

& *lib. 3. met. 9.*

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cœliq; sator, qui tempus ab ævo
Ire jubes, stabilisq; manens das cuncta moveri.

Cur Cic. hanc legem tam variè appellet. Ita videmus eandem esse legem quæ à Platone *divina*, à Cicerone modo *divina*, modo *cœlestis*; item *divina mens & ratio*, vel *ratio à rerum natura profecta* vocatur: quod à Cicerone consulto factum suspicor. Cum enim videret Cœlestem

Digitized by Google

lestem & Naturalem legem, quas Plato sic vocat, ad constitutionem legis humanæ seu rationalis animæ nihil conferre, atq; eas ideo tacitè præterire statuisset, legi divinæ attribuit omnia quæ Plato Cœlesti & Naturali adscripserat, ut capitib. proximè sequentibus manifestius apparebit.

A lege divina olim studium iuris auspicabantur.

Ab hac lege, ut à Deo, qui juri operam daturi erant antiquitus auspicabantur, ut iterum Cicero *d. lib.* 1 *de legib.* testatur, *Non ergo à Prætoris edicto, ut pleriq; nunc, neq; à XII. tabulis, ut superiores, sed penitus ex intima philosophia haurienda juris disciplina.* Et mox: *natura juris nobis explicanda est, eaque ab hominis repetenda natura.* & post pauca: *doctissimis viris placuit à lege proficisci.* Cicero ipse à Deo incipit principia juris tradere, ut sup. *cap.* 3. *in fine* ostendimus, & ipsi libri ejus *de legibus* loquuntur. De eâdem divina lege Marcianum *in exordio institutionum suarum*, & Chrysippum *in libro de legib.* egisse, produnt verba *in l. nam & 2. D. de legib.* quæ hîc reponimus: *Sed & Philosophus summæ stoicæ sapientiæ Chrysippus, sic incipit libro quem fecit* περὶ νόμου: ὁ νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεὺς, θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων. δεῖ δὲ αὐτὸν προστάτην τε εἶναι τῶν καλῶν καὶ τῶν αἰσχρῶν, καὶ ἄρχοντα, καὶ ἡγεμόνα. καὶ κατὰ τοῦτο κανόνα τε εἶναι δικαίων καὶ ἀδίκων· καὶ τῶν φύσει πολιτικῶν ζώων, προστακτικὸν μὲν ὧν ποιητέον, ἀπαγορευτικὸν δὲ, ὧν οὐ ποιητέον. *Lex est omnium divinarum atq; humanarum regina. Oportet autem eam esse præsidem, & bonis & malis, & principem & ducem esse: & secundum hoc regulam*

lam esse justorum & injustorũ, & eorum quæ naturâ civilia sunt, animantium, præceptricem quidẽ faciendorum, prohibitricem autem non faciendorum. Eandem definitionẽ Plato attribuit Pindaro, cujus verba supra posuimus, & Plutar in lib. πρὸς ἡγεμόνα ἀπαίδευτον, *ad principem ineruditum*, cujus verba ibi legi possunt. Nihil autem per illam omnium divinarum humanarumq; rerum *Reginam* aliud indicare possunt, quam divinam, de qua hic agimus, legem seu voluntatem. De qua, an Vlpianus & Cajus in exordiis suorum librorum tractarint, an vero eam præsupposuerint, *ex l.* 1. 6. & 10. *D. de justit. & jure. & ex l.* 1. *D. de Orig. juris* non immerito dubites: nam ut supra *cap.* 3. docuimus, omnibus ferè eruditis, qui de jure & legibus aliquid tradiderunt, proœmium fuit de Deo ejusq; justitia, potestate, & vindicta contra injustos parata. Quod si tam expressè de lege divina non scripserunt, ut Marcianum *d. l.* 2. *D. de legib.* fecisse vidimus, de Vlpiano tamen *ex d. l.* 1. & 10. item de Pomponio *ex. l.* 2. *D. de Iust. & jure.* non dubitem, eos auditoribus suis similia præfatos. Ipsa quippe res divinæ justitiæ mentionem in traditione initiorum juris efflagitare videtur. Nos quoq;, ut exemplo eruditorum commoti, ita necessitate coacti, à lege divinæ voluntatis auspicari debuimus, ut fundamenta juris tanto firmiora jaceremus.

Lex divina est Deus ipse. Est itaq; Divina Lex nihil aliud quàm æterna Dei voluntas, quâ omnia regit ac gubernat: &

& perinde est ac si dicamus, justitiæ principium, & fons juris primò ac propriè sic dictus est Deus ipse, ille summa lex, norma & regula est omnium humanarum actionum. Voluntatem enim & virtutes Dei, ab essentia ejus non differre apud omnes in confesso est. Vnde Lactant. *lib. 1. instit. cap.* 5. inquit, *Chrysippus naturalem vim, divinâ ratione præditam, interdum divinam necessitatem Deum nuncupat. Item Zenon, naturalem divinamq; legem. Horum enim omnium sententia, quamvis sit incerta, eodem tamen spectat, ut providentiam unam esse consentiant. Sive enim Natura, sive Æther, sive Ratio, sive Mens, sive Fatalis necessitas, sive Divina lex, sive quid aliud dixeris: idem est quod à nobis dicitur Deus. Nec obstat appellationum diversitas, cum ipsa significatione ad unum omnia revolvantur.* & Boet. *lib.* 4. *met.* 6:

Sedet interea conditor altus,
Rerumq; regens flectit habenas,
Rex & dominus, fons & origo,
Lex, & sapiens arbiter æqui.

Quomodo autem Deus sit lex ipsa, & quomodo lex in Deo qua omnia gubernantur, sit perfectio juris naturalis seu moralis, inferius apparebit.

Sic primum justitiæ principium, justitiam ipsam, fontem legum & omnis boni autorem invenimus, nempe DEUM, de cujus æternitate, justitia & summa potentia dubitare nefas est. Nunc quomodo justitia & voluntas Dei nobis innotescat & communicetur: quomodo ea *Primum principium iuris DEVS.*

per

per omne creatum diffuſa, in homine autem, ſummo quem creutura capere potuit gradu, perfecta & ad imaginem Dei effigiata fuerit, oſtendemus. Primò autem inquirendum erit, an præter prædictam divinæ voluntatis legem, alia ſit in cœlo & natura idearum, intelligentiarum, fatalis, vel deorum minorum lex, cui ratio humana ſubjiciatur, & quomodo Plato aliiq; philoſophi eam ſtatuere videantur.



De lege Cœli.

CAP. V.

11. *Lex cœleſtis.* CVm Plato harmonicam omnium rerum conſonantiam & continuationem contemplaretur, & à Deo omnia per gradus & media ad homines devenire videret: nonnunquam ita locutus eſt, quaſi eadem media ad rationem hominis conſtituendam aliquid conferre opinaretur. Et cum omnia divina opera ſuſpicienti, proximè à Deo præſtantiſſimum & planè divinum cœli opificium, ornatu & virtutibus ſtupendum occurreret, divinæ juſtitiæ vel legi proximè ſubordinavit legem cœleſtem. Cum item in Ægypto à præceptoribus ſuis audiviſſet, & accuratâ omnium rerum conſideratione deprehenderet nihil à Deo vitæ, vel principiorum ejus, motus & appetitus expers eſſe productum, (de quo infra

Plato vitam ejusve principia videt in omnibus.

cap.

cap. 12. plura dicemus,) *in Timæo & alibi* omnibus & singulis rebus, toti mundo, cœlo, terræ, stellis & aliis inferioribus creaturis, suas ideas & animas attribuit, ut ex Platonis, item Plotini *enn.* 4. *lib.* 4. *& alibi passim*, Cæl. Rhodig. *lect. antiq. lib.* 1. *cap.* 5. 12. 19. Apuleii, *de doctr. plat.* & aliis, imprimis Platonicorum scriptis videre est. Ita Platoni mundus est animal animatum, ut *in politico* inquit, Τὸ πᾶν τόδε, τοτὲ μὲν αὐτὸς ὁ θεὸς ξυμποδηγεῖ πορευόμενον, καὶ συγκυκλεῖ. τοτὲ δ' ἀνῆκεν, ὅταν αἱ περίοδοι τοῦ προσήκοντος αὐτῷ μέτρον εἰλήφασιν ἤδη χρόνου. τὸ δὲ πάλιν αὐτόματον εἰς τ' ἀναντία περιάγεται, ζῶον ὄν, καὶ φρόνησιν εἰληχὸς ἐκ τοῦ συναρμόσαντος αὐτὸ κατ' ἀρχάς. *Universum hoc; aliàs Deus ipse regit, agitat atq; rotat, aliàs vero dimittit, cum mundi circuitus competentia sibi curricula temporis expleverunt. Mundus vero ultrò ac libero tum motu contra reflectitur, uam & vivit & sapientiam ab eo, qui ab initio construxit illum, est sortitus.* Plato, ut hîc & in Timæo videre licet, cœlo non summam Dei, sed proximam à Deo potentiam ac gubernationem adscribit: quem sequitur Balbus apud Ciceronem *in* 2. *de nat. deor.* qui Deum agnoscit summum & primum omnium gubernatorem, *dico igitur*, inquit, *providentiâ deorum mundum & omnes mundi partes ab initio constitutas esse, & omni tempore administrari*: & paulò post, *nihil est nec majus nec melius mundo, necesse est ergo eum deorum consilio & providentiâ administrari*: Sed nihilo minus Mundo quoq; mentem, voluntatem & divinam potestatem tribuit, adeò ut

Cœlo animam & rationem tribuit.

 putet

putet mentis expertem esse qui negare ausit mundum mentem habere. Aristoteles quoq;, *2. de cœlo. t. 13.* ὁ δὲ οὐρανὸς, inquit, ἔμψυχος, καὶ ἔχει κινήσεως ἀρχήν. *cœlum animatum est & habet motus principium.* v. Iavell. *12. Metaph. q. 15. & 16.* Scalig. *exerc. 6. & 7.* & alios qui physica vel metaphysica tractant. Ita Platonicis & aliis quibusdam philosophis prima lex omnia gubernans erat Deus, secunda vero statuebatur cœlum seu lex cœlestis, voluntas & operatio cœli, quâ mediante lex divina ad homines devenire putabatur. Hoc primum constituto, postea alii mundum, cœlum, planetas, stellas, & tandem quicquid ibi videbant aut fingebant Deos appellare cœperunt. *v. Lactant. lib. 2. instit. cap. 5. & lib. 7. cap. 3.* & quia, ut ipsi opinabantur, summus rector constituisset ac *fatus* esset, se omnia per media administraturum, ex eo *fato*, (hoc est decreto & voluntate, sic enim Nonius *cap. 4. & 15.* fatum interpretatur,) nunc omnia, mediantibus & auxiliantibus Diis cœlestibus, in vita humana regi tradiderunt. Si vero Trismegistum *in Pœmandro*, Platonem *in Timæo*, Macrob. *in somn. Scip. lib. 1. cap. 12.* Augustin. *lib. 8. 9. & 10. de civit. Dei.* Plotin. *en. 2. lib. 3.* accuratè inspicimus, Platonis & antiquorum philosophorum opinio non fuit, humanam rationem à Diis illis cœlestibus produci, sed tantum corpora nostra cœlesti influxu & planetis auxiliantibus componi arbitrati sunt, animas vero, in quibus ferè solis veram hominis

Alii ex cœlo Deos produxerunt.

Et fatum.

Et putarunt omnia humana vi cœli regi.

Vnde & quomodo hic error natus.

nis essentiam posuere, à solo summo Deo esse statuerunt. Cum vero talibus de rebus obscurè & indistinctè loquerētur, seipsos & lectores suos confuderunt, ut fato per corpus & temperamenta non in vegetativam & sensitivam tantum, sed etiam in rationalem animam aliquid imperii concessisse viderentur: unde fati & deorum cœlestium crevit autoritas, & legum divinarum ac cœlestium, quibus homo regi putabatur, nata est multitudo.

Et hoc videtur esse commune principium plurimorum, ferè dixerim omnium errorum, quod discipuli, dum scire festinant, præceptorum suorum verba & mentem non satis percipiunt: sed arreptis in sua præjudicia quibusdam generalioribus primò obviis, cum postea in applicatione specialium hærent, suo ex cerebro quæ nesciunt affingunt. Hi etiam vocabulorum ambiguitate, quæ ex rerum obscuritate ac varietate, verborumq; penuria nascitur, facillimè decipiuntur: & quando priscam simplicitatem magnifico figuratoq; dicendi genere superare student, aliis plures aberrandi occasiones relinquunt. Sic quæ propriè & impropriè de rebus dicuntur, sic laudes & vituperia rerum, per continuatas & cumulatas à pluribus auxeses mensuram veritatis excedere, & tandem ingentia in mendacia procumbere solent. Vt cum ab initio sancti patriarchę de uno Deo & pluribus in una deitate personis, vel de angelis Dei in ecclesia loqueren-

Principia errorum, negligentia.

Et impropria verba.

Sic ignoratione Dei & angelorum.

tur, quod essent spiritus cœlestes, incorruptibiles, incorporei, magnæ potentiæ, miuistri Dei, flammæ, stellæ &c. atq; etiã varia nomina & officia illis distribuissent. *Ps.* 104. *v.* 4. *Apoc.* 1. *v.* 20. *Coloss.* 1. *v.* 16. *Eph.* 1. *v.* 21. *Gen.* 3. *v.* 24. *&* 32. *v.* 1. & plurimi auditorum hæc negligentius discerent, errores statim subrepsere. Zoroaster primò effinxit Iynges. *v. Rhodig. lect. antiq. lib.* 9. *cap.* 4. *&* 23. de quibus antiquissimi philosophi in Ægypto plurima tradiderunt, ut reliquiæ scriptorum evincunt. Sed cum lapsu temporis hæc omnia obscuriora fierent, & Plato Ægyptiorum oracula non satis perciperet, nec tamen à recepta Magorum omnium opinione recedere auderet, ex incorporeis istis spiritibus nobis Ideas formavit: Aristoteles, suo ingenio plus quam autoritati tribuere assuetus, Ideis loco pulsis substituit Intelligentias, ut hæc omnia ex imperfecto doctrinæ de angelis intellectu nata esse videantur. Cum enim angeli ab initio non malè spiritus divinæ (puta finitæ & à Deo acceptæ) potentiæ vocarentur, paulò post illa phrasis essentialiter intellecta, ipsiq; angeli Deorum in numerum recepti sunt. Sic cum pii Deum soli comparassent, vel solis magnam virtutem quam divinitus accepit prædicassent, cœpit deinde sol pro Deo coli: qui porro, cum variis nominibus honoris ergo appellaretur, ferè infinitos Deos genuit, ut Macrob. 1. *Saturn.* 17. *& sequentib.* putet, per omnes ethnicorum Deos & Deas unicum

Iynges.

Idea.

Et Intelligentia.

Pro angelis essentia.

Sol pro Deo & omnibus Diis cultus.

nicum solem significari. Simili modo alii mentem humanam & divinam ejus originem celebrarunt, usq; dum tandem ex hominibus tàm defunctis quàm mortali in corpore viventibus Deos facerent. Sic enim apud Ciceronem *in somn. Scip.* Africanus: *Sic habeto, te non esse mortalem sed corpus hoc: nec enim is es quem forma ista declarat, sed mens cujusq; is est quisq;, non ea figura quæ digito demonstrari potest. Deum igitur te scito esse, siquidem Deus est qui viget, qui sentit, qui meminit, qui prævidet, qui tam regit, & moderatur, & movet id corpus cui præpositus est, quàm hunc mundum princeps ille Deus. Et ut ipsum mundum ex quadam parte mortalem ipse Deus æternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet.* Sic cum Plato & ejus præceptores duplicem facerent musicam, aliam sonoram, aliam numeralem & mutam, quæ in numerorum congruentia consistit, & prædictam cœlestium spirituum harmonicam cooperationem vocassent Musicam, Cicero *in somn. Scip. & ibid.* Macrob. *lib.* 2. intellexêre musicam sonoram, quasi astra magnum sonum & strepitum ederent dum circumaguntur. Sed nos missis hisce gentilium erroribus unum tantum verum Deum agnoscendum & colendum scimus, quapropter etiam unius Dei unam voluntatem seu unicam tantum divinam legem, de qua in capite præcedenti locuti sumus, ponimus, plures leges aut potestates vitam humanam gubernantes non agnoscimus, quocunq; tandem nomine

Homines inter Deos relati.

Quid cœli Musica sit.

Cur hæc monenda.

illæ venditentur. Scimus enim angelos non contrectores, ſed miniſtros Dei & piorum hominum familiares eſſe; at idearum vel intelligentiarum imperio hominis vitam ſubjicere impium eſt: de ſtellarum vi ac gubernatione inferius plura dicemus. *Cur hæc monenda?* Hæc autem hoc loco monenda fuêre, ut lector videret quid Plato per legem cœli voluerit, & quomodo eam in opinionem devenerit: ut item præpararet judicium ſuum ad illam de fato diſputationem, de qua infra plura erunt dicenda. Nec videbatur alienum ab hoc loco, ubi principia veritatis & veræ rationis humanæ inquirimus, ſimul principia errorum, circa Deum, cœlum, naturam & hominem, ſeu circa legem divinã, cœleſtem, naturalem & humanam occurrentium, detegere. *Cur inferius absolvenda?* Sed priuſquam de lege cœli quæramus utrum & quatenus ad gubernationem humanæ vitæ ac naturæ aliquid conferat, de natura elementari & humana agemus, ut quid ea ſit, quidve hiſce appellationibus ſignificatum velimus, intelligatur: poſtea repetita quæſtione, an lex humana talis ſit, ut ad ejus conſtitutionem cœlum aliquid operari poſſit, videbimus.



De lege Naturali ſeu elementari.

CAP. VI.

III. Lex Naturalis. TErtia legum gubernantium Platoni eſt Natu-

Naturalis. Sunt autem variæ Naturæ significationes, quas prolixè explicare non est nostri instituti. Illas tantum quæ ad intellectum legum de quibus hic agimus faciunt, quæq; ad evitandam confusionem phrasium nostrarum pertinere videbuntur, breviter attingemus.

Primò itaque natura dicitur de omni quod est & aliquid operatur, quo sensu etiam Deo tribuitur natura, ut apud Senec. 4. *de benef. cap.* 7. *Natura, inquit, hæc mihi præstat: non intelligis te cum hoc dicis mutare nomen Deo? quid enim aliud est natura quam Deus & divina ratio toti mundo & partibus ejus inserta:* de hac natura, seu de Deo diximus supra *cap.* 4. Secundò natura sumitur pro tota universitate rerum creatarum, ut cum dicimus naturam à Deo creatam esse; Deum esse supra naturam; quò modo Cicero 1. *de legib.* ait, *Deorum immortalium naturâ naturam omnem regi.* locum integrum supra *in fine capitis* 3. posuimus. Tertiò natura specialiter tribuitur cœlo, cum de materia & forma cœli ejusq; virtutibus loquimur, quò spectat caput præcedens. Quartò natura etiam dicitur de elementaribus, ut cum quid naturaliter generari aut corrumpi dicimus. Quintò natura tribuitur speciebus rerum creatarum, ut cum loquimur de natura hominum, equorum, leonum. Cic. 1. *de legib.* de homine inquit *solus est ex tot animantiũ generibus atq; naturis particeps rationis & cogitationis.* Variæ sunt præterea acceptiones naturæ, sed hęc ad nostrum institu-

Naturæ acceptio varia.

tum sufficiunt, *v. Conimb. 2. phys. cap. 1. qu. 1. Zabarel. de natura cap. 4.*

Quam naturam hic intelligamus.

Quanquam vero tanta sit cœlestium cum elementaribus conspiratio, ut quemadmodum corpus & anima unum hominem, ita cœlum & elementa unam tantum naturam constituant, & ob id plerumq; appellatione legis naturalis tam cœlestium quam elementarium virtus & operatio intelligatur, ut & nos infra sub uno fati nomine utramq; significabimus, nunc tamen Platonem sequimur, qui legem cœlestem à naturali distinxit. Sic & Cicero naturam quandam agnoscit, in hisce elementaribus operantem, influxus cœli non quidem expertem, attamen à lege cœlesti distinctam, ut *in Philip. 1, multa impendere videbantur, præter naturam etiam, præterque fatum.* In ea significatione etiam Plato legem naturalem à lege cœlesti distinguit, ut per legem naturalem intelligat seriem causarum elementarium & operationem naturæ, quâ se in elementaribus, quę alterationi obnoxia sunt, perpetuò conservat & regenerat. Hæc natura homini communis est cum omnibus corporibus elementaribus, quapropter illam melioris intellectus gratia *communem* seu *elementarem* appellare placet. Cic. 5. *de finib. nihil probibet quædam esse & inter se animalibus reliquis, & cum bestiis homini communia, quoniam omnium est natura communis.* Aliàs cum de homine verba fiunt, appellatione naturæ humanam tantum intelligi cuivis notum est.

Puta-

Digitized by Google

Cur natura communis hic fiat mentio.

Putabat itaq; Plato legem divinam gradatim per legem cœlestem ad hanc naturalem, & ab ea tandem ad hominem descendere. Id si eo sensu dictum interpretabimur, quod Deus omni naturæ & creaturæ inclinationem quandam ad idem bonum, quod in homine beneficio rationis perficitur, cognoscitur & appetitur, indiderit, & quod tota natura perfectionem hominis pro viribus juvet, omni caret vitio: si vero ita accipiatur, quasi cœlum & natura aliquid cooperentur ad necessitatem actionum humanarum, & regendam ipsam humanam rationem, erroneum est, ut infra videbimus cum de virtutibus cœli & naturæ in refutatione fati agemus. Cum vero ethnici historiam creationis, & quod Deus homini rationalem animam inspirasset, ignorarent seipsos sepè confuderunt, & de homine modò quasi à Deo creatus, modò quasi à natura productus esset, locuti sunt. Ita nonnulli, cum de hominis origine, natura & anima dicturi essent, de natura communi aliquid præfati sunt. Ut Cic. 1. *de legib.* inquit: *Cum de natura omni quæritur, disputari solent nimirum ista, sicut disputantur: perpetuis cursibus, conversionibus cœlestibus extitisse quandam maturitatem serendi generis humani, quod sparsum in terras atq; satum, divino auctum sit animorum munere: cumq; alia quibus cohærent homines, è mortali genere sumpserint, quæ fragilia essent & caduca, animum tamen esse ingeneratum à Deo.*

Quidam illi, à natura communi exorsi.

Iurisconsultorum nonnulli studium juris à Deo & lege divina incæperunt, ut sup. *cap.* 4. docuimus. Legem cœlestem, *de qua cap.* 5. *dictum fuit*, vel quod ad studium juris minus facere videretur, vel quod cum naturali conjungeretur, Cicero *in libris de legibus* specialiter non attigit: nec ulla ejus apud Iureconsultos invenio vestigia, nisi quod in disputationibus de fato & voluntate hominis nonnulla latent, quæ tam ad legem cœlestem quam ad naturalem spectant. Ergo alii juris autores exorsi sunt à lege naturali, & horum quidam ab ea naturali lege, quæ hominibus cum omnibus animalibus in terra vel mari viventibus est communis, quod Vlpianum fecisse *ex l.* 1. *D. de Iust. & jure.* infra docebitur. Alii vero propius, à lege humanæ naturæ incœperunt, ut Pomponius & Hermogenianus. *l.* 2. *&* 5. *D. de Iust. & jure.* fortè etiam Cajus, *l.* 1. *D. de orig. jur.* nam de iis, qui legem cœlestem & naturalem communem expresse non attigerunt, nihil certi est, utrum à lege divina an vero ab humana fuerint auspicati, cùm propter materiæ cohęrentiam, tùm propter scriptorum superstitum brevitatem ac mutilationem. Cuivis ergo suas cōjecturas relinquo, an Pomponius, Hermogenianus, & Cajus de Deo & lege divina aliquid præfati fuerint, ut supra *cap.* 4. suspicabar, an vero statim ab homine ejusq; ratione incœperint. Cum enim integra illorum scripta nō extent, impunè conjectare licet. Quod

autem

autem & apud Philosophos & apud Iureconsultos consuetum fuerit à natura communi incipere vel de ea aliquid præfari, nobis observandum, ut deinceps, cum legis naturæ mentio fiet, rectè percipiatur de qua natura sermonem habeamus. Sola enim hæc confusio videtur disputationes illas, quæ de jure naturali cum brutis communi *ad l. 1. D. de Iust. & jure* repeti solent, peperisse. Quod vero ulterius de lege naturæ communis quærendum erat, an ea ad actiones humanas aliquid conferat, vel an lex divina per hanc ad homines descendat? ad disputationem de voluntate hominis in hujus libri finem reservamus. Lex humanæ naturæ propria à Platone vocatur lex humana, de qua nunc porro erit agendum.



De lege naturæ humanæ.

CAP. VII.

LEgem humanam, quam Plato quartum locum obtinere voluit, eò oportet explicare diligentius, quo ad nostrum institutum accedit propius. Et quia nihil non controversum fecêre philosophi, vera opinio, quâ ex re homo & natura humana constet, brevissimè proponenda est. Gentiles, cum depravationem humanæ naturæ negare non possent, & partem spiritualem hominis, *rationem*, semper sursum

IV. Lex humana.

Homo constat anima & corpore.

ſurſum & ad bonum, terreſtrem vero partem, *corpus*, per vitia quædam rationi contraria deorſum ad malum vergere videret, putarunt id quod verè ac propriè homo vocari poſſit, merè ſpirituale eſſe. Ita verum hominem ſolâ rationali animâ conſtare, & purè intelligibilem eſſe opinabantur, cui ſenſibile corpus, quaſi veſtimentum vel habitaculum ignobilius & veri hominis eſſentia indignum, ad tempus aptaretur. *Vide Triſmeg. in Poemandro. Platon. in Alcibiade I. in Convivio & in Phædone. Plotin. enn. 6. lib. 7. enn. 1. lib. 1. Ciceron. in ſomn. Scip. & ibi Macrob. lib. 2. cap. 12. & alios, inprimis philoſophiæ Platonicæ ſectatores.* Arriſit idipſum recentioribus nonnullis, qui phraſes quaſdam de ſubigendo & occidendo per ſpiritum homine carnali in eccleſia receptas, huc applicare voluerunt. *ut 1. Corinth. 2. v. 15. 2. Cor. 4. v. 16. Eph. 4. v. 24. Rom. 6. v. 6.* At non opinor à nobis refutationē hujus erroris expectari, cum hæc opinio peccatum tantum in carne, & animam incorruptam ponat, & ſacræ literæ expreſſè doceant hominem duabus ex partibus eſſentialibus, animâ & corpore compoſitum eſſe, quarum neutra ſeparatim homo vocari poſſit. *Gen. 2. v. 7. Mat. 10. v. 28. Theſſ. 5. v. 23.* Ergo anima rationalis & corpus unam hominis naturam componunt: & quanquam anima rationalis ad naturam & formam hominis conſtituendam præſtantior pars ſit, *Zabar in Phyſ. lib. de natura: & de mente humana Conimbr. 2. Phyſ.*

cap.

Digitized by Google

cap. 1. non tamen decet eam ita prædicare ut corpus abnegemus. Fovent etiam & occulunt eundem errorem, qui in quæstionibus theologicis, aut philosophicis ita loquuntur, quasi actiones vel passiones quædam *humanæ*, & tamen ita alterius tantum partis esse possint, ut ad alteram nullo modo pertingant. Sunt quidem nonnulla quæ vel corpori vel animo primò & propriè competant, & videntur humana omnia ejus conditionis esse; verum omnia ista secundariò per naturalem unionem partium etiã alteri parti competunt, aut non competunt *homini*, quia pars hominis nõ est homo, & quod essentiali hominis parti non competit, quomodo dici potest homini competere? Universaliter in omnibus verum est, ut humanum non sit quod ad alterutram partem nullo modo pervenit, quia humanitas est totius compositi & naturæ humanæ, non partis unius tantum.

Nunc, quia *natura juris à natura hominis repetenda* erit, ut Cicero 1. *de legib.* docuit, ne nos naturæ humanæ ignoratio seducat, qua in re illa consistat videndum. Natura humana non consistit in iis quæ homini cum brutis sunt communia, nam ita bruta quoq; essent homines: nec in corruptione illa, quæ post lapsum corpus & animam pervasit, sed in bonitate & perfectione formæ ac materiæ hominis: cum utraq; pars, anima & corpus, consideratur in propria & vera sua essentia, in qua Deus hominem *In quo consistat natura humana.*

nem primò composuit ac perfecit. Deus enim humanam naturam in Adamo constituit integram, & Adam antè lapsum humanam naturam habuit: peccatum verò nec Deus creavit, nec Adam antè lapsum habuit: ergo peccatum non est de essentia naturæ humanæ. Quapropter cum de natura humana loquimur, non intelligimus legem carnis, pravos affectus, malitiam cordis humani vel quid simile, sed veram naturam humanam, qualis à Deo corpore & animâ rationali in primo homine est creata. Quæ vero ex peccato sunt, per accidens sunt in homine, & ad essentiam humanæ naturæ non faciunt. Arist. 2. *Phys. t.* 3. naturam definit quod sit *principium & causa motus & quietis in eo in quo inest primò, per se, & non secundum accidens*: unde Th. Aquin. *in* 1. *sec. qu.* 10. *art.* 1. *naturale illud esse dicitur rei, quod ei convenit secundum suam substantiam, hoc est, quod per se inest rei.* Ex quibus elicimus, humanæ rationi id naturale esse quod ratio agit per se, vi suæ essentiæ, non vi peccati per accidens inhærentis. Omne naturale, ut Arist. 2. *Phys.* docuit, est substantiale: peccatum ergo nobis non est naturale, quia de essentia animæ vel corporis non est, cum nec ante lapsum fuerit, nec post contractum reatum anima aut corpus in peccatum transsubstantiatum sit, sed est qualitas accidentalis quæ nostræ naturæ ut morbus inhæret. Ut vero nemo unquam naturale dixit quod naturam destruit, & per accidens

Digitized by Google

cidens constitutæ jam & completæ naturali essentiæ supervenit, ita nos id tantum homini naturale esse dicimus, quod de illius essentia & per se inest, quodq; ad bonum & conservationem naturæ tendit. Augustin. *de civ. Dei lib. 11. cap. 17. Vitium contra naturam est, ut non possit nisi nocere naturæ. Non itaq; esset vitium recedere à Deo, nisi naturæ, cujus id vitium est, potius competeret esse cum Deo. Quapropter etiam voluntas mala grande testimonium est naturæ bonæ.* vide eund. *lib.* 12. *cap.* 1. 3. & alibi, quia vitia de essentia naturæ non esse, sæpius inculcat. Apparet ex hisce, quando legem humanam, hoc est, principium ac normam motus & quietis actionum humanarum, & ex ea jus homini naturale quærimus, ubi ea indaganda sint: nempe non in iis quæ ex corruptione contra naturam & per accidens in homine hærent, sed iis in partibus quæ hominem essentialiter constituunt. Harum duæ sunt, anima rationalis & corpus, in quarum alterutra principium motus statui oportet. At vero apud Physicos extra controversiam ponitur, formam non moveri primò à materia, sed materiam à forma, nec posse primum principium motus in accidenti aliquo poni, sed in substantiali, ea enim quæ movent & substantia non sunt, non esse prima moventia, sed secundi moventis vel instrumenti habere rationem, ut calor in animalibus, gravitas in lapidibus. Erit itaq; principium & regula motus ac quietis, & lex actionum

Lex humana ubi quærenda.

Motus hominis ab anima.

num humanarum ipsa anima, quæ est actus purissimus & forma hominis. *vide Piccolom. gr. mor. 2. cap. 41. & sequentib. Zabar. de mente hum.* Anima rationalis facultates suas proprias & perpetuas habet, intellectum & voluntatem, è quibus intellectus semper cum ratione conjunctus inter honesta & utilia dijudicando præest, ut voluntatem instruat ac regat; quod quia legis est, statuimus legem quâ homo regitur esse rationem humanam. Quo sensu Cic. 1. *de legib.* accipit quod Græci νόμον à νέμειν vel ἀπὸ τοῦ νοὸς, latini legem à legendo vel delectu rationis, quod de omnibus prudenter judicet, & cuiq; suum conveniens tribuat, denominatam volunt. Eodem respexêre stoici de quib. Plutarch. *lib. de virtute morali*, κοινῶς δὲ πάντες οὗτοι τὴν ἀρετὴν τοῦ ἡγεμονικοῦ τῆς ψυχῆς διάθεσίν τινα καὶ δύναμιν γεγενημένην ὑπὸ λόγου, μᾶλλον δὲ λόγον οὖσαν αὐτὴν ὁμολογούμενον, καὶ βέβαιον, καὶ ἀμετάπτωτον ὑποτίθενται. *Communiter autem omnes isti virtutem constitutionem quandam, & vim ejus animi partis in qua principatus inest, ratione comparatam, aut ipsam potius rationem sibi consentientem stabilem atq; immutabilem existimant esse.* nec ipse Plutar. inficiatur legem esse vivam rationem in homine, lib. πρὸς ἡγεμόνα ἀπαίδευτον. cum ait. τίς οὖν ἄρξει τοῦ ἄρχοντος; ὁ νόμος, ὁ πάντων βασιλεὺς θνητῶν τε καὶ ἀθανάτων, (ὥς φησι Πίνδαρος) οὐκ ἐν βιβλίοις ἔξω γεγραμμένοις, οὐδέ τισι ξύλοις, ἀλλ' ἔμψυχος ὢν ἐν αὐτῷ λόγος ἀεὶ συνοικῶν καὶ παραφυλάττων, καὶ μηδέποτε τὴν ψυχὴν ἐῶν ἔρημον ἡγεμονίας. *Quis ergo imperabit principi? Lex, omnium rex mortalium atq; immor-*

Anima rationalis est lex humana.

mortalium, (ut ait Pindarus) non ea foris scripta in libris, aut lignis insculpta : sed viva in ipsius corde ratio, semper una habitans atq; excubans, & animum nunquam sinens esse principatus vacuum. & Philo inquit, νόμος ἀψευδὴς, ὁ ὀρθὸς λόγος, οὐχ ὑπὸ τοῦ δεῖνος θνητοῦ φθαρτὸς ἐν χαρτιδίοις ἢ στήλαις ἄψυχος ἀψύχοις, ἀλλ' ὑπ' ἀθανάτου φύσεως ἐν ἀθανάτῳ διανοίᾳ τυπωθείς. *Vera lex recta est ratio, non ab hoc aut illo mortali mortalis in chartula aut lapide inanima inanimis notata, sed ab immortali natura in mente immortali impressa & insignita.* Sic & Cicero rationem pro lege humana agnoscit *lib.* 1. *de legib.* cum inquit: *Lex est ratio summa, insita in natura, quæ jubet ea quæ facienda sunt, probibetq; contraria : eadem ratio cum est in mente hominis confirmata & confecta, lex est. Itaq; arbitrantur prudentiam esse legem, cujus ea vis sit, ut recte facere jubeat, vetet delinquere.* Subjicit statim: *A lege ducendum est juris exordium, ea enim est naturæ vis, ea mens ratioq; prudentis, ea juris atq; injuriæ regula.* & paulò inferius. *Quibus ratio à natura data est, iisdem & recta ratio data est, ergo & lex quæ est recta ratio in jubendo & vetando.* & iterum. *Est enim unum jus, quo devincta est hominum societas, & quod lex constituit una : quæ lex est recta ratio imperandi atq; prohibendi.* Et *lib.* 2. *de legib. est enim lex nihil aliud nisi recta & à numine deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibensq; contraria.* Idem sentit Clem. Alexand. *lib.* 1. *pædag. cap. ult.* Cum Cicero ait, *ratio insita est in natura : data est à natura*: rationem homini vult esse naturalem :

quando vero ait, *à numine deorum tracta est*: indicare vult, rationem non esse tale quid, quod influxu cœli & operatione elementaris naturæ generari potuerit, sed nobiliorem habere originem,

Tolluntur dubia.

At dixerit aliquis, quæri à nobis legem quæ semper bona & superior sit, æmulam divinæ legis à qua ad nos descendat: rationem vero, etsi à Deo data sit homini, non tamen semper regere, quia sæpè fallatur, frequentius affectibus abripiatur, interdum totis viribus in malitiam incumbat, non posse ergo legem humanam statui rationem. Respondeo hominem quidem semper lege aliquâ regi, sed non semper solâ lege bonâ humanæ rationis. Est enim in homine una *lex rationis*, quæ bona & à Deo naturæ insita est, vocaturq; naturalis, quia est de essentia ejus naturæ quâ homo est homo: ea est vera & prima lex humana, ad gubernationē vitæ humanæ homini naturaliter à Deo data: quæ etiam rectè præesset & regeret, nisi per legem peccati infirmata esset, nunc autem, etsi propter inhærentem pravam qualitatem nullum purè bonum opus præstare possit, nihilominus est in homine, & adhuc præstare potest naturaliter opera non purè bona, ad vitam tamen coram homine politicè degendam non inutilia. Peccatum vero in culpa est quod nos hodiè sola recta ratio non regit, habet enim hodiè homo plures leges in sese. Et quidem ipsa anima humana duas habet par-

Multa leges in homine.

Lex humana, rationis.

partes, quarum una rationis particeps, altera expers est, in qua sunt affectus homini cum brutis communes. Quando ergo rationem negligit, & parti animæ rationis experti se regendum tradit, tum regitur *lege naturæ communis*, non lege naturæ humanæ: At *natura vult, ut ratio quæ divina est, imperet brutæ parti quæ ex ipso corpore ortum habet, ideoq; in illud demersa & contemperata similis ejus fit, corporeisq; referta affectibus*. Verba sunt Plutarchi *ex lib. de virtute morali, ubi vide plura ad hanc quæstionem pertinentia.* Est præterea in homine *lex carnis* seu peccati, quæ ex accidenti, contra naturam & mala est, & tamen hominem infestat. Confligentibus igitur hisce legibus, quatenus lex rationis est superior, eatenus homo movetur verâ naturali & propriâ suâ lege, agitq; ut homo: at ubi affectus imperant rationi, regitur lege irrationali, agitq; ut brutum animal: cum vero, ut plerumq;, lex carnis sese legi irrationali adjungit & imperium occupat, tum nullâ naturali sed accidentali lege regitur, & agit ut peccator. At nos supra diximus, quæri hîc à nobis *naturæ*, non cum brutis communis, sed *humanæ* legem, eamq; considerandam esse naturaliter, non qualis est ex accidentali morbo, sed prout est in vera essentia. Hoc ergo volumus, hominem, cum verâ suâ naturali lege solâ ut homo regitur, tum regi ratione, & rationem esse veram ac propriam humanæ vitæ legem. *vide Piccolom. gr. morali. 2. cap. ult. & gr. 5.*

Lex naturæ communis.

Lex peccati.

Digitized by Google

cap. 29. Apparet hæc legum in homine diversitas ex obluctatione rationis, quæ carni etiam summa in scelerum delectatione delictum exprobrat, ut Iuven. *Sat.* 13. inquit.

Exemplo quodcunq; malo committitur ipsi
Displicet autori, prima hæc est ultio, quod se
Iudice nemo nocens absolvitur.

Et Persius *Sat.* 5.

Stat contra ratio, & secretam gannit in aurem
Ne liceat facere id quod quis vitiabit agendo.

Cum autem homo, acquisito jam peccandi habitu, totâ animâ suâ ad malum abutitur, tum non amplius agit ut homo, nec ullâ lege naturali gubernatur, sed lege peccati, anima sese in servitutem ejus mancipante. Ipsa alioquin ratio pura & natura humana per se, quia à Deo est, nunquam ad malum tendit, sed cum voluntate Dei consentit, ut Plutarch. *de auditu* inquit ταὐτόν ἐστι τὸ ἕπεσθαι θεῷ καὶ τὸ πείθεσθαι λόγῳ, *idem est Deum sequi, & parere rationi*, quod capitibus sequentibus paulò fusius explicabimus. Removendæ prius sunt aliæ objectiones, quibus quidam negare volunt rationem esse naturalem hominis legem. Dicunt itaq; aliud esse legem imperantem, aliud id cui imperatur: at si ratio statuatur lex, eadem imperaret sibi, essetq; simul agens & patiens. Sed nihil nobis officiunt hæc, statuimus enim rationem imperare non sibi, sed voluntati & corpori. Intellectus hominis primo intelligit, actionem autem deinde voluntati & corpori impe-

Cui imperet ratio.

imperat & in iis regit. Quamvis enim homo ita à Deo conditus ſit, ut naturaliter intelligere & agere poſſit, non tamen propterea primò & propriè purus intellectus vel mera actio eſt, ut opinabantur illi quorum opinionem ſupra rejecimus, ſed manet in homine diſtincta corporis & facultatum animæ officia, quorum ſemper quodq; uni parti competit primò, alteri vero ſecundariò per unionem naturalem. Quapropter nihil impedit quo minus ratio ſibi ipſi lux, voluntati vero & corpori gubernator eſſe poſſit. Tandem & illud nihil proficit, quod objicitur legem eſſe jus, at rationem non eſſe jus cum ipſa conſtituat jus, *l. omnes 9. D. de Iuſt. & jure. §. 1. Inſtit. de jure nat.* quamvis enim lex nonnunquã pro jure ſumatur, revera tamen ab eo differt, ut *lib.* 2. oſtẽdemus. Quod vero ad illorum argumẽta attinet, qui nullam actionum humanarum legem internam in homine agnoſcunt, & rationem vitamq; hominis juxta negant cum omnia neceſſariò ex fato aut decreto Dei immutabili evenire docent, ea inferius refutabuntur. Conſtet itaq; legem actionum humanarum, & regulam vitæ humanæ naturalem eſſe ipſam hominis rationem. An vero tota ratio lex ſit dubitari poterat, cum multa ſint in intellectu quæ tamen primò non præcipiant vel gubernent: ſed quia omnia quæ in intellectu ſunt præceptionem informant, & actionibus humanis facem præferunt, rectè dixeris hominem totâ men-

Ratio eſt lex, at non ius.

An tota ratio ſit lex.

te cum omnibus virtutibus ſuis pro lege & regula vitæ uti, licet non omnis actus mentis æquè propè ad præceptionem accedat. Verum de actu mentis & operatione intellectus inquirant metaphyſici, nos ad alia progrediemur, & quomodo per legem humanam lex divina nobis communicetur ac innoteſcat, inquiremus, ut agnitionem voluntatis Dei, quæ eſt primum humanum juris principium, in homine demonſtremus.



An lex rationis humanæ conſentiat cum lege voluntatis divinæ.

Cap. VIII.

Probandum quod ratio intelligat ius verum.

DAri legem aliquam in homine, & rationem ipſam eſſe regulam vitæ humanæ præcedenti capite dictum eſt. Quia vero eò ſpectat omnis hæc diſputatio, ut evincamus verum illud jus, quod originaliter & eſſentialiter in Deo eſſe nemo negat, ab homine cognoſci, noſtramq; rationem & juriſprudentiam inde natam cum juſtitia Dei conſentire, probandum eſt rationem humanam jus Dei intelligere & actiones hominis ad voluntatem ejus dirigere poſſe. Difficilem & periculoſam hanc quæſtionem fecerunt theologorum diſſidia, quorum nonnulli rationem omnem damnant eamq; etiam in vero ſuo uſu Deo inimi-

micam esse imprudentius asserunt, alii eam in corruptione sua, vel in iis quæ fidei tantum sunt nimium prædicant & extollunt. Necessarium tamen est ut rationis usum per se bonum & Deo nullo modo contrarium esse probemus, ne totam Iurisprudentiam repudiare cogamur. Iustitiam Dei dupliciter revelari & homini contingere docemur in ecclesia, nempe vel ex lege & operibus, vel ex gratia & fide. De justitia fidei nos hoc loco non agimus, eam enim supra rationem esse & fidei tantum revelari fatemur *Ioh. 1. v. 17. 18.* De justitia legis quæstio est, eaq; duplex; prima, an homo justitiam legis Dei naturaliter per rationem cognoscat? secunda, an ea cognitio ejusq; usurpatio Deo per se sit invisa? nam si alterutrum concedatur, vel quod ratio nostra Deo per se in vero suo usu inimica sit, vel quod ea verum jus quod in Deo est non apprehendat, totam Iurisprudentiam pessum ire necessum est. De utraq; quæstione ordine agemus, ubi prius lectorem iterum monuerimus nos loqui de puris naturalibus rationis, eamq; in suo vero usu considerare. Nam quid peccatum agat, quidve ratio peccato corrupta cognoscere & agere velit aut nolit, & quid pleriq; agant homines, nihil ad nos attinet: non quid faciat ratio corrupta, sed quid naturaliter facere possit & debeat quæritur.

De iustitia operum quæritur.

Quod intellectus intelligat & ratio naturaliter ratiocinetur, de eo neminem dubitare posse

Intellectus hominis verè intelligit vera.

posse certum est. At si intellectus verum nunquam intelligit, aut id quod reverâ est apprehendere nequit, non est intellectus. Rationem enim non rationem & intellectum nihil veri intelligentem statuere, id implicat contradictionem. Est etiam absurdum opinari rationem ita à Deo constitutam esse, ut naturâ suâ falsum citius cōcipere possit ac velit quam verum, cum tota natura à falso & à nihilo abhorreat. Intellectus itaq; naturaliter ita creatus est à Deo, ut res intelligibiles verè intelligere possit. Fuisse deinde in primo homine imaginem Dei, hoc est ut saniores theologi accipiunt, voluntatis ac justitiæ Dei cognitionem sufficientem ac veram, ejusq; appetitionem & operationē quatenus creaturæ competere potuit, perfectam, sacræ literæ docent. Illo integritatis in statu, si homo verum bonum & justū quod essentialiter in Deo est nō cognovit, imaginem Dei nunquam habuit, siquidem illa in falso veri conceptu consistere non potuit. Nam quod homo post lapsum bonum & malum cognovisse dicitur, scimus non ita accipiendum esse quasi per lapsum sapientior & in mente sua perfectior factus fuerit, (eâ enim ratione nec Christus tam sapiens fuerit quam homo peccator) sed quod magnâ pietate in solo bono occupatus, inq; eo unicè ut in Deo ipso cum delectatione acquiescens, malum sibi & Deo inimicum quærere ac tentare noluerit. Quemadmodum enim illos vide-

Homo ad imaginem Dei factus necessariò intelligit vera.

demus, qui toti ſincero amore ardent nihil mali machinari poſſe; nec quicqnam contra dulcedinem amoris velle, ſed acquieſcere in iis ſolis quæ amoris ſunt, à triſtibus autem ita abhorrere ut nefas putent ejus ſuſpicionem aut mentionem habere: ita multo magis homo ante lapſum totus amore Dei & proximi ſui ardens, in ea ſancti amoris abundantia acquievit, & omnes vires ſuas in hoc amore occupatas tenuit, nec quicquā mali (quippe cujus nullus uſus eſſet amanti) quæſivit. Nemo ergo dubitat hominem ante lapſum, quo magis ſe totum indagationi veritatis & operationi juſtitiæ devovit, eò etiam in ejus cognitione & operatione fuiſſe perfectiorem. Hanc rationem & cognoſcendi facultatem in homine per peccatum penitus extinctam eſſe negamus, quia non deſiit homo eſſe, & nec corpus mutavit nec animam, ſed eandem naturam priorem retinuit. Corrupta eſt natura, non deleta, manſerunt ergo priora naturalia. Ideo Deus *Gen. 3. v. 22.* de homine lapſo inquit, *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum*, ubi peccatum in homine arguitur, ratio illi non denegatur. Et Paulus *Rom. 1. 2. & 7.* juſtitiam Dei nobis adhuc naturaliter per rationem notam eſſe fatetur. Intelligit itaq; adhuc ratio, & quidem eandem juſtitiam Dei quam cognovit homo ante lapſum. Ut enim per lapſum ipſa natura hominis mutata non eſt, ita nec duplicem juſtitiam habet Deus,

Natura hominis in lapſu non extincta, ſed corrupta.

Homo itaque legem adhuc intelligit naturaliter.

Digitized by Google

us, ſed eadem nota erat homini ante lapſum, quæ poſtea in tabulis Moſaicis eſt conſcripta, *Exod.* 20. ut vel unicum illud colloquium, quod Adam *Gen.* 2. *v.* 22. *& ſeq.* cum Deo & conjuge ſua habuit teſtatur. Sed manifeſta non egent probatione, ideo non opus cenſeo argumentis in medium prolatis evincere, quod homo adhuc per rationem cognoſcat juſtitiam & voluntatem legis Dei. Duplex tamen dubitandi cauſa hic poterat occurrere, ſed quæ nullo negotio tollitur. Primò, cum Deus in lege ſeipſum ſuamq; ſapientiam, voluntatem, juſtitiam & veritatem patefecerit, quæ in divinitate omnia ſunt infinita & eſſentialia, finitus autem noſter conceptus infinitatem divinitatis exhaurire non poſſit, videtur etiam fieri non poſſe ut juſtitiam Dei quæ in lege lucet aſſequamur. Lex enim in ſua eſſentia eſt lux illa inacceſſibilis in qua Deus habitat, & altitudo divinitatis quā nulla mens humana comprehendit. Sed reſpondemus, non requiri infinitam ſapientiam ab homine ut juſtitiam Dei quantum homini ſufficit cognoſcat, ut nec à ſenſibus requiritur ut totum mare & omnia quæ in mundo ſunt videant, ut ſciant terram & mare eſſe. Infinitas non eſt de eſſentia cognitionis rei præſentis. Altera dubitatio huic ferè ſimilis eſt, quâ dicitur ideo legem Dei ratione cognoſci non poſſe quod non ſint ómnia ratiocinationis, ſed quædam revelationis & præſuppoſiti. Nam cum demonſtrationum

Reſpond. iis qui putant hominem non poſſe intelligere juſtitiam legis.

hu

humanarum processus in infinitum non detur, ratio semper in extremis & naturâ primis principiis subsistit, ibiq; præsupponit vel autorem de cujus fide, vel notitiam de cujus certitudine dubitare nefas esse putet, atq; ita evenit ut summi rationis apices non sint demonstrationis sed præsuppositi. Verbi causa: præsupponitur apud omnes homines esse Deum, eumq; justum, veracem, &c. *Rom. 1.* & tamen nulla ratio assequi potest quid sit Deus? videtur itaq; lex Dei sine speciali revelatione divina intelligi non posse. Hac ratiunculâ quidam interdum ita utuntur, ut ignorationem juris naturalis in seipsis excusent, Deum è contra accusent quod eos non crearit Deos omniscios, vel quod illis specialia miracula, raptus, revelationes & similia non dederit, cum tamen dubitatio nullius sit ponderis. Nam ut intellectus humanus infinitus sit, id ad cognitionem veritatis non requiritur, ut nec ad conspectum cœli tanto opus est oculo. Nec opus est circa res naturâ intelligibiles novas revelationes expectare, siquidem naturaliter ita comparatum est, ut semper ubicunq; intellectus noster subsistit, ibi infinitatem ratiocinationis nostræ præcidat & suppleat rerum evidentia, quæ ulterioris demonstrationis necessitatem ita tollit, ut sol meridianus sub sudo cœlo lumen ardentis candelæ. Idq; universale est in omnibus homini scitu necessariis, quapropter nihil est ut quis causetur se omni-

scium

Digitized by Google

scium non esse, aut revelationes à Deo speciales non habere, ergo jus naturale intelligere non posse. Vanæ sunt istæ excusationes & ineptæ, cum justitia legis Dei quatenus supra rationis nostræ captum est, jam sit tam manifesta, ut ratio ideo desinat ulteriores probationes quærere quia soli facem nequit præferre. Utuntur hoc argumento nonnulli qui seipsos vel barbaros populos excusare volunt quasi naturaliter ita constituti non sint ut possint jus Dei nosse, in quo Paulo *Rom.* 1. expressè contradicunt: Sed apparebit hujus excusationis vanitas capite sequenti, ubi eandem naturam humanam in omnibus hominibus esse ostendemus.

Cur justitiam legis intelligamus imperfectè.

Id tamen negari non potest jus Dei hodiè ratione solâ imperfectè intelligi, sed ea culpa non est Dei aut naturæ, quæ nullam unquam imperfectionem intendit, verum aliæ sunt nostræ ignorantiæ causæ, quarum præcipuas brevissimè enumerabimus. Prima & principalis est *lex peccati*, quæ rationem obfuscat, à veritate avocat, & in iis etiam quæ novit diffidentiæ imbuit. Videmus ethnicos, licet Deum esse non ignorarent eumq; justissimum & optimum faterentur, tamen dubitare ausos esse an sit Deus, an curet res humanas, an velit etiam mala fieri, an sit summè bonus, an sit liberrimum agens? in hisce & similibus ponitur & negatur Deus, quorum illud rationis est, hoc contra rationem ex lege peccati. Qui vero ipsi

Digitized by Google

ipsi rationi & vero ejus usui hasce dubitationes imputant, injuriam faciunt Deo creatori, quasi nos naturaliter contrapugnantiâ rationis in sui contumeliam depravasset. Putant nonnulli evacuari usum evangelii nisi ratio illi statuatur contraria: sed nihil periculi est, si modo probè attendamus ut fructus legis, quem ratio sola ex ea percipit per se, distinguatur ab eo legis fructu quem evangelium ex ea extruit, quando peccatori salutem promittit & satisfactionem legis in Christo ostendit rationi per se ex lege non notam. Nullum fere video vitium quod ethnici philosophi non reprehenderint, & mirandum quosdam in cognitione legis naturæ tantum præstitisse: sed tamen propterea solâ ratione resipiscere, & verum legis fructum qui in ecclesia traditur percipere non potuerunt. Est enim id observatu dignum neminem omnium Dei misericordiam implorasse pro peccatorum suorum remissione. Nempe agnitio justi est rationis, at resipiscentiam impedit lex peccati, spes salutis vero est ex evangelio. Ratio enim nullam justitiam novit nisi ex operibus, ubi vero eam non invenit ibi salutē non sperat, sed damnat, minitatur & metuit pœnam. Verum lex peccati persuadet non esse metuendum periculum, & blanditur rationi ut statuat Deum nostris peccatis tam graviter non irasci, ratio autem, etsi metuat & nihil boni sibi præsagiat, tamen spem & remedium salutis non videt.

Quam-

Quamvis itaq; ethnici rationis usum non contemnendum habuerint, non tamen assecuti sunt eum quem ecclesia percipit fructum legis, nempe ut ad salutem resipiscerent, quia lex peccati rationi obstabat,& quia resipiscentia talis quâ peccatorum remissio petatur & speretur non potest ex sola lege proficisci, sed elicitur ex lege per evangelium & annunciationem gratiæ,contra desperationem ex agnitione peccati ex lege sola per se existentem. Ideo Lactant. *lib. 5. justit. cap.* 15. *& lib. 6. cap.* 8. rectè putat profanâ ratione solâ non posse percipi legem Dei, sed conjungendam esse cum philosophia pietatem, illiq; rationem esse immergendam, ut quæ rationi desunt pietate suppleantur, si veram legis cognitionem ejusque fructum percipere velimus. Altera causa ignoratæ legis Dei est quotidiana operatio & approbatio mali, quia lex peccati in homine non tantum resistit bono, sed etiam exercet malum. Quod vero quisq; exercet & in quo semper occupatus est, id maximè novit. Hanc causam designat Cic. 3. *Tusc.* ubi conqueritur nobis cum lacte nutricis errores instillari, & simul atq; editi in lucem & suscepti simus, in omni continuo pravitate & summa opinionum perversitate nos ita versari, ut tandem extinctis bonis naturæ igniculis vanitati veritas, & opinionibus natura ipsa cedat. Tertio nos in lege Dei rudes efficit communis oscitantia, quod nemo cordi habet justitiam inqui-

Digitized by Google

quirere, ſed quiſq; in alienis eſt occupatus & in vanitatibus. Quouſq; vero excitata ratio in cognitione legis progredi poſſet, ex ſcriptis ethnicorum qui in juſtitiam paulò diligentius inquiſiverunt licet conjicere. Nec dubium eſt, ſi ſe totos ſerio & indefeſſo ſtudio indagationi juſtitiæ devoviſſent, eos multo altius aſcendere potuiſſe, cum tantum obiter inter alias ſuas occupationes præſtare potuerint.

Quarta cauſa eſſe poteſt quod plurimi tacitâ præſumptione omnia credenda & imitanda eſſe ſtatuunt, quæ majores tradiderunt, de quo Lactant. *lib. 2. inſtit. cap. 7.* ſatis graviter conqueritur. Hiſce accedunt impedimenta corporis & vitiorum moralium, cum corpora noſtra ita corrumpimus intemperantiâ, ut anima nullas bonas operationes in iis exercere poſſit, de quo vide Platon. *in Phædone.* porro princeps hujus ſeculi varias nobis obducit errorum nebulas, & tantas humanis in negotiis præſtigias facit, ut poſſibile non ſit hujus Protei dolos omnes animadvertere. Hæ & ſimiles cauſæ ſunt quod legem Dei non ſatis intelligimus, non Deus aut natura. Quando vero hæ ignorationum cauſæ invaleſcunt, ibi homines tandem brutis ſimiles vel etiam depravatiores redduntur, ſed nec illi rationis eſſentiam accuſare poſſunt, cum ea per ſe ſemper bona ſit, & depravatio non arguat rationis defectum ſed corruptionem. Inprimis vero de exterioribus quæ ad vitam politicam ſpectant nemo un- *De iuſtitia politica recte indicat ratio.*

unquam dubitavit, rationem in iis non abludere à voluntate divina, quapropter tanto confidentius affirmare possumus, ea quæ ratio in Iurisprudentia tradit à Deo non improbari. Attendendum modo ut recta ratione utamur nec errorem pro veritate arripiamus, quod fiet si rationem excitemus, sobriè de rebus meditemur, brutæ animæ parti ratione imperemus, pravis affectibus & legi carnis resistamus, viros prudentes consulamus, & Dei auxilium imploremus. Habet præterea ecclesia Dei lapidem Lydium, decalogum, qui nostræ rationi facem præfert, & docet quid verum aut falsum, quidve insufficiens coram Deo.

Error quomodo vitetur.

Sed dubitaverit fortè aliquis, an amissa imagine Dei ratio manere potuerit, & anne concessa ratione aliquid imaginis divinæ adhuc agnoscamus in homine? Cui respondemus humanam naturam non extinctam esse in lapsu sed corruptam, alioquin à lapsu nemo amplius homo esset. Imago Dei autem non fuit substantia sed qualitas secundum naturam, quæ tota perire potuit salvâ substantiâ hominis. Et nos tanto recessimus longius ab imagine Dei, quod justum bonumq; scimus, & tamen operamur malum eoq; delectamur, *Rom.* 1. *v. ult.* Successit enim in locum bonæ qualitatis amissæ alia huic contraria & prava qualitas, cujus instinctu malum amplectimur & cum delectatione agimus. Non autem qui norunt tantum, sed qui observant etiam legem, placent Deo,

Ratio manere potuit, amissa imagine Dei.

Deo, *Rom.* 2. *v* 13. & *cap.* 7. *Gal.* 3. *v.* 10. *Ioh.* 13. *v.* 17. quia lex non tantum scire sed multò magis facere requirit, & servo voluntatem domini scienti nec tamen facienti adauctas plagas denunciat. *Luc.* 12. *v.* 47. Potuit itaq; salvâ rationis essentia nihilominus non tantum imago Dei tota periisse, sed & pessima qualitas illius in locum successisse.

Cavendum vero ne ratio ullo modo per se & in vero suo usu Deo inimica statuatur, neve lex Dei in honorem Evangelii ulla minima contumelia afficiatur, non tantum quia ea ratione Iurisprudentia & tota philosophia repudiantur, sed quia contradictio legis & evangelii Deo est injuriosa. Nihil Deus creavit contra se, nec unquam ullo modo sibi ipsi fuit contrarius, non potest itaq; in ratione ipsa & in lege aliquid esse quod Deo per se sit invisum. Loquuntur nonnulli imprudentius, quasi ratio per se sit inimicitia contra Deum, & ita legem evangelio contradictoriè opponunt, quod tantum de abusu rationis, cum ea lege peccati decepta nimium sibi tribuit, accipiendum est, alias enim pulcherrima harmonia est legis cum evangelio. Nam quod lex & ratio volunt, justos esse nos & beatos fieri per observationē ejus legis ad quam facti sumus, id Christus nunquam negavit, si modo, ut præsupponitur, lex integrè observetur. Pergit vero theologus & docet, quia hæc conditio naturæ depravatæ facta sit impossibilis, aut nullam nobis ex lege

Ratio Dei per se non est inimica.

E com-

competere justitiam, aut merito & munere illius tantum qui legem observavit. Hunc esse unicum Christum, in eo humanam naturam satisfecisse eidem divinæ justitiæ & humanæ naturæ legi, quam ea olim in Adamo violaverat. Hujus totam satisfactionem nobis ex gratia annunciari, offerri, omnibusq; qui ei fidem habeant imputari. Iustitiam itaq; humanæ naturæ contingere non in Adamo, cum ille contra legem peccarit; nec in nobis ipsis & operibus nostris, cum neq; nostrum quisquam observet legem; sed in Christo solo, ut qui solus sit in quo natura humana legi suæ satisfecerit. Hæc est connexio legis cum evangelio, ubi ego certè nihil contrarii video. Quin potius contra legis contemptores id constanter assero, legis usum evangelio esse necessarium, ut ex ea cognoscat homo quid sibi desit, quæ pœne injustos maneant, & quam omninò nulla salus ex lege contingere possit peccatori. Præclarè Paulus *Rom. 3. v. ult.* docet legem non destrui per evangelium sed *stabiliri*, quia evangelium est testis perfectæ justitiæ legi præstandæ, & annunciatio gratiæ, humanæ naturæ ex impletione legis partæ. Et notabile est, Christum omnesq; prophetas & apostolos primas conciones suas à lege incœpisse, ut auditores suos per ipsam rationem & propriam conscientiam convincerent eos justos non esse, & misericordia Dei indigêre. Errant ergo Antinomi qui rationis & legis usum per se damnant,

cum

cum lex non modo evangelio nihil obsit sed plurimum prosit, imò sit necessaria. Illi vero qui legem à malo dæmone ortam opinantur, ut Manichæi, Cajani, Simoniani & Carpocratiani, de quibus August. *de hæres. cap.* 18. 46. *lib.* 2. *contra advers. legis cap.* 12. Iren. *lib.* 1. *cap.* 24. Niceph. *lib.* 4. *cap.* 3. & alii testantur, illi omninò insaniunt & seipsos rationem à diabolo habere dicunt. Damnata itaq; & ad diabolum detrusa anima rationali, quomodo illi verbum Dei intelligere & evangelium, cujus in honorem se legem calumniari arbitrantur, ejusve causam & finem explicare possunt? Simili modo & illi errant vehementer, harmoniam legis & evangelii (quam Paulus *Rom.* 3. ponit quando legem per evangelium *stabiliri* dicit) tollunt, legem evangelio contradictoriè opponunt, & unum per alterum destruunt, qui opinantur Deum unquam quid contra legem suam fieri voluisse, & hominem non sponte contra voluntatem Dei, sed ex immutabilis decreti divini necessitate lapsum esse, ut Deus posset manifestare gratiam & evangelium. Eâdem ratione dixerim tollendos esse magistratus, politias evertendas, & homines rationali anima privandos esse, ut ministri Dei evangelium tanto melius explicare possent. Si enim Evangelii fructus ex violatione legis nascuntur, nihil magis fructuosum erit evangelio, quam quod maximè est contra legem & rationem. Eâdem etiam ratione vellet Deus nos

Digitized by Google

omnes per incredulitatem peccare contra evangelium, ut esset locus & usus aliquis legi, & ut fructus ille damnationis, quem Deus ex lege voluisse statuitur, ad omnes pertingeret. Unicus finis est legis & evangelii, nempe *hominũ salus*: si finem legis obtinuisset Deus per nostram obedientiam, impletione legis per Christum non fuisset opus, & alieno merito non indiguissemus. Si noluit hunc finem ex nostra obedientia, ne vult eum ex aliena. Si voluit nos omnes perire ex lege in Adamo, vult etiam neminem salvari per impletionem legis in Christo. Nam quos per legem perire vult, eos non potest per impletionem legis salvos velle, nisi perpetua contrarietas in Deo, & Christi totum opus redemptionis voluntati Dei directo repugnare statuatur. Non video quomodo λόγος Dei potuerit velle legem impleri in se & humanitate assumpta pro nobis, si immutabilis voluntas Dei voluit legem in tota humanitate nostra violari & nos perdere in nobis. Alterutrũ est necessarium: aut Deus voluit neminem peccare, & omnes homines per legem salvos fieri; aut si voluit omnes perire per legem & neminem debere salvum fieri juxta legem, vult etiam omnes perire per redemptionem quæ est impletio legis. Idq; unitas & conformitas voluntatis divinæ evincit, & forma redemptionis, quæ tota in satisfactione legis consistit. Dicant illi quo fine Christus legem pro nobis impleverit, si Deus vult omnes homines

mines vi legis damnari? Præterea redemptionis finis est restitutio in integrum: at si ea fuit hominum conditio ante lapsum, ut illis necessum fuerit peccare & cum tota posteritate à Deo deficere, eosdemq; ex immutabili decreto Dei vicissim redimi, in eandem conditionem Christus redemptos restituit, & sic peccando redimendoq; procedetur in infinitum. Sin autem Deus vult quosdam tantum salvos fieri per impletionem legis in Christo, voluit etiam quosdam tantum peccare contra legem in Adamo, & ita nec justitia nec misericordia Dei erit infinita, & statuetur contrarietas quædam in omnibus actionibus Dei sese mutuo terminans. Fuerit etiam Adam simul peccator & non peccator in una eademq; actione, ut & Christus in una redemptione simul redemptor, & non redemptor cum tamẽ nihil inveniri possit, quod contrariã hanc voluntatẽ in Deo cõstituat & terminet. Calvin. *lib. 2. Instit. cap. 7. n. 5.* inquit legis impletionẽ ex æterno & immutabili Dei decreto semper impossibilem fuisse & esse. Ibi legem & evangelium (quod est annunciatio gratiæ ex impletione legis partæ) sibi contradictoriè opponit, & statuit Adamum non potuisse non peccare, nec Christum potuisse pro nobis legem implere, nisi uterq; contra Deum ejusq; immutabile decretum agere voluerit. Quocunq; ergo nos vertamus, manet id quod diximus, aut voluisse Deum omnes homines salvos fieri per observationem

Digitized by Google

legis naturæ ad quam conditi ſumus, & velle omnes ſalvari per redemptionem quâ amiſſam legis juſtitiam hominibus reparavit; aut ſi voluit omnes in Adamo labi, & neminem obtinere finem legis, vult etiam neminem obtinere finem redemptionis, quia idem utriuſq; eſt finis, legis & evangelii, creationis & redemptionis. Damnatio vero peccatoris ſecundum legem, non eſt proprius finis & fructus legis â Deo ordinatus, ſed eſt fructus peccati contra legem commiſſi, qui non ex fruitione legis fructuum ſequitur, ſed ex eorum privatione. Iuſtitia non poteſt cauſa eſſe delinquendi, ſed cauſa juſtæ pœnæ eſſe poteſt delicti jam per injuſtitiam commiſſi, alioquin etiam noſtræ leges & tota juriſprudentia tanquam principalis cauſa ſcelerum eradicanda eſſet, & nemo pœna dignior foret quam lex & magiſtratus juſtitiam docens. Si vero hæc & infinita talia inconvenientia effugere volumus, cavendum eſt ne legem & evangelium in voluntate divina ullo modo ſibi repugnare ſtatuamus, neve legem propter evangelium, aut evangelium propter legem violemus. Non Theologiæ modo, verum etiam Iuriſprudentiæ res hîc agitur: ut enim conceſſa contradictione legis & evangelii, unicus utriuſq; finis mutuâ repugnantiâ è theologia tollitur; ita ex iiſdem fundamentis neceſſum eſt nos aut nullum juſtum jus, aut evangelio contrarium (quod idem eſt ac ſi nullum dicas) jus habere. Sed ab-

abrumpamus istas absurditates, quarum nullum exitum invenire licet. Quæret autem aliquis, si ratio voluntatem Dei apprehendit, cur apud Theologos & apud Paulum *1. Cor. 2. v. 14. & 3. v. 19. Coloss. 2. v. 8.* vapulet? Respondeo rationem ibi non damnari simpliciter, sed quatenus se opponit justitiæ fidei, & arrogat sibi judicium de rebus quæ supra rationem sunt. Cum vero id fiat per abusum & ex seductione legis peccati, non reprehenditur ibi ratio ipsa in se & vero suo usu, sed lex peccati arguitur quæ rationi fraudem facit: ipsa vero ratio accusatur per accidens, quatenus legem peccati sequitur. Nec repugnat nobis quod Paulus *Rom.* 7. legem quæ in homine est opponit legi divinæ, quandoquidem ut supra diximus plures sunt in homine leges Ambros. *ad d. cap.* 7. inquit, *Quatuor ibi leges nominat apostolus: primam legem spiritualem, quæ est etiam naturalis, reformatam per Mosen, ipsa est Dei lex. Deinde legem mentis consentientem legi Dei. Tertiò legem peccati, quam ex prævaricatione primi hominis in membris habitare dicit. Quartam vero quæ in membris videtur, dum suggerit mala & recedit.* Nos supra duplicem in homine posuimus legem, unam naturalem & bonam *rationis*, alteram accidentalem & malam *peccati*. Lex rationis à Deo est & ad Deum tendit, lex carnis per peccatum à diabolo est, cui & servit: nostra vero jurisprudentia ex lege rationis est, quod probè inculcandum propter illos qui omnem legem

Rationis abusum accusat theologi.

Quæ lex Dei opponatur.

nostramq; Iurisprudentiam ut sapientiam carnalem repudiant, quive rationem in vero suo usu Deo imprudentius opponunt. Meminerit autem benevolus lector, si quid inferius probabimus non esse contra rectam rationem, (ut usuras, usucapiones & similia) eo ipso probatum jam esse, id neq; contra voluntatem Dei aut doctrinam evangelii esse, cum recta ratio legem Dei intelligat, lex Dei autem ejus voluntati & evangelio non repugnet. Evincemus etiam inferius ex hisce principiis, malè constitui duplex jus, aliud soli aliud poli, cum jus poli sit idipsum quod homini in solo per rationem est revelatum. Tales enim usus prævidentes paulò copiosius de rectæ rationis usu agere, & lectorem ea de re monere voluimus.



An omnes homines legem rationis seu natura humana habeant.

Cap. IX.

An lex rationis sit in omnibus hominibus.

INquirendum ulterius est, an lex illa humana, quam naturalem hominis rationem esse diximus, sit in omnibus hominibus, an vero in quibusdam sapientioribus vel selectis populis tantum? Quod idem est ac si quæramus, an eadem natura humana omnibus hominibus sit communis? Tractat hanc quæstionem Bologn. in eruditissimo suo quem *de lege jure, & æquitate*

te scripsit libello, *cap.* 4. cujus utilitas est, ut re verâ aliquod naturale jus in natura humana, & jus rationis omnibus hominibus verè naturale esse probemus: ut omnes homines unâ societate juris naturaliter devinctos esse, & justitiæ Dei cognitionem ad omnes naturaliter per rationem devenisse ostendamus. Primo autem observabit lector quæri de *hominibus*, non de talibus animalibus quæ membra quædam corporis humani similia habent, & tamen reverâ homines non sunt, ut Simiæ & Satyri, *quibus præter figuram nihil moris humani*: Item Atlantes & Troglodítæ, de quibus Plin. *lib.* 5. *cap.* 8. *lib.* 6. *cap.* 30. *lib.* 7. *cap.* 2. quanquam Strabo *lib.* 1. & 2. *Geogr.* dubitat an omnia de iis gentibus relata vera sint, vide etiam Augustin. *de civ. Dei lib.* 16. *cap.* 8. Nec quæritur de abortubus & monstrosis molis in quibus humana natura propter materiæ malignitatem operationis suæ finem assequi non potuit. Neq; etiam de illis quæritur qui olim homines fuerunt, nunc autem non sunt, propterea quod formam hominis qua à brutis & statuis distinguitur non habent, ut sunt furiosi & mente capti: hi enim omnes, quo magis à ratione quæ forma hominis creditur deficiunt, eo minus inter homines numerari possunt. Nec dices Deum tamen & naturam hos tam stupidos esse voluisse, alioquin iis rationem meliorem dedisse. Respondeo, si Deus illis per naturam rationem & formam hominis seu legem naturæ humanæ dare no-

De verè hominibus quæri.

Cur omnes naturaliter perfecti non sint.

noluit, nec humanam jus ab iis voluit postulare. Sin vero Deus illos inter homines censeri voluit, non Deum sibi ipsi contrarium, sed aliam causam obstitisse oportet, quo minus eam rationis legem quam Deus ab iis requirere voluit assequerentur. Cum vero in Dei voluntate talis contradictio, quæ consequens sine antecedente, effectum sine causa, & rationis fructum ex denegatione rationis posceret, inveniri non possit, necessum est causam esse extra Deum. Ea duplex esse potest, vel in causis secundis naturalibus, vel in nobis ipsis. In causis secundis inest hoc modo, cum illæ propter finitam suam potentiam non possunt materiam cogere, sed ex subjecta materia conficiunt optimum quod possunt, non tamen perfectum quid, quia materia perfectius quid capere nequit. Ubi tamen natura per se accusanda non est, cum ea semper summo nisu in perfectissimum tendat, sed illi arguendi qui naturalibus bonis per imprudentiam, intemperantiam aliamve culpam aut fraudem mala immiscuerunt, quibus operatio bona corrumperetur. Ipsi vero qui alienâ culpa tales nascuntur ut veri homines non sint, nec in jure & philosophia, nec in theologia pro hominibus habentur. Omnia enim benè & malè facta æstimantur ex animo, qui nemini imputatur nisi quatenus adest, aut suo facto adesse potuit: qui citra suam culpam miseri sunt & naturali impedimento non possunt agere, à Deo & prudentibus hominibus pro-

propter impossibilia non accusantur. Neq; etiam objicies Deum cum causis secundis concurrere, ergo suo concursu & potentiâ divina id quod causis secundis ad actionem bonam perficiendam deerat debuisse supplere & obstacula removere. Nam concursus Dei causas secundas in naturalibus suis virtutibus tantum conservat, novam autem virtutem supernaturalem illis non affert, nisi ubi Deus vult miracula facere. Quod autem concursus Dei, seu conservatio naturalium causarum à Deo pendens ipsis naturalibus causis ordinariè & citra intentionem miraculi nullam novam virtutem superaddat, causa hæc est; quia si Deus semper supra causas naturales agere vellet, natura esset frustra & causæ secundæ essent inanes. Ea ratione Deus non conservaret naturam sed eam quotidiè & indesinenter mutaret, corrigeret, actiones ejus destrueret, & tandem omnipotenti sua præsentiâ totam naturam in omnibus actionibus suis depopularetur. Frustra ergo creasset naturam & causas secundas, imo nec creatione semel defungi & creaturas bonas suumq; ad finem & usum perfectas facere potuisset, si ille in omnibus actionibus divinâ suâ potentiâ specialiter operari voluisset. Quod cum fieri non posset ob causas gravissimas, quas in divina sapientia melius suspicari & tutius credere, quam nostro intellectu assequi nostrisq; argumentis demonstrare licet, sequitur Deum causas secundas semel bonas & ad usum suum per-

perfectas fecisse, easq; nunc tantum in naturali virtute sua conservare, novas autem vires illis non affundere nisi cum miracula existere debent. At mera miracula facere, est naturam tollere. Quæres tamen iterum, cur ergo Deus non prohibeat & in totum impediat pravas illas naturalium causarum usurpationes, ut concederet illas tantum in quibus nihil mali est, & quæ finem suum bonum operatione expeditâ rectè assequi possent? Respondeo, hoc iterum fieret per miracula, nam posita causa secunda in naturali suo esse, effectus ejus prohiberi nequit nisi miraculosè, ut cum Deus igni imperat ne urat *Dan.* 3. & soli ne luceat Mat. 27. *v.* 45. Deus nec addendo nec detrahendo naturalibus causis sine miraculo agere potest, quia quod præter naturales causas fit aut non fit id est idipsum quod mirum & miraculum vocamus. Sic itaq; natura cum suis causis & virtutibus earum iterum frustra esset, ex argumentis prædictis. Deinde, si omnes actiones causarum secundarum earumq; modi & qualitates è Deo esse deberent, tolleretur è natura appetitus, motus & vita, quod fieri non potuit *ut infra cap.*12. *&* 16. *docebitur*, nisi Deus naturam non naturam, & Vita creaturas nullas vivas creare voluisset, quod erat contra essentiam Dei. Natura dicta est quod aliquid nasci faciat, pro ut etiam φύσις dicitur à φύω & causa à causando, quia causæ secundæ eo fine à

Deo

Digitized by Google

Deo constitutæ sunt ut sint causæ, & ut agant aliquid motu suo naturali, quod fieri non posset si omnes actiones immediatè à voluntate Dei inciperent & desinerent. Hæc autem observanda sunt propter illos quibus decretum Dei semper in ore est, ut ubiq; in omnibus imperfectionibus & pravitatibus se & suam culpam excusent, naturam ejusq; autorem accusent. Si quid ergo ab hominibus conceptum & natum, culpâ hominum contra voluntatem Dei & naturæ votum homo non est, & rationis usum habere nequit, de tali animato vel inanimato nulla hic instituitur quæstio. Altera causa stupiditatis dicebatur in nobis ipsis esse, cum quis ipse in culpa est ut ratione suâ uti non possit, vel ratione suâ uti, & benè uti posset, & tamen non vult. Hanc causam Deo & naturæ nemo imputaverit, nisi qui seipsum vita & motu carere, omniaq; mala à Deo fieri asseverare velit, quod infra *cap. 11. & sequentib.* refutabitur. De his itaq; hominibus quæritur, qui naturaliter salva sensuum organa sanumq; mentis domicilium habent, qui non modo corpus humano simile, nec vegetationem & sensus tantum, sed & illam animæ facultatem habent, ob quam homo à brutis distinguitur, an & hi omnes naturaliter veram humanam habeant rationem, & an Deus velit ut eâ omnes eo fine quo naturam humanam rationabilem fecit utantur? Hominum naturaliter constitutorum quidam regenerati & pii sunt, de quibus an *De quibus hominibus quæratur.*

ratio-

rationem habeant & mentem divinæ legis intelligant neminem dubitaturum arbitror. Meditantur enim pii in lege Dei die ac nocte. *Ps. 1. os justi meditatur sapientiam, & lingua ejus loquitur judicium. Lex Dei in corde ipsius est. Ps. 37. v.* 30. Concedetur nobis id quoq; Platonem, Aristotelem & alios, quorum de virtutibus & vitiis proba extant judicia, habuisse veram rationem humanam. Vile est quod de hypocritis afferri poterat, qualis nobis proponitur Ananias *Act.* 5. & ille apud Horat. *lib.* 1. *epist.* 16. qui clara voce Deos virtutum largitores compellabat, petitionem vero ad Deam furum directam tacitè murmurabat,

Iane pater clare, clare cum dixit Apollo,
Labra movet metuens audiri, pulchra Laverna
Da mihi fallere, da justum sanctumq; videri,
Noctem peccatis & fraudibus objice nubem.

Cum enim omnes hypocritæ fugiant lucem, eo ipso indicant se non ignorare quid honestum justumq; sit, & ratione nequaquam destitui, si ea uti velint. Ad eos ergo tandem devolvitur quæstio qui vitiorum sibi acquisiverunt habitum, qui parti animæ irrationali & legi peccati se tradiderunt, & ut Paulus *Eph.* 4. *v.* 19. ait οἵτινες ἀπηλγηκότες ἑαυτοὺς παρέδωκαν τῇ ἀσελγείᾳ, εἰς ἐργασίαν ἀκαθαρσίας πάσης ἐν πλεονεξίᾳ *qui dolere desierunt & tradiderunt semetipsos lascivix, ad patrandam omnem immundiciam cum aviditate.* & ut *Rom.* 1. loquitur, *Qui Deum non curant, ideoq; à Deo vicissim traditi sunt* εἰς ἀδόκιμον νοῦν, ποι-

ποιεῖν

εῖν τὰ μὴ καθήκοντα, πεπληρωμένους πάσῃ ἀδικίᾳ qualis erat Iulianus apostata, Iudas Christi proditor, Commodus, Nero, Heliogabalus: quales etiam sunt barbari, hostes Dei, & anthropophagi qui seipsos mutuo devorant, *Solin. in polyhist. cap.* 25. 43. *Mela lib.* 1. *in descript. Cyrenaicæ.* item qui liberos suos Diabolis immolabant, *Levit.* 20. habentne hæc monstra hominum veram legem humanam seu rationem? Si habent, qui fit quod eâ non utuntur? si non habent, cur affirmatur legem rationis hominibus naturalem esse? an fortè desperati isti aliam habent rationem & naturam humanam quam pii & prudentes viri? an vero Deus & natura volunt eos homines esse, & tamen naturalia humanitatis illis non competere, quemadmodum alibi à quibusdam statuitur Deum condere quosdam homines, quibus tamen ea quæ totius humanæ naturæ æqualiter sunt (ut audire, sensibus & ratione uti, humanum esse, & similia) competere nolit? Videri poterat Ciceronem talibus deploratis legem humanam denegare, nam *lib.* 1. *de legib.* ait, *Lex est ratio summa insita in natura &c.* id autem statim sic explicat: *eadem ratio, cum est in mente hominis confirmata & confecta, lex est. Itaq; arbitrantur prudentiam esse legem, cujus ea vis sit ut rectè facere jubeat, vetetq; delinquere.* & *lib.* 2. *de legib. Ergo ut illa divina mens summa lex est, item cùm in homine est perfecta & in mente sapientis.* Sapientibus ergo & prudentibus tantum legem naturalem tri-

Videri desperatos non habere rationẽ.

tribuit Cicero : prudentia autem bonorum virorum propria est, *Aristot. 6. Eth. penult. & ult. Cic. 3. Offic.* Theophilus quoq; idem sentire videtur. *Instit. de jure nat.* cum ait, ἐθνικὸν νόμιμόν ἐστι τὸ κατὰ πάντων ἀνθρώπων, ἤγουν τῶν λελογισμένως βιοῦν ἐθελόντων ἐπεκτεινόμενον. *Ius gentium est quod ad omnes homines, aut eos saltem qui ratione vivere volunt, extenditur.* Sed non ita est : aut enim non sint homines, aut rationem & eandem quæ ab Adamo in omnes derivata fuit naturam humanam habeant oportet. Si facultatem animæ rationalem quâ homo à brutis distinguitur non habent, nostram in quæstionem non veniunt; si habent, oportet eos homines esse, siquidem statuitur eos formam & materiam habere humanam. Si materiam & formam hominis habent, oportet eos essentialia humanitatis non frustra habere, quia Deus & natura nihil faciunt frustra, cum frustra agere sit ineptire & nihil agere, seu eo fine facere ut tandem nullo fine & nihil feceris. Cum autem talis contradictio in Deum non cadat, sequitur velle Deum ut verè homo sit qui homo est, & ut rationis usum habeat sine quo homo esse non posset. Nec potuit talis à Deo constitui natura quæ generaret hominem rationis usum non habentem, aut quæ faceret ut ipsæ virtutes naturales causarum secundarum per se facerent hunc minus rationis habere quam illum. Deus unam creavit humanam naturam, nec ea generat hominem qui homo non sit, contra-

Omnes homines eandem habere naturam & rationis legem.

dictoria enim operaretur. Quapropter Paulus *Rom.* 1. *&* 2. neminem excipit, sed ex innata naturali cognitione legis omnes dicit esse inexcusabiles, sive legem à Mose promulgatam audierint sive non. Et Cicero affirmat omnibus hominibus unam naturam & rationem esse communem, nam 1. *de legib.* ait. *Nihil est unum uni tam simile tam par, quam omnes inter nosmet ipsos sumus. Quod si depravatio consuetudinum, si opinionum vanitas, non imbecillitatem animorum torqueret ac flecteret quocunq; cœpisset, sui nemo ipse tam similis esset quam omnes sumus omnium. Itaq; quæcunq; est hominis definitio, una in omnes valet, quod argumenti satis est nullam dissimilitudinem esse in genere &c.* paulò post concludit: *quibus ratio natura data est, iisdem etiam recta ratio data est, ergo & lex quæ est recta ratio in jubendo & vetando: si lex, jus quoq;: at omnibus ratio, jus igitur datum est omnibus.* & inferius: *Unum est jus quo devincta est hominum societas, & quod lex constituit una.* ubi unam eandemq; rationis legem omnibus hominibus communem intellige, ideo enim addit: *quæ lex est recta ratio imperandi atq; prohibendi.* Si hæc verba superioribus conferamus, mens Ciceronis hæc apparebit: nemini naturâ absurdam rationem ingenerari, sed omnibus dari æqualem. Si vero de lege humana qualis in sua essentia est loqui velimus, spectandam esse rationem prudentium & bonorum virorum potissimum, qui igniculos rationis naturâ datos excitarunt & rationi imperium dederunt: quod

autem tanta ſit diſſimilitudo humanorum animorum, non naturâ ſed pravâ aſſuefactione & hominum perverſitate evenire, & eos ſolos qui ratione ſuâ rectè utuntur vere dici rationem habere, qui autem rationis verum uſum non habent, eos quaſi ſine ratione vivere. Rationem igitur omnes habent, at non omnes eâ utuntur, quod & Theophili verba ſuperius poſita volunt. Non enim dicit quoſdam jus gentium non habere, ſed non omnes ratione & jure gentium uti velle. Huc reſpiciens Paulus *Rom.* 3. *v.* 3. docet, Iudæis credita eſſe eloquia Dei, & legem Dei illis traditam eſſe, nec referre quod quidam eam non cognoſcant, imò ſi nullus homo crederet, veritatem Dei tamen manſuram, omnes autem homines ſimul aberraturos, naturalem enim veritatem à Deo conſtitutam pravorum opinionibus non poſſe tolli. *Credita ſunt illis*, inquit, *eloquia Dei : quid enim, ſi quidam illorum non crediderunt ? nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit ? Abſit, quin potius Deus verax, omnis autem homo mendax*. Sed ne putes Deum nolle quoſdam homines ratione & ſenſibus uti *Eſa*. 6. *v*. 9. *Mat*. 13. *v*. 14. *Ioh*. 12. *v*. 39. reſpondeo hæc dicta *in illis ipſis capitibus & Rom*. 1. *aliiſq; innumeris locis* ſatis luculenter explicari. Non enim iſtis in concionibus Deus ſeipſum accuſat, quod ipſe cogat homines nec audire nec intelligere, ſed perverſitatem accuſat hominum, quod ipſi ſponte audire & intelligere nolint ut doceri & reſipiſcere poſſent.

Digitized by Google

ſent. Si ea culpa Deo imputabitur, impia & abſurda contradictio in iſtis concionibus & in tota theologia ſtatuetur. Deus nemini aures dedit ut non audiat, & mentem ut non intelligat, ſed naturalia dona omnibus hominibus eodem fine, nempe ut iis ad ſalutem ſuam benè utantur, eſt largitus. Qui vero naturalibus mediis, ſenſibus & ratione uti nolunt, hos nec Deus vult iis frui, verum id non effective quaſi Deus faciat ne poſſint rectè agere, nec finaliter quaſi hoc fine eos crearit, ſed materialiter & formaliter, quod cum vitam & motum proprium è natura tollere non poſſit, nolit tamen cauſas ſecundas quicquam boni operari, niſi in materia & forma ſibi à Deo conſtituta uſurpentur. Nihil itaq; ad rem facit utrum Iulianus, Nero & anthropophagi ratione utantur vel non, negari non poteſt quin rationem habeant, beneficio humanæ naturæ ipſis innatam, quâ uti poſſent ſi vellent. Idq; ſæpius re ipſâ demonſtrant corrupti, nemo enim, (niſi furore perpetuo laboret, de quo hic non loquimur) vitam ſuam ita inſtituere poteſt, ut vel ipſe ſua in conſcientia non ſentiat ſe rationem habere, vel eam opere aliquo externo non exerat. Nam ut nemo naſcitur ſceleſtiſſimus, ſed quiſq; qualis eſt diuturnâ aſſuefactione & aſſiduâ rationis cum carne luctâ evaſit: ita Nero, Heliogabalus & alii, unâ die ad infimum impietatis gradum non deſcenderunt. Nec videris ſtupidiſſima ingenia habuiſſe, qui iis peſ-

Optimorum ingeniorum abuſus peſſimus.

ſimè ſunt abuſi. Plato *lib. 6. de repub.* copioſè & eruditè diſſerit, neminem naturâ deteriorem aut meliorem naſci, ſed omnes ex aſſueſactione fieri. Inter alia ſic ait ἔχει δὴ (οἶμαι) λόγον, τὴν ἀρίστην φύσιν ἐν ἀλλοτριωτέρᾳ οὖσαν τροφῇ κάκιον ἀπαλλάττειν τῆς φαύλης. Ἔχει. Οὐκοῦν, (ἦν δ' ἐγὼ) ὦ Ἀδείμαντε, καὶ τὰς ψυχὰς φῶμεν τὰς εὐφυεστάτας, κακῆς παιδαγωγίας τυχούσας διαφερόντως κακὰς γίγνεσθαι· ἢ οἴει τὰ μεγάλα ἀδικήματα, καὶ τὴν ἄκρατον πονηρίαν ἐκ φαύλης, ἀλλ' οὐκ ἐκ νεανικῆς φύσεως τροφῇ διολλυμένης γίγνεσθαι, ἀσθενῆ δὲ φύσιν μεγάλων οὔτε ἀγαθῶν οὔτε κακῶν αἰτίαν ποτὲ ἔσεσθαι; *Eſt igitur ut arbitror, conſentaneum, naturam optimam, ſi diverſo alimento nutriatur, deteriorem evadere quam ignavam. Eſt utique. Hac itaq; ratione dicimus, Adimante, animos præſtantiſſimo ingenio præditos, ſi malè fuerint educati, peſſimos fieri. An putas infanda ſcelera & extremam nequitiam ex ignavo potius ingenio, quam generoſo, educatione corrupto, procedere, imbecillem vero naturam ingentium vel bonorum vel malorum quandoq; cauſam fore?* Non licet ergo argumentari, quo quis nequior eſt eo minus habere rationis, ſed contrarium ſtatuendum eſt, minimum rationis uſum eſſe apud ſtupidiſſimos & mente captos. Præterea non eſt dubium, iis qui ſe legi peccati tradiderunt die nocteq; à ratione monſtrari & occantari ſua ſcelera, ſiquidem id ne diabolis quidem qui extremè mali ſunt deſit, *Mat.* 8. *v.* 29. nec deerit damnatis in inferno. Audiamus quid Tacitus de epiſtola Tiberii ad ſenatum ſcripta *6. annal. His verbis exorſus eſt: Quid ſcribam*

bam vobis P.C. aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore, dii me deaq; pejus perdant, quam perire quotidie sentio, si scio. Ad hoc epistolæ exordium ita Tacitus: *adeò facinora atq; flagitia sua ipsi quoq; in supplicium verterant. Neq; frustra præstantissimus sapientiæ firmare solitus est, si recludantur Tyrannorum mentes, posse adspici laniatus & ictus, quando ut corpora verberibus, ita sævitiâ, libidine, malis consultis animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris suasq; ipse pœnas fateretur.* Illud facile concedimus lucem rationis non æquè fulgere in omnibus, & multos ignorare quid facere oporteat, ut Aristot. 3. *Eth.* 2. ait, omnes pravos ignorare quid facere deceat: sed hic ad distinctionem superius indicatam recurrendum, ut excusemus qui ætatis aut morbi impedimento hallucinantur, non excusemus qui sibi ipsis ignorantiam acquisiverunt, ut ebrii & iracundi, vel qui ingenia sua cum possent non excitarunt, aut habitus vitiosos sibi acquisiverunt: de hisce enim loquitur Aristoteles quod depravati sint, eos qui nullâ suâ culpâ mentis usum non habent commiseratione dignos judicavit, non pœnâ. Quod autem ratione suâ non omnes æquè utantur, & quod inter eos qui nullo sensuum aut corporis morbo impediuntur tanta sit in rebus dijudicandis differentia, causa non est quod duplex sit humanitas & humana natura, alia rationabilis alia irrationabilis, nec quod Deus hos ratio-

Qua hebetudo ingenii excusanda.

tione suâ melius uti velit quam illos, sed quód alii aliis in veritate indaganda sunt diligentiores. Unica tantum est humana natura, corpore & animâ rationali, tanquam ex materia & forma constans, ea æqualiter & tota, modo adhuc physicis ignoto, per individua propagatur. Quidam unam tantum humanam naturam & formam fatentur, & tamen in singulis individuis singularem naturam & formam hominis specificam statuunt, eo ipso quod animam hominis faciunt ex parte divisibilem & propagabilem ex alia parte non. Facultatem vegetativam & sensitivam propagari concedunt, at de ratiocinativa id negant, quam cælitus cuiq; infundi opinantur. Quo posito, præterquam quod anima in seipsa dividitur, & animæ duæ propagabiles à tertia in homine vivo & in momento concubitus separabiles ponuntur, sequitur non esse unam naturam & formam humanam omnibus speciebus communem: quia natura & forma hominis non consistunt in materia, nec in iis animæ facultatibus quæ nobis cum beluis sunt communes, sed in facultate ratiocinandi. Si vero hæc cuique nova creatur & cœlitus datur, sequitur quemq; habere peculiarem formam specificam hominis, nec esse inter omnes homines, quà homines, unam communem naturam & formam. Quod puto Ciceronem dicto loco voluisse cum dicebat, *Quæcunq; est hominis definitio, una in omnes valet, quod argumenti satis est,* nul-

Eandem naturam & rationem esse in omnibus hominibus.

nullam dissimilitudinem esse in genere: quæ si esset, non omnes una definitio contineret. Vidit Cicero ad fundationem juris humani naturalis pertinere, ut unam omnibus hominibus communem naturam statuamus, ideo plurimis argumentis evincit eandem naturam humanam esse in omnibus hominibus, nempe ex æquali omnium humanorum ingeniorum ad virtutes & vita addiscenda habilitate: ex notitiis omnibus hominibus æqualiter innatis: & ex æquali sensuum, phantasiæ & mentis in omnibus operatione. Et licet in quibusdam particularibus homines dissentire videantur, ostendit in iis ipsis tamen esse aliquid in quo consentiant. *Etenim ratio,* inquit, *quâ unâ præstamus beluis, per quam conjectura valemus, argumentamur, refellimus, disserimus, conficimus aliquid, concludimus, certè est communis, doctrina differens, discendi quidē facultate par. Nam & sensibus eadem omnia comprehenduntur, & ea quæ movent sensus, itidem movent omnium: quæq; in animis imprimuntur, de quibus ante dixi, incboatæ intelligentiæ, similiter in omnibus imprimuntur, interpresq; est mentis oratio, verbis discrepans, sententiis congruens. Nec est quisquam gentis ullius qui ducem nactus ad virtutem pervenire non possit. Nec solum in rectis sed etiam in pravitatibus insignis est humani generis similitudo. nam & voluptate capiuntur omnes, quæ etsi est illecebra turpitudinis, tamen habet quiddam simile naturalis boni: lenitate enim & suavitate delectans, sic ab errore mentis tanquam salutare aliquid adsci-*

scitur. Similiq; inscitia mors fugitur quasi dissolutio naturæ: vita expetitur, quia nos in quo nati sumus continet. Dolor in maximis malis ducitur, cùm suâ asperitate, tùm quod naturæ interitus videtur sequi. Propterq; honestatis & gloriæ similitudinem beati, qui honorati sunt, videntur: miseri autem qui sunt inglorii. Molestiæ, lætitiæ, cupiditates, timores, similiter omnium mentes pervagantur. Nec si opiniones aliæ sunt apud alios, idcirco qui canem & felem ut deos colunt, non eadem superstitione, quâ cæteræ gentes, conflictantur. Quæ autem natio non comitatem, non benignitatem, non gratum animum & beneficij memorem diligit? quæ superbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non aspernatur? non odit? Quibus ex rebus, cum omne genus hominum sociatum inter se esse intelligatur, illud extremum est, quod rectè vivendi ratio meliores efficit. 1. de legib. Sed qui indivisibilem statuunt animam rationalem ab aliis satis confutati sunt. Nos interim, dum illi probent animam rationalem propagari non posse, nisi ipsis de modo constet, & scitum suum de invisibilitate animæ rationalis, quod priusquam hunc nodum de propagatione solverent nimis citò divulgarunt, certius demonstrent, statuemus unam naturam humanam, materiâ & formâ seu animâ rationali & corpore in Adamo compositam, in omnia individua descendere, & ipsam etiam ratiocinandi facultatem consequenter ac secundariò per unionem omnium humanarum partium naturalem, quemadmodum alias anima sei-

psam

psam movere solet, propagari. Quod si una natura humana est in omnibus hominibus, sequitur non tantum materiale, sed etiam formale primi hominis, tanquā principale quod dat esse rei in omnes æqualiter propagari, ut ita dubitari non possit rationem cum natura omnibus hominibus esse communem. Sic eadem natura humana est bonorum & malorum; & ita etiam homines improbi participes sunt ejusdem legis naturalis, qua nihil est divinius, cum sit Deus ipse *ut lib. 3. cap. 8.* ostendemus: & communionem habent ejusdem naturæ humanæ quam Christus assumpsit, licet fructu ejus careant. Quia enim donis sibi à Deo ad bonum datis ultrò pessimè abutuntur, ergo etiam fructus percipiunt contrarios, nempe malum quod amplectuntur & operantur: quod ex verbis Pauli *Act.* 17. *v.* 27. 28. *Rom.* 1. 2. *&* 7. 1. *Cor.* 6. *v.* 15. 20. & aliis locis plurimis, ubi de usu legis naturæ & humana natura à Christo assumpta verba fiunt, copiosè posset illustrari. Idq; universale est, ut semper quo nobilior cujusq; rei usus, eò nocentior ejus neglectus, quia privat præstantissimo veri usus fructu; eoq; pestilentior ejus abusus, quia habet indignationē & detestationē Dei tanto severiorem. Et neglectum per se satis malum abusus multo pejor subsequi solet, ut plerumque neglectus virtutum earundem pariat contemptum, contemptus facinorosum abusum; qui est communis ad exitium progressus. Qua-

propter ex eo, quod quis ratione suâ abutitur vel omninò non utitur, colligi nequit quod ille ratione naturaliter destituatur, quodve Deus velit naturalia, quatenus in illo sunt, eatenus bona non esse, aut cum naturalibus bonis non posse uti frui ut bonis: sed statuendum est in tali homine naturalia bona interno quodam principio motus pravo corrumpi, malè applicari & suffocari. Quemadmodum enim multi, quiescente vel peregrinante alibi phantasiâ, apertis & sanis oculis nihil vident, ita ratio in multis præsens absens est, quia non excitatur. Unde sæpius fit ut vel belua, cum intendit vires animæ sensitivæ, longè superet hominem rationem suam non suscitantem. Sunt etiam, qui licet conentur de rebus judicare, tamen non possunt, quia non sunt assueti. Datur hoc observare in omnibus universæ naturæ rebus, quod omnia ex minimis incipiant initiis, & frequenti minutissimarum accessione tam latenter crescant, ut quamvis augmentum palpes, tamen ipsum crescere vix rationis acumine assequi possis. Hoc idem in acquisitione habituum, & in judicandi facultate evenit: qui seipsum ut sapere assuescat non acuit, ne tum quidem cum volet sapere poterit, quia omnes tam boni quam mali habitus, crebris actionibus & continuatis exercitiis acquiruntur. Patet itaque cur non omnes simus æquè sapientes, cum tamen omnes simus homines naturæ humanæ participes, & cur

Dissimilis hominum indicis modo.

qui-

quidem bestiis sint stupidiores? Quia ratione uti non assuescunt omnes, & multi vigilanti in corpore animum sopitum gerunt. Constat etiam cur nonnulli beluis sint depravatiores, ut magnâ cum aviditate & delectatione peccent? quia sibi vitiorum habitus acquisiverunt. Pro ut vero habitus acquisitus est, ita actio & judicium ex eo sequitur, ut apud Plut. *in Gryllo*, introducitur Græcus quidam Gryllus à Circe in porcum mutatus, qui nihil mavult quam porcus esse, & cum Ulysse disputat porcos hominibus virtute & fortunâ præstare, cum virtutes in porcis falso fingeret, easq; vitiis hominum tantum opponeret, non naturalia naturalibus, ut oportuit, conferret. Sed nos inde discimus ita evenire solere, ut beluinum & porci habeat judicium qui exuta humanitate sibi habitum vitæ porcinæ acquirit. Consuetudo tandem imitatur vel etiam suffocat naturam. Boni viri ita assuescunt veritati, ut loquantur verum etsi in præsentia de mandacii turpitudine non cogitarant: & pravi ita assuescunt mentiri, ut ipsi ignorent quoties & quam turpiter mentiantur. Hoc voluit Aristot. cum dixit pravos ignoratione peccare, & tamen excusandos non esse, quia sibi ipsi sint ignorationis causa: & Cicero 1. *de legib.* cum docuit eandem bonam naturam communem esse omnibus hominibus, at consuetudine malâ depravari multos, eo quod ratione non utantur. *Atq; hoc*, inquit, *in omni hac disputa-*

ta-

tatione sic intelligi volo, quod dicam naturam esse; tantam autem esse corruptelam malæ consuetudinis, ut ab ea tanquam igniculi extinguantur à natura dati, exorianturq; & confirmentur vitia contraria. Hic quidam Deum, vel (ut rectius loquantur,) cœlum & naturam accusant, quasi nunc post lapsum suo fato & temperamento non possint non pravi esse. Sed illi veram depravationis humanæ causam, quam modo ostendimus, dissimulant, falsam frustra comminiscuntur. Deus & natura semper & ubiq; æqualiter in bonum tendunt, & ad perfectionem nituntur, & cum male agere nec velint nec possint, nihil habent quod homini invito habitum aliquem vitiosum obtrudere conetur. Et inprimis id memoriâ tenendum, quod Deus, natura, fatum, temperamentum, & quicquid est in natura, ipsam qualitatem facti, ex qua actio bona vel mala cognominatur, non constituunt, sed illa qualitas pendet à nostro naturalium bonorum usu vel abusu. Omnia quæ facimus nostro assensu in actum producuntur, & cum tot sint virtutum magistri, Deus, cœlum, natura, ratio & sensus, nihil est quod ad malum incitet nisi sola lex carnis, cui beneficio rationis ac sensuum in externis, & auxilio Dei (quod virtutum cultoribus non denegatur,) eousq; poteramus resistere, ut secundum præscriptum rationis quemadmodum homines decet viveremus, *Gen.* 4. *v.* 7. *Mat.* 5. *Rom.* 1. & 2. Sed de fato & ejus vi agetur inferius: hoc loco tantum pro-

Falsò à quibusdam accusari Deum & naturam.

probare voluimus, rationem naturaliter esse in omnibus hominibus, & eandem naturæ legem justitiam Dei cgnoscentem omnibus esse innatam, non obstante quod magna pars hominum suâ culpâ rationis vero usu & fructu caret. Et ita ratio est alter & quasi proximus fons juris humani, vel potius ostium per quod justitia Dei illabitur in vitam naturamq; humanam: nam voluntas Dei in lege patefacta nobis naturaliter per rationem innotescit.

Ratio est rivulus, iuris divini, seu fons humanus prior.

Legem humanam duplicem esse, naturalem & civilem. Quid sit naturalis & quotuplex: Quid item sit lex civilis.

CAP. X.

Cum omne jus, quo utimur homines, ex naturali rationis lege oriundum naturæ conveniens sit, & tamen in quibusdam ab invicem differat, videndum quot modis lex rationis suum officium exerceat in homine. Homo rationabiliter consideratur à nobis duplici modo, naturaliter & civiliter: ideo ratio in homine duplicem constituit vitæ regulam, unam qua utitur cum hominem regit ut vivat naturaliter, alterum quâ facit illum vivere civiliter. Vita civilis non aliena est à natura, sed maximè secundum naturam, cùm quod homo societatis naturaliter amans est, tùm quod à

Regula vitæ duplex in homine.

Digitized by Google

ratione homine naturali instituitur ac gubernatur. Sed quia prout nunc est humana natura & societas, pro civili ordine constituendo & conservando quædam ab hominibus prudentibus observata & adinventa sunt, hæc rationis pars specialius nomen sortita vocatur ratio civilis, ut inferius apparebit. De naturalibus prius disserendum. Primò ratio hominem regendum naturaliter considerat ut totum, illiq; secundum naturam vivere suadet. Naturam cum dico, non intelligo naturam communem omnibus animantibus, nam edere & bibere est legis naturæ, at sensitivæ non rationalis, de qua nos loquimur. Lex rationis gubernat hominem ut secundum naturam rationis participem seu humanam vivat. Nec per naturam humanam intelligimus eam naturæ nostræ corruptionem, quæ post lapsum in natura hæret, nam ea nec est de natura ut in præcedentibus docuimus, nec naturæ consortio digna est, & ita vocatur natura ut pomi putredo fructus arboris aut graveolentia defuncti appellatur homo. Sed naturam humanam accipimus, qualem Deus in sua perfectione creavit. Ergo secundum naturam humanam vivere est piè, modestè, sobriè, castè & rationabiliter vivere: vera enim natura humana & ratio semper ad bonum tendunt. At libidinosè vivere & peccatis sese involutare, est ex lege & natura peccati juxta morbum naturæ & contra veram naturam vivere. Perinde enim ut

Quomodo homo secundum legem naturæ suæ vivat.

ut medici naturaliter sentire negant, qui ex morbo omnia amara aut flava pronunciant, aut qui indesinenter potando perpetuâ tamen sibi laborant: ita nos qui verâ naturali ratione rectè non utuntur, negamus secundum naturam rationalem vivere. Ambulare vero, edere & similia non quidem sunt contra naturam hominis, sed quia homini competunt non ut homini verum ut animali, pertinent ad legem homini cum brutis communem, non ad legem rationalem hominum propriam. Homini itaque lex vitæ naturalis est ea ratio, quæ gubernat hominem ut secundum naturam homini à Deo datam cum ratione vivat ut homo. Hæc cum hominem ut totum extra civilem societatem considerat, in duas se findit partes. Prima directa est ad Deum, & eos qui tales esse creduntur quales nos omnes esse oportuit, seu quales vera natura humana per se citra peccatum exhiberet, si posset. Ea hac in vita aliquo modo videtur & usurpatur inter veros amicos, quando vitæ ratio & lex est AMOR. Nulla ibi status inæqualitas, nulla prælatio, nulla dominiorum distinctio, nulla ullius mali suspicio: sed ingenuus candor & officiosa benevolentia quæ nihil cupit quod alteri molestum esse possit. Talis vitæ regula vocatur *lex vitæ naturalis* quam definio quod sit *ratio coram Deo piè, & inter amicos rectè vivendi*, seu *regula vitæ cum Deo & bonis rectè agendæ.* Dei mentionem hic fieri oportuit, quia ratio nos naturaliter ad Dei

Regula vitæ perfectissima cum Deo & bonis.

co-

cognitionem, amorem, cultum ac venerationem vocat, ut infra videbimus, *lib.* 3. *cap.* 3. Quicquid hæc ratio seu rationis lex facere jubet vocatur *jus naturale*, ut *lib.* 2. *cap.* 5. 9. dicemus. Hac lege & regulâ vitæ pauci utuntur, quia tantum inter veros amicos & perfectos locum habet: at nos ab illa perfectione quam jus naturale & vera amicitia requirit longissimè recessimus, quapropter post lapsum hominem nemo hac vitę regula perfectè usus est, solo Christo excepto quem corruptio naturæ non tetigit. Quando vero cum conjuge, liberis, amicis & familiaribus nostris amicitiam quam possumus maximam colimus, tum ad hanc legem & regulam vitæ aliquo modo revertimur, & ratio nos lege vitæ naturalis quantum possumus uti jubet.

Regula vitæ inter imperfectos & pravos.

Alio modo ratio totum hominem extra civilem societatem considerat, non in incorrupta & propria sua natura, sed qualis jam est in naturæ depravatione, & tenorem vitæ observare jubet qualem prudentia inter homines non purè bonos custodire docet. Et qui juxta hanc rationis legem vivunt, non agnoscunt omnes æquales, bonos & amicos, sed vident omnes gentes esse corruptas, ideo discrimen aliquod constituunt personarum & rerum, suamq; vitam ita moderantur ac muniunt, ut ab aliorum injuriis minus lædi possint. Et quod ratio ob talem vitæ conditionem agendum dictitat jubetq;, vocatur *jus gentium* seu *jus naturale*

rale posterius ut *lib. 2. cap. 9.* dicetur. Hujus vitæ rationem seu legem definire possis quod sit *ratio inter homines, quales in natura depravatione sunt, benè prudenterq; vivendi.* Homo itaq; extra civilem societatem consideratus, alterutrã harum vitæ regulam & legem naturali ratione observat: vivit enim cum alio vel ut cum amico, vel ut cum non amico.

Sed adhuc aliter ratio considerat hominem, nempe ut partem seu membrum civilis societatis. Cum enim naturaliter abhorreat solitudines, & sit animal sociale magis quam reliqua animantia, eò quod corpore & anima ita est constitutus, ut dulcedinem amicitiæ & societatis fructum magis percipiat quam omnia bruta animalia, naturaliter appetit in societate vivere. Ratio autem docet, quia homines inæquales sunt, non posse societatem constare si quisq; sibi suo ingenio & commodo vivere velit, ideoq; ordinem aliquem esse introducendum, ut omnia congruè & concinnè gubernentur. Sic ratio constituit personas & leges publicas, & humanas societates ordinat, quarum perfectissima est civilis, ut quæ omnes alias in se complectitur. Eo modo lex civilis vitæ nascitur, quam definio quod sit *recta ratio civilem societatem benè constituendi, & rectè in ea vivendi.* Quod hæc rationis pars pro tali societate jubet vocatur *jus civile,* ut item *lib. 5. cap. 1. & ss.* docebitur. Interdum autem civilis vitæ regulæ, tanquam perfectissimæ & sum-

Lex civilis vitæ.

Digitized by Google

me, omnes vitæ regulas includimus. Ut enim omnes societates simplices insunt civili, & quæ cum amicis & quæ cum non amicis, tàm quæ cum paucioribus quàm quæ cum multis, unius aut plurium collegiorum sociis contrahuntur; ita in regula civilis vitæ inest ratio cum omnibus, qualicunq; loco illi à nobis habeantur rectè vivendi, quæ causa est ut non inconvenienter appellatione juris civilis interdum etiam jus naturale vel gentium complectamur; *vide infra lib. 5. cap. 11.* Sunt itaq; hæ tres vitæ humanæ rectè transigendæ regulæ omnes bonæ, rationales, secundum naturam, & inter se in una ratione & natura cognatæ. Et hæc est illa natura quam Philosophi certatim tantis extollunt laudibus, secundum quam nos vivere jubent, & quâ duce neminem errare posse affirmant. Corruptionem vero naturæ inhærentem nunquam laudarunt, ut vulgus opinatur. Stoici dixerunt finem hominis summum esse secundum naturam vivere, at hoc idem esse quod secundum virtutem, naturâ enim nos ad virtutem duci. Intelligendum autem per naturam communem illam vitæ legem, quæ sit recta ratio omnibus hominibus cum Iove communis. *v. Laert. in Zenone.* Cic. *1. de legib. Certè ita res se habent, ut ex natura vivere summum bonum sit, id est, vita modica & apta virtute perfrui: aut naturam sequi & ejus quasi lege vivere, id est, nihil quantum in ipso sit prætermittere quo minus ea quæ natura postulet, consequatur:* quod

Hæ vitæ regula omnes bona & naturales.

Quomodo jubemur secundum naturâ vivere.

quod inter hæc velit virtute tanquam lege vivere. Ab hac natura putat Cicero *d. lib. 1. de legib.* naturam juris hauriendam, cum inquit, *Natura juris nobis explicanda est, eaq; ab hominis repetenda natura.* & superius *in eod. lib. repetam stirpem juris à natura, quâ duce nobis omnis est disputatio explicanda. AT. rectißimè, & quidem istâ duce errari nullo pacto potest.* Similes naturæ commendationes in libris Cic. *de finibus* & apud alios Philosophos habes frequentissimas. Dixêre etiam nos in hac ratione & natura Deo cognatos esse, ut Cicero iterum *in 1. de legib. Est igitur, quoniam nihil est ratione melius, eaque & in homine & in Deo, prima homini cum Deo rationis societas. Inter quos autem ratio, inter eosdem etiam recta ratio communis est: quæ cum sit lex, lege quoque consotiati homines cum Diis putandi sumus. Inter quos porro est communio legis, inter eos communio juris est. Quibus autem hæc sunt inter eos communia, & civitatis ejusdem habendi sunt. Si vero iisdem imperiis & potestatibus parent, multo magis parent, huic cælesti descriptioni, mentiq; divinæ & præpotenti Deo. Unde etiam universus hic mundus una civitas communis Deorum atq; hominum existimanda. Et quod in civitatibus ratione quadam, de qua dicetur idoneo loco, agnationibus familiarum distinguuntur status, id in rerum natura tanto est magnificentius, tantoq; præclarius, ut homines deorum agnatione & gente teneantur.* Arium Didymum imitatus esse videtur, cujus verba referente Turnebo *ad*

Legis & iuris cum Deo communio.

Cic. lib. 1. de legib. ſunt ὁ κόσμος οἱονεὶ πόλις ἐστὶν ἐκ θεῶν καὶ ἀνθρώπων συνεστῶσα, τῶν μὲν θεῶν ἡγεμονίας ἐχόντων, τῶν δὲ ἀνθρώπων ὑποτεταγμένων. κοινωνίας δ' ὑπάρχειν πρὸς ἀλλήλους διὰ τὸ λόγου μετέχειν, ὅς ἐστι φύσει νόμος. *Mundus tanquam civitas eſt quæ ex Diis & hominibus conſtat, è quibus Dii imperium habent, homines ſubjecti ſunt. Societate inter ipſos exiſtente ex commercio rationis, quæ natura lex eſt.* Idem voluêre Poëtæ qui nos Deo cognatos eſſe dixêre. *act. 17. v.* 28. 29. Senec. docet Deum eſſe in nobis, & nos in Deo per rationem: eumq; à nobis agnoſci & coli ſi nos ipſos, rationem & naturam noſtram cognoſcamus, & ſecundum illam vivamus. *epiſt.* 41. Et Iohannes *cap.* 1. docet per verbum Dei creata eſſe omnia: id eſſe vitam & lucem omnium hominum, quod illuminet omnes homines in hunc mundũ venientes. Nihil vetat hæc verba etiam ita accipi, quod Deus omnibus hominibus rationis lucem dederit, ut eâ ad ſalutem ſuam & ad cognitionem Dei utantur. *Rom. 1.* licet enim ratio non comprehendat ea quæ ſunt fidei, negari tamen non poteſt eo fine datam eſſe hominibus ut ex lege & operibus Dei creatorem ſuum agnoſcat, & vitam ſuam juxta voluntatem ejus gubernet. Hinc Stoici & Pythagorici quidam rationem humanam uſq; in cœlum & divinitatem extollere cœperunt, affirmantes animum humanum eſſe quoddam ἀπόσπασμα Dei. Cicero *de ſenect. Audiebam Pythagoram Pythagoreoſq;, incolas penè noſtros, qui eſſent Italici Philoſophi quondã*

no-

nominati, numquam dubitasse, quin ex universa mente divina delibatos animos haberemus. & *de divinat. Naturale quod animus acciperet aut exciperet extrinsecus, ex divinitate, unde omnes animos haustos aut acceptos, aut libatos haberemus.* Hosce porro superare studuerunt, qui homines planè inter Deos retulerunt, de quibus sup. *cap.* 5. diximus. At nimia laus naturæ humanæ desiit in mendacium, ut dici solet **omne nimium vertitur in vitium.** Homo nec est Deus, nec partem divinitatis habet pro anima, quia sic non esset totus creatus, aut pars divinitatis esset creata, ipsaq; divinitas foret divisibilis, mutabilis, & ex parte peccati particeps, quod falsum. Qui Piccolominei ethicam legent, observabunt ejus errorem, quod sæpius hinc inde, *ut gr.* 2. *cap.* 32. 33. 34. 39. *& manifestius gr.* 3. *cap.* 1. 5. 8. *&* 9. ponit vitia & internam rationis cum carne pugnam etiam de essentia naturæ esse, eaq; requiri naturaliter ob mundi perfectionem, & ut virtus exuperans appareat splendidior. Fallitur ille: nam malum, quia est defectus & corruptio boni, ad perfectionem nullam requiritur, alioquin etiam ad essentiam Dei primò ac unicè requireretur: & ibi virtus magnificâ victoriâ refulget, ubi malum ita vincit ac repellit, ut omninò nihil cum eo habeat commune. Malum itaq; non est de vera natura hominis, nam sic immediatè à Deo esset in nobis principium omnis mali, sed est contra

Digitized by Google

naturam ex peccato, quod in nobis est per accidens.

Fontes iuris duo, divinus unus & unus humanus.

Atq; ita duos juris fontes invenimus, nempe legem divinam, quæ est ipsa Dei justicia, *sup. cap.* 4. & humanum, quæ est ratio immediatè à Deo profecta. Harum duarum legum inprimis mentionem facit Cicero: legem cœlestem & naturalem communem vix obiter attingit, nos Platonem & alios philosophos simul explicaturi, & disputationibus subsecuturis facem prælaturi, etiam cœlestis & communis naturæ legis mentionem fecimus, sunt enim quędam in jure de fato, de voluntate & consilio hominis, deq; natura universali ex istis fundamentis explicanda.

Ratio capitum sequentium.

Inprimis vero, priusquam de lege humana dicendi finem faciamus, extricanda est quæstio an talis ratio sit in homine quæ legis officium subire, & (quod legis est) hominem gubernare possit. Hęc erit illa de voluntate hominis disquisitio cujus supra aliquoties mentionem fecimus, ad eam igitur nunc accingimur.



Jureconsultum de viribus humanę rationis inquirere debere.

CAP. XI.

Videndum an ratio hominis tam libera sit ut gubernare possit.

QVam graves & prolixę sint apud Theologos de libero arbitrio, apud Philosophos de

de ſpontaneo & invito diſputationes, nemo eſt qui ignoret. Eorum ego lites meas facere non geſtio, malimq; hoc labore omnino ſuperſedere, ni mihi multis nominibus quæſtionis hujus repetendæ, & ſtudio noſtro juridico applicandæ neceſſitatem impoſitam eſſe viderem. Locuti ſumus hactenus de ratione humana, quam cauſam proximam ſeu unicum humanum legum fontem eſſe docuimus. Necdum excidit nobis, quod *ſupra cap.* 4. ſtatuimus legem humanam ex earum numero eſſe, quæ cum ratione imperant & gubernant; quo etiam *cap.* 7. *& aliis ſequentibus* reſpeximus. Sed nonnulli lege cœleſti & elementari de quibus *cap.* 5. *&* 6. tractavimus decepti, opinati ſunt hominem non habere actionum humanarum principium & facultatem in ſeſe, verum omnia humana cùm influxu ſiderum, tùm elementari contemperatione regi. Alii perſuadere conantur, omnia à Deo ſeu lege divinâ trahi regiq;, adeò ut nullam prorſus humanæ animæ agendi facultatem reliquam faciant, vaferrimè inter alia abutentes lege peccati, quaſi poſt lapſum Adæ natura & ratio hominis non tam corrupta ſit, quam potius homo omnem vitam & rationem amiſerit, totuſq; in exanime cadaver & legem peccati degenerarit. Videndum itaq; an ratio in homine tam libera ſit, ut quæ nos legis gubernantis eſſe docuimus præſtare, hoc eſt actiones humanas imperare, vetare & gubernare poſſit? Libertatis nomen varia ſi-

Digitized by Google

gnificare *gr. mor. 2. cap. 30.* notavit Piccolom. nobis cum ipso tantum de eo quæstio est, an homo eousq; habeat liberum arbitrium, ut ex sese præscriptis legum nostrarum obedire vel repugnare possit; an vero ab alio motore externo, ut à Deo, fato, cœlo, natura, temperamento, fortuna vel casu ita regatur, ut sine principio motus interno proprio agat vel omittat quod agit vel omittit? Habet hæc quæstio alias utilitates plurimas generaliter ad totum jus spectantes. Nam si nulla est voluntas aut facultas agendi in homine, frustra de jure loquimur & inanem laborem suscipimus. Quid refert leges ferre, facienda imperare, omittenda prohibere, de præmiis & pœnis differere, si nulla est agendi facultas in homine? quomodo facta hominum distinguemus, utrum ex proposito & dolo, an ex culpa, ignorantia vel metu profecta fuerint, nisi didicerimus quatenus quodq; voluntati hominis imputandum sit? Quapropter utut quæstiones de voluntate hominis suo modo in Theologia, & item alio in Philosophia ventilentur, pertinent etiam ad generalia præcognita juris, ut sciamus an in potestate hominis sit quod volumus, & in quo obtinendo totius jurisprudentiæ cardo vertitur. Quæ à Theologis de libero arbitrio disputantur, illorum ex scriptis petit qui volet, at illi uno ore omnes fatentur quæstionem de libero arbitrio ad legem pertinere. Si est legis, non aliena est à nostro studio: nam Iuris-

Digitized by Google

risconſultus, niſi legem probè intelligat, & inprimis tales quæſtiones in quibus totum jus recumbit rectè percipiat, officio ſuo fungi nequit. Verſamur præterea adhuc in generalibus quæſtionibus, quæ ſpeciali legum explicationi præcedunt, & Iureconſultis cum Theologis ac Philoſophis circa indagationem juris ſunt communes. Quod vero in ethicis de voluntate hominis ſeu de ſpontaneo & invito diſputatur, nihil impedit quo minus eadem conſideratio ad nos pertineat, cum ethicæ & politicæ quæſtiones magnam affinitatē habeant cum Iuriſprudentia, & eo fine in ſcholis doceantur ut uſum aliquem habeant in vita civili. Rectè Ariſtot. *in princ. ethic.* docuit finem legumlatricis ſcientiæ eſſe ſummum, qui reliquos omnes ſub ſe complectatur: & *in princ. 3. ethic.* ſpecialiter de ſpōtaneo & invito monuit, eam conſiderationem ſpectare ad hos qui leges ſanciunt, præmia & pœnas diſtribuunt: quod & Plato fecit *lib. 9. de legib.* & pertinent huc diſputationes Piccolom. *gr. morali 2. cap. 30. & ſequentib.* ubi Iureconſulto facem præfert & fundamenta locat, quas propterea ſtudioſi juris eo libentius & attentius legent, ut actiones humanas accuratius diſtinguere poſſint. Cum vero cuiq; ſcientiæ ſuus ſit conſiderandi modus, nobis ſufficiet ſi legē rationis humanæ tam liberam in nobis eſſe oſtenderimus, ut quod legis eſt præſtare, quodq; noſtra juriſprudentia in homine præſupponit ac requirit efficere

Modus conſiderandi.

Digitized by Google

cere possit. Observabit autem lector simul, quomodo Iurisprudentia cum Theologia & Philosophia consentiat, & quomodo errores alicubi recepti per omnes scientias reptent. Plura de voluntate hominis qui volet, Theologos & Philosophos adire poterit. Quæstionem non sine causa paulò altius repetemus, & primò videbimus, an sit aliqua rerum creatarum voluntas, quâ quid velle vel nolle possint.



Appetitum & voluntatem esse in natura creatorum, idq; manifesto conspici in beluis & hominibus.

Cap. XII.

Vitam & appetitum esse in omnibus.

QVamvis vitam & voluntatem in rebus à Deo creatis dari adeo manifestum sit, ut insanire dici possit qui dubitet, quia tamen opinio quorundam omnia vi naturæ communis, fati, vel deniq; voluntatis divinæ trahi rapiq; asserentium huc tandem redit, ut nullam in rebus creatis vitam agnoscat, paulò altius exordientes ostendemus in omni creatura vel inchoatam vel perfectam vitam inesse, nihilq; à Deo factum esse quod vitæ omninò sit expers.

Sacræ literæ rebus loco se non moventibus voluntatem aliquam tribuunt, *ut Ps.* 104. 148. *Ios.* 10. *v.* 13. *& ult. v.* 27. *Rom.* 8. *v.* 19. *Luc.* 19. *v.* 40.

Digitized by Google

v. 40. *& alibi passim*: de ventis, arboribus, mari & montibus dicitur quod obediant Deo *ut Mat.* 21. *v.* 21. *Mat.* 17. *v.* 20. *Luc.* 17. *v.* 6. ubi obedientiæ verbum exprimitur. Quæ non omninò metaphoricè accipienda, sed quod omnibus in rebus sit aliquid pro viribus suis movens se ad voluntatem Dei. Philosophi *appetitum* vocant, quem omnibus rebus concedunt, ut nec materiam primam sine appetitu ponant. Antiqui ita ratiocinati sunt, Deum, cum sit optimus, non potuisse creaturas facere nisi valdè bonas, in quibus manifesta suæ bonitatis relinqueret vestigia: & cum sit sapientissimus, res creatas non potuisse non testari & oculis palam objicere sapientiam artificis. Item, cum sit vita & liberrimum agens, non potuisse à Deo prodire res, nisi in quibus vitæ & voluntatis semina ostenderentur. Deum enim nec malum nec inconveniens facere, nec mortem aut planè mortuum quid operari posse. Omnia hæc tamen quatenus res creatæ capere poterant, & pro usu suo ad quem destinabantur indigebant. Hunc etenim finem sibi propositum habuisse creatorem, ut ab omnibus rebus sua cum delectatione honoraretur & glorificaretur. Fecisse itaq; res omnes (quamq; tamen suo in genere & usu) perfectas, bonas, utiles, appetitum & vitam habentes, ut finem suum assequi posset. Nam si nulla esset in rebus vita, voluntas vel appetitio quâ creatori suo honorem exhibere possent & vellent, dedecori po-

Quicquid à vita est, vita particeps est.

Digitized by Google

potius fuisse Deo, non potuisse aut noluisse nisi brutos & mortuos abortus edere, nec invitos nec volentes volutandos, & de loco in locum trudendos: multo magis convenisse æternæ bonitati & vitæ, vitam omnibus communicare, & inenarrabilem creaturarum viventium, appetituumq; sese moventium varietatem introducere, ut bonitatem suam infinitis modis in omnia quæ ejus capacia erant effunderet, & gloriam in omnibus assequeretur. Mercur. *in sermone communi ad Tatium* inquit, nihil esse in toto mundo quod motu & vita careat, nec posse quicquam vitæ expers à Deo produci. Virgil. *ecl. 3. Iovis omnia plena.* & 6. *Æneid.*

Principio cœlum ac terras, camposq; liquentes
Lucentemq; globum lunæ, titaniaq; astra
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumq; genus, vitæq; volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus:
Igneus est ollis vigor & cœlestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant
Terreniq; hebetant artus, moribundaq; membra.

vide Augustin. *de civ. Dei lib.* 4. *cap.* 12. & 13. *lib.* 7. *cap.* 6. 23. Iohan. in sua evangelica historia *cap.* 1. *v.* 3. inquit, omnia creata esse per vitam & in vita: quod confirmat Paulus *Rom.* 11. *v. ult.* Plato *in Tim. Dicamus igitur quam ob causam ille rerum autor generationem & hoc universum*

con-

constituit : Bonus erat. Bonus autem nulla unquam aliquâ de re invidia tangitur. Ergo cum livor ab eo alienißimus esset, omnia sibi quantum fieri poterant similima fieri voluit. & mox : *fas autem neq; erat neq; est, quicquam nisi pulcherrimum facere eum qui est optimus.* Habes *in d. libro* plurima talia, quæ Plato ab Ægyptiorum sacerdotibus hausit, ut ipse ibidem fatetur. Hoc idem voluit Plato cum mundum, cœlum, naturam & alia mentem vitamq; habere docuit ut sup. *cap.* 5. *&* 6. innuimus, nam *in Timæo* ex eo quod Deus omnia optima, perfectissima & sibi similima facere voluerit, statim ad mundum argumentari incipit, ergo mundum quoq; & optimum esse & vitam, mentem voluntatemq; habere. Sed lectorem plura de hisce desiderantem ad scripta Platonis remittimus, qui volet etiam Plotin. *en.* 4. *lib.* 4. *cap.* 24. *& sequentib.* Morn. *de verit. relig. Christ. cap.* 5. legere poterit. At in rebus anima sensitiva carentibus abdita & retrusa est voluntas, ita ut vix appareat nisi ubi natura ad perfectiores gradus ascendit. Motus, calor, vegetatio & appetitus, quæ vitæ principia sunt, nulli creatæ rei à Physicis denegantur. In plantis anima & vita se erigere, in spongiis, conchis & testudinibus se ad sensum oculorum movere incipit: in reptilibus & aliis perfectioribus ubi corpus loco movet planè se exerit. Hinc porro natura incipit sensus perficere & corpora simul elaborare, usq; dum ad summum quod sensibus competere potest ascen-

Quomodo se exerat vita.

aſcenderit. Tum ad hominem progrediens, extremâ vi nititur omnè quicquid ignobiliores creaturæ capere non poterant in eum effundere, in quo tandem ratione omnibus cœli & elementorum virtutibus nobiliore ſuperata & abſoluta cogitur acquieſcere. Cum itaq; in corporibus ſe moventibus vitam nullo negotio probare & ſenſibus videndam palpandamq; objicere poſſimus, turpe eſt de nobiliſſima & abſolutiſſima creatura, de homine dico, dubitare. Moventur animalia aut à ſe ipſis, aut ab alio: ſi à ſe, habent vitam, voluntatem & principium motus internum: ſi ab alio, moventur aut invita aut volentia, & ſic quoq; habent voluntatem; aut moventur neutro horum modorum, & tum nulla erit vita, nullus motus in univerſa natura ſenſibilium, in immobilibus multo minus. Homo vero præterea nec imaginem Dei habere potuiſſet nec jam rationem haberet, imò nec peccare poſſet, ſi nullam haberet propriam voluntatem & agendi facultatem *vide Piccolom. d. gr. mor. 2. cap. 32.* Inanes eſſent omnes doctrinæ legis & evangelii, & quicquid tandem eſt, imò ne eſſent quidem omninò, ſi nulla eſſet in homine vita, voluntas & facultas. Ineptum eſſet precari *fiat voluntas TUA, Mat. 6.* ſi nulla in homine eſſet voluntas, & nihil fieri poſſet niſi volente, movẽte & agitante Deo. Paulus expreſſè inquit *velle habeo, Rom. 7.* & voluntatem in homine plus millies ponunt Sacræ literæ. At ineptire forte vide-

Vita in animalib. manifeſta eſt.

viderer, si nec brutis ignota hominibus probanda putem, nisi extitissent, qui & brutis & hominibus omnem vitam abnegare tentarent. Dicæarchi Pherecrates, *refert Cic.* 1.*Tuscul. quæst.* olim disputavit, *Nihil esse omnino animum, & hoc esse nomen totum inane, frustraq; animalia & animanteis appellari, neq; in homine inesse animum vel animam, nec in bestia: vimq; omnem eam qua vel agamus quid, vel sentiamus, in omnibus corporibus vivis æquabiliter esse fusam, nec separabilem à corpore esse, quippe quæ nulla sit, nec sit quicquam nisi corpus unum & simplex, ita figuratum ut temperatione naturæ vigeat & sentiat*, Quam opinionem utrum ille ex Platonis Timæo malè intellecto hauserit, ubi mundum unum animatum & omnia in se continentem esse disputat, an ipse effinxerit, ambigo, certè falsissimam & vix refutatione dignam esse scio. Unicum tantum opponimus illi argumentum: Si natura vel influxus cœli omnia agitaret, quia unicus est influxus & motus, nulla esset in natura varietas, & catuli qui uno tempore concepti, uno utero gestati, uno calore & alimento nutriti, & tandem uno partu fusi sunt, quia haud dubiè eundē habent siderum influxum, omnia similia haberent & agerent, essent ejusdem sexus & coloris, simul ederent, biberent, dormirent, moverentur &c. quod sine ullius contradictione falsum & experientiæ contrarium est. *vide Augustin. de civ. Dei lib.* 5. *cap.* 1. *& aliq. sequentib. Plotin. en.* 2. *lib.* 3. *en.* 3. *lib.* 1. *en* 4. *lib.* 3. 4. *&* 9.

Quidam negarunt vitam in animalibus.

Alii

Digitized by Google

Alii putant Deum omnia in omnibus agere & nihil ab homine ſine voluntate Dei fieri; qui in eaſdem incidunt abſurditates. Primò enim homini eo modo ratio & vita negantur, & Deus mortuorum ſtatuitur Deus eſſe, non viventium, *contra illud Mat. 22. v. 32.* Deinde, ſi dicant Deum movere humana omnia per media, ut per naturã & fatum, idem dicunt quod Pherecrates: Si vero ſtatuant omnia à Deo immediatè regi, in alias plurimas incidunt contradictiones, ut in ſequentibus capitibus videbimus. Concedamus ergo vitam, voluntatem, & facultatem propriam aliquam agendi dari in animalibus & in homine, niſi omnem vitam & ſenſus abnegare, & nos ipſos maris ſcopulis ſtupidiores facere placet.



Quomodo Philoſophi & Jureconſulti voluntatem hominis ſtatuant in omnis generis actionibus.

CAP. XIII.

Voluntas apparet in omnib. actionib.

CUm igitur voluntas & facultas agendi in natura, inprimis vero in homine, de cujus actionibus nobis propoſitum eſt agere, detur, videndum quibus modis & actionibus illa ſe exerat, & quomodo voluntas hominis à philoſophis & Iureconſultis in omnis generis actionibus agnoſcatur & diſtinguatur. Primò ſciendum

Omnes actiones in particularib. ſunt.

endum & in tota Iuriſprudentia ſemper in memoria habendum eſt, omnes actiones in particularibus & circa particularia eſſe: Verbi gratia, facultas ambulandi, edendi, loquendi &c. univerſaliter quidem eſt in natura, at in actionem non producitur niſi particulariter, per individua operantia. Cato natura potuit ridere, at quia noluit, manſit ἀγέλαςος: poſſent omnes homines ratione uti, *Rom.* 1. at quia multi nolunt, ſine ratione vivunt; illiq; ſoli ratione ſuâ utuntur, qui volunt. Hîc primò & univerſaliter apparet voluntas cuiq; homini ſingularis, quod ea quæ naturâ ſunt poſſibilia, ut edere, ambulare, actu exiſtere non poſſunt, niſi cum ſpeciali alicujus voluntate in actum producuntur. Deinde voluntas & facultates hominum agnoſcuntur ex diſſimilitudine & qualitatum diverſitate. Cum enim, ut diximus, omnis voluntas ſit circa actiones particulares, dignoſcitur voluntatum diſſimilitudo ex iis quæ circa unamquamq; actionem in conſiderationem veniunt. Ariſtot. 3. *eth.* 1. *al.* 2. docuit hæc eſſe quæ circa ſingula conſiderentur, quis, quid, circa quid: in quo agat, quo inſtrumento, cujus cauſa & quo modo. Hæc ſi ponderaverimus, dicemus cum Ariſtotele actiones humanas eſſe aut voluntarias, aut invitas, aut mixtas. Voluntariæ ſunt vel abſolutè & ex ſe voluntariæ, ut cum quis motu proprio ſine prævia cauſa incitante agit; vel ex affectuum invitatione, ut cum irâ impulſi vel amore

Et in iis videtur voluntas.

Voluntas varia & libera cernitur in diſſimilitudine.

Voluntaria ſunt duplicia

provocati aliquid agimus. Dicuntur etiam quædam voluntaria propter se, cum quid ideo, quia placet, volumus, quædam voluntaria ex ὑποθέσει seu propter aliud, cum quid eligimus volumusq; ut aliud evitemus. Excutiamus singula breviter, tantum ut appareat quomodo hæc omnia hominis voluntatem & facultatem in actionibus liberam confirment.

Spontanea quæ? Quæ ultrò & propter se volumus agimusq;, à Philosophis vocantur spontanea. Spontaneum definit Aristot. *cujus principium in eo est qui agit, & particularia, in quibus actio consistit, cognoscit*: ut si quis nullâ causâ impulsus ex pura benevolentia alicui munus offerat, ut Deus, ex mera bonitate sua nos creavit & redemit, is dicitur sponte fecisse, & quia actio bona est, maximè laude ac præmio dignus est. Vel si quis venenum paret eo consilio & fine ut aliquem extinguat, idq; sine ulla causa ex pura malitia faciat, ut diabolus à Deo defecit & hominem seduxit, is dicitur spontè fecisse, & quia actio improba est, maximè dignus est vituperio ac pœnâ. *Spontanea esse in nostra potestate.* Philosophi utrumq; in hominis potestate ponunt, quotidiana ad exempla provocantes. *vide Piccol. gr. mor. 3. cap. 15. & seq.* Consentiunt Iureconsulti, qui agnoscunt donationes ex mera liberalitate profectas, quas puras ipsi vocant, vel proprias & simplices, *l. 1. & 29. in princ. D. de donat.* & puniunt etiam in homine malevolum ac dolosum animum, seu ut illi indigetant *dolum malum*. Laudantur & præmiis digni

digni judicantur studiosi qui se ultrò patriæ offerunt, *auth. habita. C. ne filius pro patre.* & gravissimè puniuntur qui dolo malo deliquerunt. Nam & omnia quæ licita fuerant, dolo malo ita corrumpi possunt ut capitalia fiant: ut si quis alterius in perniciem cum telo ambulet, ignem accendat, veritatem prodat, & similia. Item, si dolus malus in contractum incidat, vitiat omnia, ut tituli D. *de dolo malo. &, de doli mali except. de pœnis* & aliæ leges passim docent. Aliàs spontaneum in jure etiam vocatur *consultò, deliberato animo, ex proposito factum*, & similiter. Cum vero eædem phrases etiam de mixtis actionibus usurpentur, prudentis est non tam ad verba quam ad rem ipsam respicere, & ex circumstantiis facti, an spontè vel alio modo commissum sit, judicare. Ita Philosophi & Iureconsulti spontanea appellant, & in hominum potestate ponunt.

Invita fiunt aut vi aut ex ignoratione. Violentum describit Aristot. *cujus principium extrinsecus est ejusmodi, ut ei nec qui agit nec qui patitur quicquam conferat*, quemadmodum si ventus aliquem præcipitet, aut potentior nostram nobis manum infligat: hisce actionibus nihil conferimus, sed omnia vi agere vel pati cogimur. Iureconsulti violenta ab homine fieri & ferri agnoscunt, *D. de vi, de Injuriis, & alibi*, & vim, si sit vera non simulata, in patiente excusant, in inferente accusant, eamq; vi justâ repellendam docent. Hoc ipso etiam confirma-

Invita duplicia.

Invita ex vi ponuntur in homine.

Digitized by Google

tur voluntas & facultas agendi in homine: si enim quædam patimur inviti, ergò quædam agimus patimurve volentes.

An iucunda & molesta sint violenta.

Opinabantur olim nonnulli omnia jucunda & molesta pro violentis habenda, quia extrinsecus essent & nos ad actionem cogerent, quod Arist. refellit, docens jucunda & molesta nos tantum invitare ad actionem, nihil autem proficere, nisi rationes quibus nos tentāt à nobis intrinsecus approbentur & in actum promoveantur: violenta vero ea dici quæ ita sunt extrinsecus, ut nihil ad ea conferat qui agere cogitur, ipsamq; actionem prorsus improbat ac omitteret si posset. Quod observatione dignum, ad evitandam consequentiam quæ non latuit Aristotelem. Si enim concesserimus jucunda & molesta violenta esse, omnia delicta excusari & in alium transferri poterunt, excusabitur libido & privata vindicta quæ vitâ jucundior ipsa videtur, item furta erunt violenta, quia jucundum videtur de alieno saginari, laborare autem molestum est. Et hisce culpæ translationibus nihil frequentius est in foro, sed Iureconsulti, veram non simulatam philosophiam affectantes *l. 1. D. de Iust. & jure,* illas non attendunt. Licet enim objecta moveant sensus & sæpè vehementer irritent, tamen vim nobis nullam faciunt, nec invitos ad actionem compellere possunt. Quia vero magistratus finem suum assecutus est si politicam disciplinam conservet, interdum humanę imbe-

jmbecillitati aliquid condonatur, si videlicet delicta non sint enormia, & salvâ disciplina publica dissimulari possint. Sequimur interdum divinam longanimitatem, quod & ipsum veræ philosophiæ est, quæ nos docet finem officii nostri considerare, & humanitatem crudelitati semper præferre.

Ira & cupiditas vim non afferunt.

Priori similis est quæstio, an quæ ex ira vel cupiditate fiunt sint invita? negat Arist. 3. *eth.* 1. *al.* 3. *& magn. moral. lib.* 1. *cap.* 13. 14. *Piccolom. gr. moral.* 2. *cap.* 19. quos lector consulere poterit. Iureconsulti vero iram & privatam vindictam juxta puniunt, eo ipso declarantes, se etiam hac in parte negativæ philosophorum sententiæ accedere.

Invitum ex ignoratione ponitur in homine.

Sequitur invitum ex ignoratione. Qui fecit ignorans universalia, ut si quis ignorasse vellet homicidia & furta non esse committenda, non dicitur invitus fecisse, nam qui talia prætendunt ab hominibus vituperantur, & omnium judiciis, quasi scientes volentes deliquerint damnantur, qui vero inviti fecerunt excusantur. Iureconsulti hic tantum mutant phrasin philosophorum, cum enim illi dicunt, neminem ignorare posse aut debere quæ naturalis ratio & notitiæ omnibus hominibus universaliter innatæ suggerunt, nostri hanc vocant *ignorantiam juris naturalis*, quâ nemo, qui legem humanam seu rationem habet, excusetur, cum perinde hoc sit ac si quis asserat se hominem esse, & tamen rationem non habere. Quod

ſupra *cap. 9.* tradidimus, non excuſari qui rationem ſuam non excitant cum poſſent, huc applicari poteſt. Non putatur etiam invitus feciſſe qui ignoravit quid conduceret, cum talis ignoratio præſupponat dubitationem & electionem, & non invitus ſed pravus ſit qui malè eligit. Is ergo invitus feciſſe potuit qui particularia, quæ circa actionem & in ea ſunt, ignoravit. Ut ſi quis domi ſuæ vel in hæreditate alienum quid inveniat, & alienum eſſe ſciens, dubitet an reddere vel occultare velit, ſi non reſtituit, malè elegit & pravus eſt, & alienum non invitus contrectaſſe dicitur: at ſi ignoret eſſe alienum & conſumat, dicitur invitum quid feciſſe ex ignoratione. Iureconſulti hanc vocant *ignorantiam facti*, eamq; niſi poſt agnitionem erroris approbata & ultrò continuata fuerit, excuſant, ut ita etiam in hiſce actionibus cum philoſophis velle & nolle hominis agnoſcant. Qui ſe ad forum præparant hic iterũ admonendi ſunt, reos ſæpè ignorationem univerſalium prætendere, quaſi non fuerint tam acuti ingenii ut inter bona & mala potuerint diſpicere: ut ſi hæres ſe rem alienam invitum retinuiſſe dicat, quod dubitarit an juſtius eſſet defuncti famam ſuſpicione furti gravare, quam domino rem ablatam reſtituere, & audiſſe ſe quidem olim talem anulum eſſe amiſſum, at non attendiſſe eum hunc eſſe, nec hæredem jure ad reſtitutionem rerum furtivarum cogi credidiſſe. Tales univerſalium juri-

jurium ignorationes in jure vocantur ignorationes juris naturalis, quia naturale præceptũ rationis est *non furtum facies.* Interdum hæc vocatur *ignorantia affectata* vel *lata culpa*, eaq; dolo comparatur & non excusat. Iudex ergo hic attendet, utrum qui ignorantiam allegat in particularibus facti aberrare potuerit, & si potuit, an debuerit, an vero potius rationem suscitari oportuerit. Particularia vero quæ verè ex ignoratione fiunt, propriè nec spontanea sunt nec invita, at ex iis quæ factum subsequuntur ad alterutrum referri solent. Nam si agentem postea facti non simulatò pœnitet, videtur invitus fecisse, conjicitur enim ex pœnitentia quid facturus fuisset, si particularia in quibus aberrávit ante commissum factum cognovisset: quem non pœnitet, volenti similis fit, propter subsequentem facti approbationem. Diversum quoq; esse docuit Arist. ex ignoratione & ignorantem agere. Ex ignoratione facit qui nescit malum esse quod agit, nec id scire potuit: at ignorans facit qui scire posset quod agit, seipsum autem irâ, ebrietate vel alio suo facto eò redegit ut nesciat, & illo ignorantię in tempore agere festinat, quod alias omittendum esse non dubitasset. Atq; hi interdum dupliciter puniuntur, primò ob tantam ebrietatem, properationem vel vehementiam iræ, deinde ob delictum ipsum. Iureconsulti videntur adhuc ulterius distinguere, considerant enim utrum quis ignorans fuerit

Ex ignoratione facta propriè nec spontanea nec invita.

Ex ignoratione & ignorantem agere differunt.

Ignorantia vel habitualis vel temporaria.

Digitized by Google

ex habitu sua culpâ acquisito, an ex speciali actu, ut si quis ex consuetudine semper ebrius & mentis impos sit, is quasi datâ operâ & studiosè ignorat, diciturq; fecisse ut *ebriosus*, qui vero speciali quadam imprudentia lapsus sese nimium invitavit, dicitur fecisse *ebrius*. Senec. 1. *de ira cap.* 4. *Quid esset ira satis explicatum est: quo distet ab iracundia, apparet: quo ebrius ab ebrioso, & timens à timido. Iratus potest non esse iracundus: iracundus potest aliquando iratus non esse.*

Voluntaria mixta. Voluntarium ex ὑποθέσει est, cum de duobus pluribusve malis unum eligimus. Has actiones. Aristot. vocavit *mixtas*, & definivit, quæ timore & fuga malorum majorum vel ob honestum aliquod aguntur. Mixtæ actiones simpliciter in se consideratæ sunt invitæ, ut cum nauta merces, divitias suas & præmia laboris in mare ejicit, at respectu finis & principii motus quod in agente est, sunt voluntariæ, mavult enim merces abjicere, quam totâ cum nave mergi. Ideo Aristot. actiones mixtas spontaneis magis similes esse dixit, & Augustin. *de spirit. & lit. cap.* 31. *etiam quod quis invitus facere cogitur, si facit, voluntate facit.* Iureconsulti dicunt *etiam coacta voluntas est voluntas. v. Cujac.* 6. *obs. ult.* *Quomodo homini imputentur.* Cum vero difficile sit in actionibus mixtis dijudicare quid pro quali eligendum, difficilius in iis quæ decreta fuerint persistere, in hoc quasi cardine vertitur prudentia & intellectus judicantis, ut examinet quid laudandũ aut vituperandum, faciendum vel omittendũ.

Lau-

Laudantur qui pro magnis & honeſtis rebus turpe vel inhoneſtum quid ſuſtinuerunt: vituperantur qui turpia perpeſſi ſunt ob nullam honeſtam aut gravem cauſam: excuſantur & veniâ digni putantur, qui quod fieri non debuit egerunt ob tale, quod humanam naturam excedit & à nemine ſuſtineretur: accuſantur qui perpetrarunt ad quod nullo modo commoveri debuiſſet, etiamſi omnia extrema fuiſſent perpetiēda, *Ariſt. 3. eth.* Apparet itaq; quomodo eadē mens ſit philoſophorū & juriſconſultorū in omnis generis humanis actionibus, in quibus nolendi aut volendi voluntatem & facultatem in homine ejuſq; ratione ponunt. Ariſtot. ex prædictis ita diſſerit: voluntarium eſt ex electione: electio non eſt ipſum ſpontaneum, nec voluntas, cupiditas, ira, aut opinio ſed ſpontaneum quid præconſultatum: conſultamus non de æternis, neceſſariis, impoſſibilibus, aut fortuitis, ſed de iis rebus agendis quæ ſunt in noſtra poteſtate: de talibus feruntur leges atq; in talibus conſiſtunt virtutes ac vitia. Conſequentia ex mente Ariſtot. nectitur talis: In homine ſunt ſenſus & ratio eo fine ut res cognoſcat atq; de iis judicet: conſultatio eſt de rebus quæ ſunt in noſtra poteſtate: hanc ſequitur electio ejus quod bonum videtur: electionis pediſſequa eſt voluntas, ut hoc velimus illud nolimus: ex voluntate appetitus ejus quod placuit: ex appetitu, quia ſem-

Ex dictis colligitur actiones in noſtra poteſtate eſſe.

Digitized by Google

per ad finem tendit, motus & operatio: operationum frequentiâ acquiritur habitus. Hæc omnia dicit esse ex principiis quę sint in nostra potestate, ergo etiam bonas malasq; actiones, & habitus virtutum vitiorumq; in nostra potestate esse, vidè huc Piccolom. *gr. mor.* 2. *cap.* 41. 43. De omnibus hisce, ut apparet, ex principio actionis & motus judicatur, ut actio retineat nomen quod ab initio est sortita: ideo voluntaria facta, etsi quis ea postea infecta vellet, voluntariorum nomen retinent, ut si quis sibi habitum vitiosum compareț vel delictum perpetret, licet postea doleat se fecisse, tamen sic voluisse dicitur, & factum voluntati ejus imputatur: perinde ac si quis sibi spontè vulnus infligens, postea dolere & saucius esse nollet, nihilominus dicitur spontè fecisse ac saucius esse, quia pœnitentia factum non reddit infectum. Ita actiones bonas & malas, quique ex iis sequuntur habitus virtutum ac vitiorum, in nostra potestate ponunt Philosophi & Iureconsulti. Subjicit Aristoteles, eodem modo nostra in potestate esse habitus quosdam corporis: veluti cum quis ebrietate, libidine vel alio modo sibi morbum contrahit, ut usum sensuum & membrorum quorundam amittat, vel sobrietate & temperantiâ sanitatem suam confirmat, hæc merito homini imputantur ut voluntaria bona vel mala. Hæc sunt quæ *ex* 3. *Ethic. Aristot.* hoc capite repetere visum fuit, quæq; Arist. 3. *eth.* 5. *al.* 7. jureconsultis scitu ne-

Etiam habitus corporis in nostra potestate esse.

necessaria putavit. Nos autem tironibus juris & studium ethices commendare, & ostendere voluimus eam rationis legem, quam *supra cap.* 7. in homine statuimus omnium Philosophorum, (veram philosophiam profitentium,) & Jureconsultorum consensu in homine poni. Plura ex Piccolom. *gr.* 2. *morali*, & ex aliis ethicis peti possunt.



Theologos quoque homini ad externa opera legis præstanda rationem & vires concedere, licet liberum arbitrium negent.

CAP. XIV.

QVam cum philosophis in homine statuimus rationem, voluntatem & agendi facultatem, Theologia non negat: nec ullum caput est totis in bibliis, ex quo non possit aliquoties evinci voluntatem & rationem dari in homine. Sive enim nostra delicta agnoscere, peccatis abstinere, rationem in fidei obedientiam captivare, & Deo credere jubeamur; sive à Deo ad patientiam & spem excitemur; sive ob boni aliquid laudemur; semper vita, ratio, voluntas & facultas aliqua in nobis præsupponitur. *Gen.* 4. *v.* 7. *Mat.* 5. 6. 7. *Item* 11. *v.* 16. & *seq.* 21. *v.* 28. & *seq.* 23. *per tot. Rom.* 1. *v.* 20. & *seq.* & 2. *per tot.* & 12. *cum seq.* 1. *Tim.* 5. & 6. *Tit.* 1. *Theologi agnoscunt legem humanam.*

1. *Pet.*

Digitized by Google

1. *Pet.* 2. 3. *& alibi innumeris locis.* Nullibi de lege & operibus agitur, nuſquam quid facere vel omittere jubemur aut juberi poſſumus, niſi iis quæ diximus præſuppoſitis. Non tamen propterea liberum arbitrium, ut vocant, ſeu libera voluntas & facultas, quâ totam legem implere noſtriſq; viribus Deo nos inſontes reſtituere poſſimus ſtatuitur in homine. Primò enim diximus hominem totam legem Dei propter impedientem peccati legem non intelligere, *ſup. cap.* 8. Et licet homini hac in parte aliquid tribueremus, (ut certè Paulus *Rom.* 1. *&* 2. rationi humanæ quo ad cognitionem legis permultum tribuit, quod & gentilium ſcripta ita efflagitant,) non tamē propterea liberum arbitrium ſtatueremus. Eſt enim ſecundò hoc probè notandum, liberum arbitrium non conſiſtere *in aliqua* etiamſi illuſtri & præclara *cognitione* legis, ſed *in abſoluta & ſpontanea praxi*, ut item *d. cap.* 8. docuimus. Cum vero ne ethnici quidem ſui ipſius tam ignari fuerint, ut naturam incorruptam ſuaq; facta omnia juſta, & Diis ſuis facinoroſis grata affirmare auderent. *Rom.* 2. *v.* 14. 1. *Cor.* 5. *v.* 1. quis noſtrum tam inſaniat, ut ſe ſuis viribus eam quæ in eccleſia explicatur legem coram juſtiſſimo Deo implere poſſe confidat? Quamdiu itaq; homini poteſtatem legem Dei integrè ex ſeſe præſtandi non dabimus, nullum in eo liberum arbitrium aſſeremus. Et ſi quæſtionem de hominis lapſi viribus ac arbitrio libero

ro

Digitized by Google

rio rectè concipiamus, apparebit minimè opus eſſe ut in laudem & honorem meriti Chriſti rationis noſtræ verum uſum deſpiciamus; nec quicquam Chriſto derogari noſtriſve viribus quo ad redemptionem tribui poſſe,etiamſi rationis noſtræ uſum in cœlum uſq; extollamus: ſed potius è contra,quo magis extollitur ratio, eo magis accuſari peccatores contra rationem & conſcientiam delinquentes, & quo magis ea acuitur,eo minus ſpei ad ſalutem ſupereſſe. Videamus tantum quid quæratur à theologis de viribus hominis lapſi, ut eo certius conſtet nos laude & exercitio rationis noſtræ merito Chriſti nihil adimere poſſe aut velle. Non quæritur autem an homo poſt lapſum adhuc homo ſit, & rationis verum uſum naturaliter habere poſſit? id enim negari non poteſt, niſi humanitatem in lapſu amiſſam & hominis naturam tranſſubſtantiatam aſſerere velimus, ſed hoc quæritur, an homo corpore & anima per peccatum depravatus,ſine præveniente gratia & ſine commotione Spiritus ſancti, ex ſeſe motu proprio omnia ſua peccata agnoſcere, in ſeipſo accuſare, ſeriò deteſtari & conſtanter fugere velit, & ſine interpellatione legis peccati liberè pro ſuo arbitrio id facere poſſit? an item ille per ſe norit verum modum ſua delicta coram Deo expiandi, illumq; poſſit exequi? Hoc negatur. Homo enim corruptus verè eſt corruptus, ergo ex ſeſe non poteſt alias niſi peccati qualitate infectas actiones habere. Deinde

nulla

Digitized by Google

nulla ratio per se hunc fructum ex cognitione legis & justitiæ Dei assequi potest, ut sciat sibi propter injustitiam suam ad misericordiam & satisfactionem Dei esse confugiendum, sed tremit potius, fugit, & desperat, quo magis Dei justitiam & suam injustitiam intelligit. Præterea non est virium humanarum invenire modum quo Deo satisfiat & amissa justitia recuperetur. Nam quod & quomodo in universali totius humanæ naturæ corruptione unus immaculatus homo existere debeat, qui legem naturæ pro omnibus impleat, ut hujus meritum omni credenti prosit & in propriam solutionem imputetur, id nullo philosophico principio potest indagari. Ponatur homo peccator acutissimi ingenii, qui totam legem tam perfectè intelligat ac Adam ante lapsum eam intelligere potuit; quæro an ille propterea legem Dei totis viribus observaverit & observare velit possitq;, ut *Mat.* 22. *v.* 37. requiritur? negabimus certè, quia eâ ratione peccator non esset. Sed ponatur eum ex naturali virtutum amore & salutis appetitu toto pectore velle justum & beatum esse; quæro an ille propterea per solam rationem suam sciat modum quo justus & beatus fiat? Quod iterum negatur. Quin præterea, etsi Adam post lapsum & alii prophetæ docente Deo sciverint quomodo redimendi essent, & ipsum redemptionis opus quasi oculati testes descripserint, tamen consilium Dei sibi revelatum suis viribus exequi non

non potuerunt. Nam si Deus illis omnia in tabula descripta exhibuisset, quâ ratione illi efficere potuissent ut virgo conciperet filium eumq; pareret exsortem ejus qualitatis quâ tota humana naturâ jam erat infecta? & quomodo effecissent ut ille homo etiam Deus esset & pro omnibus mori vellet? Id quidem nec omnibus angelis erat possibile, & rationi Deo fidem non habenti ridiculum erat expectare. Tollamus ergo & extollamus rationem licet in cœlum usq; & supra omnes angelos, nihil hic adimi potest merito Christi, quia nec inventio nec executio modi redemptionis humanæ rationi contingere potest, sed quo magis acuitur ratio ut justitiam Dei peccatiq; magnitudinem & naturæ vires intelligat, eo magis de omni salute jubet desperare. Exoptabant sancti in veteri testamento ut liceret sibi videre diem Christi *Matth.* 13. *v.* 16. & precabantur ut perrupto cœlo tandem descenderet, *Esa.* 45. *v.* 8. *&* 64. *v.* 1. & scrutabantur quando id eventurum esset? 1. *Pet.* 1. *v.* 11. & quando id ex revelatione divina resciverant, *Gen.* 49. *v.* 10. *Dan.* 9. *v.* 24. vehementer gaudebant *Ioh.* 8. *v.* 56. interim tamen non erat hoc opus volentium aut currentium, sed cogebantur expectare tempus à Deo constitutum. Cum itaq; nihil unquam fuerit humanarum virium, nec consilium nec auxilium redemptionis, sed ea solius sapientiæ & misericordiæ Dei opus sit, nihil est ut vereamur ne viribus humanis nimium tribua-

buatur, aut merito Christi injuriosum sit, si dicamus hominem etiam post lapsum veram rationem ejusq; præclarum usum naturaliter habere, legem Dei intelligere, & opera legis naturaliter, (infecta tamen eâ qualitate quæ ex peccato in natura est,) præstare posse: manet nihilo minus inventio & executio redemptionis solius Dei. Nec illa cognitio aut operatio, quæ homini juxta legem naturæ post lapsum reliqua est, aliquid immaculati in humana natura mansisse probat, sed potius contrarium testatur. Cum enim videmus pravam concupiscentiam & peccandi pruritum non tantum in corpore, sed & in anima & voluntate nostra hærere, evincit conscientia non modo corpus sed & animum esse corruptum, nec materiale tantum sed formale hominis multò magis peccasse, & totam naturam nostram depravatam esse. Sic imperfecta cognitio & operatio legis testatur injustitiam nostram, quod gentiles ipsi dissimulare non potuerunt. Nec sequitur, legis opera quæ adhuc præstare possumus, quia aliquatenus & ad politicam disciplinam bona sunt Deoq; non displicent, ideo absolutè bona & peccato non infecta esse; nam Deus utramq; à nobis requirit obedientiam, internam & externam. Externam bonitatem facti aliquo modo etiam ob temporalia bona præstare possumus: at interna bonitas qualitatis requirit plenum cordis assensum, per verum, purum & constantem erga

Digitized by Google

ga Deum & homines amorem, quem nemo ſibi arrogaverit, niſi lapſum negare, imaginem Dei in ſe agnoſcere, & totam ſe legem implere poſſe fingere velit. Naturalia bona & quæ ex iis ſequuntur facta Deo non per ſe diſplicent, ſed quatenus redolent qualitatem peccati. Sic ergo cum Paulo & Theologis noſtris ponimus, gentes naturaliter ea quæ legis ſunt cognoſcere & facere poſſe, non obſtante quod totus homo per lapſum corruptus ſit, nullumq; integrum bonum opus quod coram Deo peccatum non redoleat ſuis ex viribus præſtare poſſit: peccatum enim in anima & actionibus humanis omnibus nihilominus manet ac operatur, ut mutata qualitas in eadem ſubſtantia vini. Qui vero homini omnem rationis facultatem denegant, eumq; ſuâ ratione poſt lapſum nihil ſecundum naturam cognoſcere & facere, imò ſeſe ſine voluntate Dei ne movere quidem poſſe, & omnia volente ac agitante Deo fieri opinantur, hominem in lapſu omnem vitam & rationem amiſiſſe, naturamq; ejus non corruptam, ſed totam extinctam vel in peccatum tranſſubſtantiatam eſſe, ſtatuere cogentur. Sed de his ſatis pro noſtro inſtituto: uberiorem de libero arbitrio & viribus humanis tractatum lector apud theologos inveniet. Nobis ſatis ſit legem humanam, & vires ad præſtanda ea quæ nos ab hominibus requirimus opera, philoſophorum & theologorum conſenſu in homine poni, oſtendiſſe.

Cur lex humana negari nequeat.



Refutantur qui omnia necessariò fieri putant, & primo agitur de Fato.

CAP. XV.

De fato tractant omnes.

Etiam Iureconsulti.

CONfutanda nunc restat illorum opinio, qui omnes humanas actiones fato, vel alia Dei dispositione existere autumant, atq; ita omnem hominis rationem, voluntatem ac facultatem agendi tollunt. Nullus ferè extat antiquus scriptor qui Fati mentionem non fecerit: ubicunq; de humanis negotiis agunt, ibi rationum in medium prolatarum fundamentum aut supplementum inveneris Fatum. Sic ethici, politici, & theologi de fato disputant, à quibus, tanquam à suis præceptoribus etiam Iureconsulti de fato loqui didicerunt. Nam detrimentorum fatalium meminit *l.* 3. *D. de Instr. vel inst.leg.* fati infelicitas furiosum à delicto excusare dicitur. *l. infans. D. ad l. Cornel. de sicar.* & qui fato fecit non putatur obtemperasse voluntati. *l.* 2. *D. de condit. & demonst.* pertinet huc explicatio tituli de maleficis & mathematicis, & alias fati crebra apud interpretes mentio, ut apud Tiraq. *in l. connub.* 8. *n.* 5. *& de retr. gent. §.* 26. *gl.* 1. *n.* 20. Corass. *ad l.* 1. *C. de jure emphyt. n.* 14. Vasq. 1. *cont.* 20. *n.* 3. 4. Tholos. *in Syntagm. lib.* 34. *cap.* 1. *& copiosè lib.* 21. *de republ.* Bodin. 4. *de repub. cap.*2.

Per-

Digitized by Google

Perutile autem fuerit ad refutationem fatalis necessitatis, si ostenderimus quibus erroribus fatum primò sit conceptum ac enutritum, quapropter de ejus generatione, quæ in seipsa refutationem continet, paucula præmonebimus. Figmentum fatalis omnium rerum necessitatis, extra ecclesiam apud illos primò natum est, qui nec quid Deus, cœlum aut natura esset, nec quomodo hæc operarentur intellexerunt, nec quid vel unde humana ratio esset unquam perceperunt. Cum enim profani homines omnipotentiam Dei mente sua complecti non possent, quomodo Deus omnia & singula bona & mala gubernaret, & tamen tantis in laboribus miserrimus non esset, *v. Plut. de placit. phil. lib.* 1. *cap.* 6. *&* 7. finxerunt Deum fabricato Fato hac molestiâ semel defunctum esse, & nunc, postquam profatus sit se omnem administrationem virtutibus cœli & cœlestium concedere, omnia Fato regi. Decepit hæc opinio postea etiam doctiores, ut solet communis error invalescere, & interdum eruditis imponere. Seneca *de provid. cap.* 5. *Ille ipse omnium conditor ac rector, scripsit quidem fata, sed sequitur, semper paret, semel jussit.* Plin. *nat. hist. lib.* 2. *cap.* 7. *Irridendum vero, agere curam rerum humanarum illud quicquid est summum. Anne tam tristi atq; multiplici ministerio non pollui credamus dubitemusve?* & paulò post. *Pars altera & hanc (Fortunam) pellit, astroq; suo eventus assignat, & nascendi legibus: semelq; in omnes futuros un-*

Opinio de fato unde nata.

quam Deo decretum, in reliqvum vero otium datum. Sedere cœpit sententia hæc, pariterq; & eruditum vulgus & rude in eam cursu vadit. Apud Ciceronem *1. de nat. deor.* C. Vellejus Epicureorum sententiam ita proponit. *Quæ nobis Natura informationem deorum ipsorum dedit, eadem insculpsit in mentibus ut eos æternos & beatos haberemus. Quod si ita est, vere exposita sententia illa est ab Epicuro: Quod æternum beatumque sit, id nec habere ipsum negotij quicquam nec exhibere alteri. Itaq; neque ira neq; gratia teneri, quod quæ talia essent, imbecilla essent omnia.* Et post aliqua. *Quærere à nobis Balbe soletis, quæ vita Deorum sit, quæq; ab iis degatur ætas? ea videlicet, qua nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentius excogitari potest. nihil enim agit: nullis occupationibus est implicatus: nulla opera molitur: sua sapientiâ & virtute gaudet: habet exploratum fore se semper cùm in maximis tum in æternis voluptatibus. Hunc Deum ritè beatum dixerimus, vestrum vero laboriosissimum.* Epicurus dixerat τὸ μακάριον ϗ ἄφθαρτον ὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει ὔτε ἄλλῳ παρέχει. Ita Epicurus Deum omnibus curis liberare studens omninò sustulit, & primum motorem à quo omnia vitam ac motum accipiunt planè otiosum fecit. Alii Deum causis secundis alligarunt: cum enim viderent eas rarò præteriri, putarunt summum numen absq; causis naturalibus agere vel nolle vel non posse. Hæc omnia ex ignoratione omnipotentiæ divinæ, quam quia ratione exhaurire non poterant, figmentis obscurabant.

Se-

Secundò hanc opinionem foverunt & enutrierunt Stoici. Nam cum summum bonum, omnibus aliis rebus humanis despectis in sola virtute, (ut apud Cic. 3. *de finib.* videre est) summum vero malum in vitio, mendaciis ac erroribus ponerent; si liberam in homine concessissent voluntatem, coacti fuissent se quoq; omnium errorum ac vitiorum suorum autores agnoscere, quod alienum videbatur ab iis, qui se cum virtute summum bonum assecutos esse opinabantur. Propugnarunt itaq; fatum, ut delictorum culpam in id transferre possent: & quia magnæ autoritatis erant, multos solo nomine suam in sententiam pertraxerunt. Atque hic error multos adhuc, etiam nil magni de se prædicantes, occultè dementat; cum enim justitiæ & innocentiæ amor sit naturalis, difficillimè ratio sui ipsius accusationem à se impetrare potest, sed quærit varios prætextus, ne se contra honestum & utile delinquere fateri cogatur. Est autem hic prætextus totus vanus, si id quod superius dictum est perpendimus, humanas actiones earumque qualitates non existere per se ex universalibus naturę, sed nasci ex aliquo principio motus & actionis interno, quo individuum illud agit & actioni suę qualitatem tribuit. Natura & fatum per se nullam producunt actionem, nec faciunt ut actio bona sit vel mala, sed id totum pendet ab individuo agente. Tertiò hunc errorem auxit falsa collectio, quod ex particularibus & mani-

festioribus quibusdam cœli in corporeis operationibus, universaliter ad omnia corporea & incorporea conclusum fuit, quasi omnia eo modo à cœlo regerentur, ut nonnulla manifestè à sole & luna gubernari videmus. At si hic iterum considerassent ipsas actiones & earum qualitates bonas malasve ab ipsa natura rerum differre, & tantum à voluntate utentis proficisci, nihil ex hoc argumento contra veritatem colligere potuissent. Et tandem ad fati tantam potentiam persuadendam perutile fuit commentum de dæmonibus, ideis, & intelligentiis, *de quo sup. cap. 5. monuimus.* Postquam enim spirituum cœlestium ingentem numerum, cœli rectores, stellarum motores, Dei coadjutores & concreatores fecissent, verisimiliter persuaserunt hac cœlesti spirituum harmoniâ & musicâ facilius omnia regi quam ab uno Deo *v. Lactant. lib.* 1. *instit. cap.* 3. Hisce ex erroribus natum & educatum est superbum illud fatum, quod sibi postea in cœlum & terram, in homines & Deos arrogavit imperium.

Fatum quid? Nec tamen inter omnes de natura & imperio ejus convenit, ut videre licet apud Plutar. *de placit. philos. lib.* 1. *cap.* 25. *& seq.* Quidam *Fatum pro virtute cœli.* fatum pro virtute cœli & astrorum in corporea influente acceperunt, ut Cic. 1. *de divinat. Fatum id appello quod Græci εἱμαρμένην, id est, ordinem seriemq; causarum, cum causa causæ nexa rem ex se gignat. Ea est ex omni æternitate fluens veritas sempiterna.* & paulò post. *Ex quo intelligitur ut fatum*

non

non sit quod superstitiosè, sed id quod physicè dicitur. Chrysippum imitatus est cujus de fato opinionem vide apud Gell. *lib. 6. noct. attic. cap. 2.* Notavit etiam Laërt. *in Zenone* quomodo cordatiores stoici fatum definierint, ἔστι ἡ εἱμαρμένη αἰτία τῶν ὄντων εἰρομένη, ἢ λόγος καθ' ὃν ὁ κόσμος διεξάγεται. *Fatum est connexa rerum series, seu ratio per quam mundus administratur.* Si Platonem *in Timæo* & Trismeg. *in Pœmandro* accuratè inspexerimus, statuerunt illi animas rationales à solo Deo creatas, corpora vero mediante fato & virtute septem planetarum esse composita, ut ita ex illorum opinione tantum corpus & contemperatio elementorum fato subjiceretur. Sic enim expressè Trismeg. *in Poemand. Septem deinde fabricavit gubernatores, qui circulis mundum sensibilem complectuntur, eorumq; dispositio fatum vocatur.* & ad Ammon. *Fatum ministrum est providentiæ & necessitatis, fati vero ministræ sunt stellæ, neq; enim fatum fugere quis potest, neq; se custodire ab istius vi magna, arma namq; fati sunt stellæ.* Sic & Plutarch. *in lib. de fato* accepit, & omnes eruditi qui distinctius de fato sunt locuti. Et hæc non omninò improbari potuissent, si modo fati prædicatores hic substitissent. Nam si stoicorum & aliorum fati assertorum opinionem hanc fuisse statuemus, quod voluerint Deum rarò immediatè agere, sed ideo causas secundas & naturam creasse quod velit omnes humanas actiones ab iis proximè pendere & gubernari, ipsum vero, nisi miracula edere velit, à causis

ſecundis non recedere, nec ſuâ præſentiâ virtutes cauſarum ſecundarum mutare, (quam ſententiam eruditiorum verba non invita concedunt,) illa opinio nullo laborat vitio. Et hoc videntur Stoici quoq; ab initio tantum voluiſſe. Poſtquam vero alii confuſius & magnificentius loqui, & quæ ſolius Dei ſunt etiam fato adſcribere cœperunt, fatum pro voluntate Dei & Deo ipſo acceptum fuit, unde Seneca 4. *de benef. cap.* 7. *Natura, inquit, hoc mihi præſtat. Non intelligis te cum hoc dicis mutare nomen Deo? quid enim aliud eſt natura quam Deus & divina ratio toti mundo & partibus ejus inſerta? quoties voles tibi licet aliter hunc autorem rerum noſtrarum compellare.* & paulò poſt. *hunc eundemq; & fatum ſi dixeris non mentieris. Nam cum fatum nihil aliud ſit quam ſeries implexa cauſarum, ille eſt prima omnium cauſa, ex qua cæteræ pendent. Quæcunq; voles, illi nomina propriè aptabis, vim aliquam effectumque cœleſtem continentia. Tot appellationes ejus eſſe poſſunt quod munera.* Sic & Chryſippus naturam, fatum, Deum & voluntatem Dei confudit ut Pl[illegible] *in lib. de Stoic. repugn.* notavit. Quod confirmat Cicero 1. *de nat. deor.* inquiens. *Idemq; (Chryſippus) etiam legis perpetuæ & æternæ vim, quæ quaſi dux vitæ & magiſtra officiorum ſit, Iovem dicit eſſe, eandemq; fatalem neceßitatem appellat, ſempiternam rerum futurarum veritatem* vide etiam Lactant. *lib.* 1. *inſtit. cap.* 5. Auguſtin. *de civ. Dei lib.* 5. *cap.* 1. At hic primò aberrare cœperunt ſtoici quod Deum cum natura, & cauſas in-

Fatum pro Deo ipſo acceptum.

inferiores cum prima confuderunt. Tandem ipse Iuppiter fatali Parcarum necessitati subjectus fuit: adeò summam majestatem obtinuit fatũ, ut ne summus Deus fato se eripere posse crederetur, nedum ut homini ulla spes reliqua esset. vide Senec. *nat. qu. lib.* 2. *cap.* 35. 36. & Plut. *de Stoic. repugn.* Apud Lucian. dialogus est qui inscribitur Ζεὺς ἐλεγχόμενος, *Iuppiter confutatus*, in quo Cyniscus Iovem exagitat quod fati miser servus & instrumentum sit, ut ascia & terebrum sint instrumenta fabri. & apud Quintil. *declam.* 4. introducitur filius, qui patre reclamante à judice postulat, ut liceat sibi seipsum occidere ne parricida fiat, quod fatale esse mathematicus illi prædixerat: satis stulta petitio, præsertim ab illo, qui fatum evitari non posse contendebat. Hic iterum erratum est triplici modo: primò, quod causam primam secundis contra rationem subjecerunt: secundò, quod causas proximas actionem immediatè regentes, ut voluntates hominum, omiserunt: & tertiò, quod ipsas factorum qualitates per se ex natura, sine respectu agentis necessariò existere opinati sunt: cum Deum, cœlum, & voluntatem hominis non confundere, ipsumq; agens à qualitate actionis ejus distinguere debuissent.

Fatum supra Deum, & Dei Deus.

Nunc igitur, sive fatum sit virtus cœli, ut eruditiores accipiunt, sive sit aliquid in Deo vel Deus ipse, (nam de tertio, an supra Deum sit, impium est quærere,) videamus utrum in

An fatum, quod est virtus cœli, tollat humanam voluntatem.

cœlo & astris, vel in Deo sit aliquid quod libertatem humanæ voluntatis tollat, nobisq; invitis actiones extorqueat, & eas qualitati alicui imbuat? Et primò agemus de virtute cœli seu de natura, an lex cœlestis, *de qua sup. cap.* 5. vel naturalis, *de qua cap. 6. egimus*, actionum humanarum impediant libertatem? Pherecratis opinionem *supra cap.* 12. audivimus, qui naturam adeo omnia in omnibus operari putabat, ut nec in brutis nec in hominibus animam aut vitam concederet. Idem statuebat Chrysippus, ut Plut. *de stoic. repugn.* refert: *Nihil*, inquit ibi Chrysippus, *singularum rerum, ne minimum quidem fieri potest aliter quam secundum communem naturam & ejus rationem.* & paulò post ejusdem hæc verba ponuntur: *Communi natura in omnia penetrante, necesse erit omne quod fit in ratione & quacunq; ejus parte, secundum eam fieri ejusq; rationem, ac deinceps procedere sine ullo impedimento, cum nihil foris sit quod impedire possit administrationem, neq; pars ulla aliter moveri queat, quam secundum communem naturam.* Ita Stoici nihil in nostra potestate, imò nec animas in corporibus, sed naturam universalem omnia in omnibus esse affirmarunt, & tamen summum bonum in virtute ponere, hominesq; ad eam excolendam hortari non dubitarunt. At si nullæ animæ sunt nostris in corporibus, cogitarent inanem esse omnem admonitionem, nec posse nos agere aliter quam in nobis agentem pateremur naturam: tantummodo expectarent cor-

corpora noſtra operationem & influxum naturæ. Seneca interrogatus quis uſus ſit philoſophiæ, ſi omnia fato fiant? nequit ſe extricare, ſed petitione principii reſpondet philoſophiæ operam dandam, quia ſit utilis, *epiſt.* 16. Non eſt quod ſolos Stoicos tam turpis contradictionis accuſemus, ſiquidem omnes quotquot neceſſitate aliquâ, ſeu divinâ ſeu fatali, omnes actiones & earum qualitates exiſtere arbitrantur, huc tandem compelluntur, ut Deum & naturam omnia in omnibus agere, nullam animam, vitam, voluntatem ac operationem in creaturis eſſe, ſtatuere cogantur. Atqui id palàm falſum eſt, ut *ſup. cap.* 12. evicimus, nec affirmari poteſt niſi ab eo qui ſua ipſius confeſſione animâ ejuſq; motu caret, hoc eſt, qui nec ſenſus habet nec rationem. Si dixiſſent Stoici naturam ita conſtitutam eſſe à Deo, ut elementa tanquam cauſæ inferiores invito & repugnante cœlo nihil agere poſſent, & deinde in vivis creaturis vitam cauſaſq; proximas immediatè agentes relinquendas meminiſſent, nullam incurriſſent reprehenſionem. Sed nimia prædicatio virtutum cœli & confuſio omnium cauſarum inferiorum eos deceperunt. Quod vero ad fatum ſeu virtutes cœli attinet, nemo negat evidentem ſolis & lunæ operationem, nec dubium eſt cœlo & omnibus ſtellis virtutem quandam ineſſe: attamen influxus cœli tantum remota & generalis cauſa eſt, quæ determinatur à ſubjectis recipientibus, ut videmus

Fatum quatenus agat.

mus

Digitized by Google

mus uno eodemq; calore solis hæc indurari, illa liquefieri, hæc albescere, illa nigrescere, quę differentiæ causa necessariò statuitur in subjecta materia. Una itaq; virtus cœli diversos sortitur effectus pro qualitate materiæ recipientis, & operatur tantum universaliter qualemcunq; inclinationem & contemperationem, ut Plut. *de fato* concludit, ὐ πάντα καθαρῶς ὐδὲ διαῤῥήδην ἡ εἱμαρμένη περιέχει, ἀλλ' ὅσα καθόλου. *non omnia simpliciter & expresse fato continentur, sed tantum universalia*, de singularibus disponere solius divinæ omnipotentiæ & sapientiæ est. Atq; ita cœlum non agit omnia suo arbitratu, cum materiam objectam mutare nequeat. Observare etiam licet, virtutes cœli suarum operationum finem sæpè non assequi, etsi materia tali formæ recipiendæ naturaliter objecta fuerit, quod inde evenire credibile est, cùm quia cœlum vim facere nequit, tùm quia elementaria, postquam terra divinâ maledictione percussa, & innumeris hominum inquinationibus conspurcata est, suâ malignitate virtutibus cœli resistunt, ut Iamb. *de myst. Ægypt. cap.* 14. docuit. Nam si materiæ malignitas nunquam resisteret, natura finem suum semper assequi posset & pulcherrimè operaretur, molæ, abortus, monstrosi partus & similia non conspicerentur. Ex quibus apparet, fatum nec in ea quidem liberè agere, quæ infimæ conditionis & virtutibus cœli maximè objecta sunt, cum non possit ex quavis materia quodvis producere,

Fatum non agit liberè in materiam.

Digitized by Google

re, imò cum ejus tota operatio solâ qualitate materiæ alias sequacis possit vitiari, Multò minus dominabitur in animas & voluntates, rebus corporeis visibilibus subtiliores & liberiores: quod evictum arbitramur iis argumentis, quibus *supra cap.* 12. ostendimus, sensus & vitam nulli creaturæ frustra datam, nec universali naturâ omnia in omnibus agi. Inprimis vero in animas rationales fatum agere nequit, quæ nobiliores, liberiores & minus materiales sunt quam cœlum. Ratio non ex materia producta fuit, nec elementari contemperatione constat, sed à Deo immediatè est inspirata. Ergo nobilitatem & libertatem suam à vi cœli semper defendit, nec passa est sibi fatales compedes injici, vide Plotin. *lib.* 1. *en.* 3. *lib.* 3. *en.* 2. Mercur. *in serm. ad Tatium.* Iambl. *de myst. Ægypt. cap.* 40. quos secuti innumeri alii tandem fatum, quasi cœlo deturbatum, rationis pedibus subjicêre. Virg. 2. *Georg.*

In formam multo minus.

In rationem non agit fatum.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas
Atq; motus omnes & inexorabile fatum
Subjecit pedibus.

Boet. *de consol phil. lib.* 1. *met.* 4.

Fatum sub pedibus dedit superbum.

Si Platonem ita interpretabimur, quod legem cœlestem ac naturalem ad facultates animæ ignobiliores aliquid conferre putarit, quibus postea facultas ratiocinativa, tanquam summus gradus & rector à Deo adjiceretur (quam Platonis mentem, ut & sup. *cap.* 5. innui, fuisse opi-

Digitized by Google

opinor) reprehendi non poteſt. At ſi cœlo imperium in rationalem animæ facultatem; vel in facultates animæ inferiores fato plus poteſtatis quam rationi tribuitur, erroneum eſt. *vide Piccolom. gradu mor. 2. cap.* 34. 35. Huc ergo tandem omnis de fato diſputatio redit, ut concedamus univerſalem & generalem aliquem cœli in corpora influxum, qui tamen materiæ vim nullam afferre, multò minus voluntatem animalium cogere poſſit. Immutabile & inevitabile eſt fatum, quo ad generalem iſtum virtutum cœleſtium in corporea influxum: mutabile eſt & evitabile, quo ad particularia & definitas animalium actiones. Cum autem omnes actiones viventium à voluntate proficiſcantur, & circa particularia ſint ut ſupra docuimus, certum eſt nullas actiones vi fati imperari aut prohiberi poſſe. Si motus & gubernatio animalium penes corpus & materiam, vel penes facultates animæ ignobiliores eſſet. & ſi actiones humanæ cum ſuis qualitatibus neceſſario ex ipſa ſubſtantia ſequerentur, tum nos aliquo modo regeret fatum, at nemo unquam dixit principium & regulam motus in materia eſſe, ipſaſve actiones naturâ per ſe ſine agente aliquo ſpeciali exiſtere *v. ſup. cap.* 7. Apud illos vero fatum aliquid poteſt, qui lege corporis reguntur, & animæ ſuæ facultatibus uti negligunt: & quia quidam ſunt qui animæ imperio non utuntur, negandum etiam non eſt fatum apud illos homines efficaciter operari,

ri, & ſe etiam in actionibus humanis exerere. ſed tamen etiam in his naturalia illa, quæ ex fato ſolo ſunt & citra actionem conſiderantur, nec bonam nec malam actionem producunt, ſed ſimpliciter, in naturali ſuo eſſe citra actionem manent. Quod autem actiones nullæ per ſe ſine motu agentis exiſtere velint, in eo hos ſuam ignaviam, non fati obſtaculum accuſare oportet. Nam quod quidam hîc iterum ex contingentibus ad neceſſitatem concludere volunt, & quòd lege cœli evincere non poterant lege naturæ elementaris obtinere opinantur, cum hominum mores temperamentum corporis ſequi aſſerunt, vix contingenter verum eſt. Natura noſtrorum corporum temperamenta liberè non conſtituit, cùm materiam ſuo arbitratu mutare & cogere nequeat, & ſi id poſſet, optima nobis conſtitueret temperamenta, quia contra Deum à quo immediatè pendet non agit, nec ullo modo ad vitium aliquod animi vel corporis inclinare poteſt, cùm ſit optima & optimum ſemper intendat. Et non inclinarent ſed neceſſitatem nobis imponerent aſtra ac elementa, ſi actiones neceſſariò ſequerentur corporis temperamentum, quo dato, viciſſim relaberemur in abnegationem vitæ & alia abſurda ſuperius indicata. Videmus etiam exempla planè contraria: quidam naturâ calidiores, aſſuefactione, doctrinâ & nutrimento manſueti & placidi; alii naturâ tardiores, corporis & animi alimento pravo, im-

An lex naturæ faciat mores temperamentum corporis ſequi.

importuni & iracundi evadunt, ut cum omnium admiratione naturam quaſi exuant & immutent. Sed quicquid illi de fato & temperamento diſputent, hoc tamen probari non poteſt, actiones humanas cum ſuis qualitatibus ex fato & temperamento ſine interno aliquo agentis principio neceſſariò ſequi. Conſtituant aſtra temperamentum calidum aut frigidum; an propterea neceſſum eſt homines hoc temperamento benè, illo malè uti? an non calidi & frigidi benè & malè agere poſſunt? Si exempla inſpexerimus, nihil datur invenire in naturis calidis quod non ſit item in frigidis, & temperamenta neminem per ſe faciunt pejus aut melius agere, ſed id ubiq; relinquunt agentis applicationi. Si quis de aliis ſtellis dubitare velit, negare tamen non poteſt ſolem & lunam efficaciter operari in elementis & hominum corporibus, ſed quia videmus omnis generis virtutes & vitia omnibus in regionibus & temporibus, inde ſatis liquere poteſt actiones noſtras â calido aut frigido cœlo non pendêre. Sit ergo vis quædam vegetandi & vivificandi in cœlo, modo non negetur creaturam viventē iis quæ motu cœli producta ſunt motu proprio & arbitrio ſuo interno benè vel malè uti poſſe. Nemini ignotum eſt quid Cicero de hac quæſtione judicet, cum *in lib. de fato* inquit: *Stilponem Megaricum philoſophum, acutum ſanè hominem & probatum temporibus illis accepimus. Hunc ſcribunt ipſius familiares & ebrioſum &*

mu-

mulierosum fuisse : neq; hoc scribunt vituperantes, sed potius ad laudem. Vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam & compressam esse doctrinâ, ut nemo unquam vinolentum illum, nemo in eo libidinis vestigium viderit. Quid ? Socratem nonne legimus quemadmodum notarit Zopyrus physiognomon, qui se profitebatur hominum mores naturasq; ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere ? Stupidum esse Socratem dixit & bardum, quod jugula concava non haberet : obstructas eas partes & obturatas esse dicebat : addidit etiam mulieriosum, in quo Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse. Sed hæc ex naturalibus causis vitia nasci possunt, exstirpari autem & funditus tolli, ut is ipse qui ad ea propensus fuerit, à tantis vitiis avocetur, non est id positum in naturalibus causis, sed in voluntate, studio, disciplina. Et talia quotidiè videmus exempla : Terent. putat *solo amore homines adeò immutari posse, ut non agnoscas eundem esse.* Quid de hominis disciplina loquimur ? sumamus fortiora argumenta à beluis, in quibus ratio non cooperatur : equi, leones, tigrides, animalia generosa, animosa & crudelia, disciplinâ & assuefactione naturam ita exuere possunt, ut ab imbelli puero tandem sub jugum mittantur. Mores ergo temperamentum corporis necessariò non sequuntur, sed contingenter cum facultatibus animi uti negligimus, ut supra dictum est. Fortè etiam hæc causa à physicis tantum fingitur & à posteriori verisimiliter persuadetur, per se autem tota nulla est, cum eadem vitia sint in omnibus tempera-

K mentis.

mentis. Plura de his vide apud Piccolom. *gr. moral. 1. cap. 28. & seq.*

Est autem & hoc observatione dignum, eos qui fato omnia tribuunt non modo usum rationis ex homine tollere, sed etiam operationem legis peccati cum operatione fati confundere. Et quidem hoc solo fine defendunt fati violentiam, non ut inde evincant astra efficaciter operari ad bonum, & testes esse malitiæ hominum, sed ut sese in omnibus delictis excusare, & culpam scelerum in fatum Deumq; possint transferre. Magna verò hic fit injuria Deo creatori, qui præsupponitur creasse & conservare cœlum tale, quod sit causa omnium malorum. Si verò distinxerimus operationem fati seu cœli naturalem ab operatione legis peccati, quæ non in cœlo sed in homine habitat & contra naturam est, apparebit nihil magis esse contra fatum, quam illud quod vulgò ad excusationem delictorum fato imputatur. Quid ergo? si concederemus mores aliquo modo sequi temperamentum corporis, & fatum per facultates animæ inferiores etiam ad rationem accedere, quid illi obtinuissent? nihil certè nisi hoc tantum, naturalia bona in homine naturaliter quatenus possint constitui. Quod verò illi inde evincere conantur, ergo etiam ipsas individuorum actiones & earum qualitates à natura sola proficisci, id ex hisce argumentis non sequitur. Distingvamus res

ipsas

ipsas ab earum actionibus & harum qualitatibus, & nihil illos excusabit fatum.

Nihil ergo esse in cœlo & universa natura, quod nobis usum rationis eripere vel actionibus nostris modum dare possit, stat sententia. Quapropter & Cicero, ut supra monuimus, legem cœlestem & naturalem vix attigit, quia cœlum & elementa ad actiones humanas nihil conferre vidit. Nos etiam Platonem audire, illis qui fato nos subjiciunt respondere, & Iureconsultis à natura communi incipientibus lucem afferre voluimus. Puto autem Ciceronem eodem, quo nos, consilio contra fatum disputasse, cujus libellum lector hoc loco percurrere poterit, plurima enim utilia illic invenerit quæ nos huc reponere noluimus. Nunc videamus, quandoquidem omnia quæ de fato & natura dicuntur, tandem ad ipsum Deum naturæ autorem & primum motorem ita pertingunt, ut multi ideò fatum cum voluntate & operatione Dei immediata confuderint, an sit aliquid in Deo, quod nobis adimat vel impediat rationem & voluntatem?

Concluditur rationem à natura non tolli.



Non omnia à Deo fieri quæ fiunt, sed multa hominis voluntati relinqui.

CAP. XVI.

DE iis quæ in Deo humanæ voluntati officere putantur paucula repetituri, distin-

Digitized by Google

guemus Dei voluntatem, præscientiam, providentiam & prædestinationem, ut de singulis explicatius loqui possimus. Distinctionem hanc docendi tantum gratia facimus, ne conceptus turbetur humanus, quam nemini nisi fraudem in confusione humanarum apprehensionum quærenti molestam fore speramus. Alioquin in confesso est, omnia in Deo essentialia & unum esse, & quæ Dei essentiæ non conveniunt, nullo alio appellationis titulo illi adscribi posse. Loquamur ergo de voluntate Dei copiosius, ut de reliquis appellationibus brevius agere possimus.

Dei esse & velle est totum. Est in essentia Dei omnipotentis voluntas, quæ tamen nihil novi in Deo constituit, sed est essentia ipsa. Ut ergo Deus infinitè & purè bonus est, nec quicquam à Deo alienius quam ut mali sit particeps, ita etiam nihil Deo indignius dici potest, quam voluntatem ejus aliquid mali probare posse. Malum nemo vult, nisi errore aut malitiâ: utrumq; à Deo alienissimum, qui Mens ipsa, omnis erroris expers, & purè bonus est: nec quicquam certius habemus, quam in Deo extremam detestationem & ineffabilem abominationem omnis mali esse. Voluntas Dei, vel est de propriis vel de hominum actionibus. *Actiones divinæ.* Quæ Deus à se fieri vult, nemo dubitat quin necessariò & statim fiant, nihil enim impedire potest omnipotentem, Mercur. *in Asclep.* inquit, *Voluntas Dei summa est perfectio, utpote cum voluisse & perfecisse uno eodemq; tempo-*

temporis puncto compleat. Et mox: *Placitum Dei ne- necessitas sequitur, voluntatem comitatur effectus; neque enim credibile est Deo displiciturum esse quod placuit, cum & futurum id & placiturum multo antè sciverit.* Et hæ actiones, quæ immediatè à Deo proficiscuntur, vocantur *divinæ*, suntq; (quando Deus illas fieri vult) necessariæ & paratæ executionis. Cum verò nobis propositum sit de voluntate & actionibus hominum agere, at in actionibus divinis Deus immediatè sine ullo cooperatore agat, divinæ actiones ad nostrum institutum non pertinent.

Alia est itaq; voluntas Dei de iis quæ ab hominibus fieri vult. Docuimus supra ideò conditum esse hominem ut vitam & voluntatem haberet, quâ Deo obedire & in gloriam creatoris sui aliquid agere posset. Nam si Deus in vivis creaturis omnia citra earum voluntatem agere, easq; ut ventus caduca folia agitare voluisset, vitam & voluntatem, & homini præterea imaginem Dei, rationem & usum ejus donare non potuisset. Et si Deus res naturales fecisset tales quæ per se sine nova speciali virtute Dei nihil potuissent agere, illæ tantum inchoatæ & non perfectæ fuissent in creatione, fuissent inutiles & nullæ causæ, & creaturæ non bonæ. Sublatis causis secundis tollitur natura, sublata natura tollitur creatio: at naturam Deus creari & esse voluit, quapropter causas secundas tollere non potuit: & quamdiu manebunt creaturæ vivæ, manebunt etiam voluntates inferio- *Actiones humanæ.*

Digitized by Google

feriores, & libertas earum in actionibus naturalibus. Vult itaq; Deus non omnia à se immediatè sed quædam ab hominibus fieri: nempe omnia quæ in lege & verbo suo faciunda præcepit. Has actiones, quia à voluntate hominis pendent, à causa proxima & immediatè operante vocamus *humanas*. De his quæstio est, an quia Deus hominibus quid facere debeant præcepit, & quid facturi sint præscivit, illæ propterea fiant necessariò, an verò facere & non facere sit in hominis potestate? vide de ea quæst. Augustin. *de civ. Dei lib. 5. cap. 9. & 10. Piccol. gr. morali 2. cap. 33. 36.* Tradidimus supra principium motus, legem & regulam actionum humanarum proximam non esse legem divinam, cœlestem, aut naturalem, sed aliud quid ipso in homine existens, nempe animam ejus seu rationem. Huic vitam & motum proprium inesse asseruimus, ad evitanda absurda quæ ex vitæ voluntatisq; denegatione secutura jam sæpius ostendimus; vindicavimus præterea ejus libertatem ab imperio fati: quæ omnia in memoria esse oportet. Præbent enim nobis primum argumentum, quod nempe Deus homini vitam, sensus & rationem non frustra dederit, eumq; potestate fati solverit, sed eo fine ut motu proprio aliquid agere posset. Alterum argumentum huic simile ex modò dictis sumimus, quod Deus non semper immediatè agat, sed sæpè mediatè, atq; ideò quæ ab hominibus fieri

Si Deus omnia ageret, homo vitam frustra haberet.

Et Deus frustra præciperet.

fieri vult non frustra illis præcipiat. Sequitur tertia & inexpugnabilis probatio, quod plurima mala fiant vel omittendo vel committendo, quæ cum à Deo nec fieri nec adjuvari nec probari possint, sequitur necessariò aliud esse actionum humanarum principium extra Deum, quod motu proprio benè & malè operari possit. Et cum maxima pars actionum humanarum mala, atq; adeò propter indesinentem rationis cum carne luctam nulla purè bona sit, nulla etiam Deo soli adscribi poterit. Præclarè Plato *2. de repub.* οὐκοῦν ἀγαθὸς ὅ γε θεὸς τῷ ὄντι τε, καὶ λεκτέον οὕτω; τί μήν; Ἀλλὰ μὴν οὐδέν γε τῶν ἀγαθῶν βλαβερὸν ἦ γάρ; Οὔ μοι δοκεῖ. Ἆρ' οὖν, ὃ μὴ βλαβερὸν, βλάπτει; Οὐδαμῶς. ὃ δὲ μὴ βλάπτει, κακόν τι ποιεῖ; οὐδὲ τοῦτο. ὃ δέ γε μηδὲν κακὸν ποιεῖ, οὐδ' ἄν τινος εἴη κακοῦ αἴτιον; πῶς γάρ; τί δέ; ὠφέλιμον τὸ ἀγαθόν; Ναί. Αἴτιον ἄρα εὐπραγίας. Ναί. Οὐκ ἄρα πάντων γε αἴτιον τὸ ἀγαθὸν, ἀλλὰ τῶν μὲν εὖ ἐχόντων αἴτιον, τῶν δὲ κακῶν ἀναίτιον. παντελῶς γὰρ ἔφη. οὐδ' ἄρα (ἦν δ' ἐγὼ) ὁ θεὸς, ἐπειδὴ ἀγαθὸς, πάντων ἂν εἴη αἴτιος, ὡς οἱ πολλοὶ λέγουσιν, ἀλλ' ὀλίγων μὲν τοῖς ἀνθρώποις αἴτιος, πολλῶν δὲ ἀναίτιος. πολὺ γὰρ ἐλάττω τ' ἀγαθὰ τῶν κακῶν ἡμῖν· καὶ τῶν μὲν ἀγαθῶν οὐδένα ἄλλον αἰτιατέον, τῶν δὲ κακῶν ἄλλ' ἄττα δεῖ ζητεῖν τὰ αἴτια, ἀλλ' οὐ τὸν θεόν. ἀληθέστατα (ἔφη) δοκεῖς μοι λέγειν. *Nonne bonus & ipse Deus est, & ita dicendum? proculdubio. atqui nullum bonum noxium est, annon? nullum, ut arbitror. quod innoxium est, nunquid nocet? nequaquam. Quod non nocet, nunquid malum facit? neq; istud quidem. quod autem nihil mali facit, nullius mali est causa. nullius. Item, nonne conducibile bonum*

Si omnia à Deo fiunt, ergo & mala.

Digitized by Google

est? prorsus. ergo bene feliciterq; agendi causa est. est. non igitur omnium causa bonum est, sed eorum quæ bene se habent causa, eorum verò quæ malè, nequaquam. Sic est omnino. Non igitur Deus cum bonus sit omnium causa est, ut multi dicunt, sed paucorum quidem hominibus in causa est, multorum verò extra causam, multò enim pauciora nobis sunt bona quam mala. Et bonorum quidem solus Deus causa est dicendus, malorum autem quamlibet aliam præter Deum causam quærere decet. Verissima loqui mihi videris.

Hanc consequentiam, quod videlicet sublata voluntatis humanæ libertate Deus omnium malorum principium & finis constituendus esset, viderunt & exhorruerunt omnes: ideoque hic sudant necessitatis propugnatores, & cum nemo Deum malum esse palàm affirmare audeat, in varias sese vertunt formas, nec tamen adhuc inuenêre quâ phrasi Deum peccatorum autorem esse persvadere possint. Epicurum, quia non auderet Deum malorum autorem asserere, Deos potius otiosos finxisse, humanasq; actiones fortunæ & casui adscripsisse dicit Plutarch. *de Stoic. repugn.* Sed cum Epicuri opinio, ut Cic. *de nat. deor.* inquit, verbo quidem relinqueret Deos at re ipsâ negaret, (siquidem deos nullius rei curam gerentes, & quasi æterno lethargo stertentes agnoscere, nihil aliud est quam Deum primum omnium motorem & actum simplicissimum omninò negare, *Plut. de plac. phil. lib. 1. cap. 7.*) nec tamen discipuli ejus cum ab adversariis urgerentur aliud effugium nossent,

Epicurei maluerunt Deos otiosos fingere, vel omninò negare, quam malos fateri.

Digitized by Google

nossent, plurimi ex illis manifestè athei facti sunt, & potius quam Deo mala imputarent, Deum esse palam negarunt. Inter quos meritò numeratur Lucianus, apud quem Sostrates quidam cum judice infernali Minoe expostulat, se immeritò damnari, qui Deo ita volente & fato cogente malus fuerit: quem cum Minos refutare non posset Mercurius solvit, sed eâ conditione ne alias animas ita disputare doceat. metuebat opinor Minos, si hæc disputatio invalesceret, ne damnati causam obtinerent, ipse verò propter injustum judicium æternas pœnas lueret. Iudicent alii, utrum Epicurei & athei rectius & rationabilius deos suos omninò abnegarint, quam eos cum Stoicis omnium impietatum, parricidiorum, mendaciorum, & quicquid perpetrari potuit delictorum, autores statuissent. Plutarchus certè putat Stoicos Epicuro absurdiores fuisse, ideò Chrysippo vehementer indignatur *in lib. de Stoic. repugn.* cum inquit. *Quomodo ergo hæc cohærent? Deum nullius turpis rei quovis modo causam esse, & nihil vel minimum secus fieri posse, quam secundam communem naturam ejusq; rationem? nam cum omnia Diis adscribuntur quæ fiunt, utiq; etiam turpia in iis sunt. Enimverò Epicurus utcunq; torquet se & argutias meditatur, à sempiterna motione machinatus liberare & absolvere voluntatem, ne inculpabilem relinqueret malitiam. Chrysippus solutissimam libertatem huic concedit, ut non modo necessario & fataliter, sed etiam secundum rationem Dei & naturam vitia fiant optimam.* & paulo post, ἐπεὶ μὲν

 ἐν τῶ-

Deum non agere mala quia non sit sibi contrarius.

ἂν τοῦτο δεινὸν, τὸ καὶ γίνεσθαι τὴν κακίαν καὶ κολάζεσθαι κατὰ τὸν τοῦ Διὸς λόγον, *indigna verò res est, & fieri mala & puniri secundum Iovis rationem.* Et quia Chrysippus dixerat etiam mala, quæ Deus facit, mala non esse, & non inutiliter homines furari, marsupia amputare, calumniari, insanire, inutiles, damnosos, infelices esse; quærit, *Qualis ergo est Iuppiter (de Chrysippeo loquor) rem puniens neq; ultrò neq; inutiliter factam? nam Chrysippi ratio efficit vitia omninò culpanda non esse sed Iovem, sive is fecit vitia quæ nihil prodessent, sive punit cum fecisset nō inutilia.* & in libello περὶ δεισιδαιμονίας, *de superstitione,* oratione terroris & aculeorum plenâ, gravissimisq; argumentis evincit, multo melius esse nullum omninò, quam crudelem & malorum autorem credere Deum. Boët. *de consol. phil. lib 5. prosa 3.* easdem absurditates abominatur, cum inquit: *Quo (puta fato) semel recepto, quantus occasus humanarum rerum consequatur, liquet. Frustra enim bonis malisq; præmia pœnave proponuntur, quæ nullus meruit liber ac voluntarius motus animorum. Idq; omnium videbitur iniquissimum, quod nunc æquissimum judicatur, vel puniri improbos, vel remunerari probos: quos ad alterutrum non propria mittit voluntas, sed futuri cogit certa necessitas. Nec vitia igitur nec virtutes quicquam fuerint; sed omnium meritorum potius mista atq; indiscreta confusio. Quoq; nil sceleratius excogitari potest, cum ex providentia rerum omnis ordo ducatur, nihilq; consiliis liceat humanis, fit ut vitia quoq; nostra ad bonorum omnium referantur autorem. Igitur nec sperandi aliquid nec deprecandi ulla ratio est. Quid enim vel speret quisquam, vel*

etiam

etiam deprecetur, quando optanda omnia series indeflexa connectit? Auferetur igitur unicum illud inter homines Deumq; commercium, sperandi scilicet ac deprecandi &c. Putant nonnulli se ita elabi posse, si cum Chrysippo dicant mala non esse mala si ea Deus faciat, seu quod idem est, Deo legem non esse scriptam: at non vident Deum esse legem ipsam, & eo ipso quo statuitur Deum contra legem moralem agere posse Deum non modo negari, sed & quovis sui ipsius hoste & corruptore deteriorem statui. At si Deus omnia facit in nobis, & omnia mala ideò coram Deo bona sunt quia Deus malè agere nequit, sequitur nulla omninò esse peccata, quia ponitur nos nihil agere posse nisi volente Deo, quod autem Deus vult bonum esse non negatur. Si nullum est peccatum, ergo neque lex aut Deus contra quem peccari posset. Id quidem certum est, si peccata volente ac juvante Deo fiunt, & ipsi Deo injusta non sunt, justitia ipsa nihil est nisi opinio hominum vana. Etiamsi verò poneretur illud, posse Deum contra jus morale agere, tamen eo ipso non erepta esset homini voluntas, quia Deus nobis suum jus servandum præcepit: vel certè iterum vehementer accusandus esset legislator, quod præcepta vitæ nobis daret, jurans hanc esse voluntatem suam ut secundum ea omnia hominum opera judicentur, & tamen ea ipse nec respiceret, nec homini ullam facultatem boni vel mali unquam concederet. Paulus *Rom.* 3. conclu-

dit

dit, Deum si mala vellet non posse judicare mundum. Sed argumenti hujus absurditas patebit inferius, cùm ostendetur legem moralem esse ipsam essentiam Dei, contra quam nullo modo agere possit aut velit.

Verum ut certum relinquamus, actiones pravas à Deo proficisci non posse, & esse omninò aliud principium actionum humanarum quæ purè bonæ non sunt, attingenda sunt breviter quædam dissentientium argumenta, quarum pleniorem refutationem ad theologos remittemus. Dicunt ergo, Deum etiam mala velle posse, quia crearit hominem qui labi posset, voluisse ergo lapsum: quibus respondemus Deum, si hominem voluisset creare talem qui omninò peccare non posset, aut nullam vitam & voluntatem homini dare, aut novos Deos creare debuisse. Quid enim creatura amplius capere potuit quam imaginem Dei? quidve est supra imaginem Dei nisi Deus ipse? & si creari potuisset novus Deus, quæro an illi libertas voluntatis potuisset adimi? si libertatem voluntatis non habuisset homo, nec imaginem Dei habuisset, nec Deus finem suæ creationis in ipso fuisset assecutus, ut *sup. cap. 12.* indicavimus. Vita & libertas, quæ sunt de essentia Dei, non patiuntur ut Deus stoicam necessitatem, & vitam essentialibus vitæ proprietatibus destitutam creet. Consideratius ea de re loquitur Seneca, *2. de benef. cap. 29.* quem benevolus lector inspicere poterit.

An Deus velit pravas actiones.

Quod

Quod autem Deus putatur cum pravitatibus actionum cooperatione naturali concurrere, negamus verum. Concurrit quidem Deus per conservationem naturæ semper cum naturalibus, sed ea per se bona sunt, mala autem existunt circa hæc per accidens ex pravâ applicatione, cum qua Deus non concurrit. Verbi gratia: Deus naturalia media propagationis humanæ ordinavit per se bona, ad actiones verò indifferentia, ea sustentat & bona per illa operatur. At quando malè applicantur tum existit peccatum, non quod ipsa membra eorumve usus peccatum fiant, sed quod illa qualitas pravi usus peccatum sit, quam Deus non constituit. Deus & natura nemini tale corpus dederunt, ut cogatur cum hac persona concumbere ut existat adulterium, nec incitat nos vera natura talia ad facta, sed lex peccati & naturæ depravatio: vera natura semper cum ratione conjuncta est, quæ operationem perficere & finem suum assequi potest in tali objecto in quo non peccet. Utile & bonum est nos naturaliter mobilia prehendere, pecuniam loco movere & loqui posse, & cum hisce concurrit Deus, sed nec natura nec Deus cogit nos hisce naturalibus donis ad furta & mendacia abuti. Plato *in Conviv.* inquit: *Actionis cujuslibet hæc est conditio, ut suapte natura neq; honesta sit neque turpis, ut ea quæ nunc agimus, bibere, canere, disputare. nullum ex his seipso turpe vel inhonestum. Sed agendi modus actioni certum tribuit cognomentum. Quod enim benè*

An Deus juvet prava actionum.

bene recteq; agitur, honestum, quod non rectè, turpe resultat. Hæ sunt applicationes illæ, quas in nostra potestate esse & à voluntate Dei nostræ facultati relinqui dicimus, ex quib. actiones bonæ malæve existunt. Nam ut supra docuimus actiones per se non existunt ex universalibus, multo minus illæ qualitates ex quibus actiones bonæ vel malæ cognominantur ipsâ naturâ in factis hærent, sed omnia hæc, ut ex naturaliter posibilibus actio existat, utq; ea spontanea vel invita, amica vel dolosa sit, hæc unicuique in omnibus actionibus contingunt particulariter ex aliquo speciali principio motus, quod in agentis potestate est, illiq; actionem bonam vel malam efficit. Hanc universalium applicandi facultatem si nobis adimeret Deus, tolleretur humana vita, & tum omnia fierent à Deo. Rectè dicimus omnia volente Deo fieri, puta quæ verè & rectè fiunt, veroq; suo usui applicantur, nam quæ non rectè fiunt, quatenus malè fiunt, verius dicuntur non fieri & suo usu privari, quam fieri. ut Augustin. *de civ. Dei lib. 12. cap. 7.* docuit, peccati causam non esse efficientem, sed deficientem, & tum fieri peccatum, cum non fit quod debet. Quia autem raro quid rectè fit ab hominibus, rectè etiam dicimus non omnia fieri volente Deo, hoc est qualia Deus vult, & qualia ratio recta postulat, quia semper factis nostris prava qualitas adhæret.

An Deus pravas ap- Sed quæritur ulterius, cur ergo Deus pravas applicationes non prohibeat? respondeo, Deus homi-

Digitized by Google

hominem ante lapſum non indifferentem fecit, ſed in poſſeſſione ſuæ imaginis conſtituit, cumq; ratione munivit & præceptis ſpecialibus inſtruxit : poſt lapſum verò reliquit illi rationem, boni & mali judicem : ut ita ante lapſum poſſet omnibus, poſt lapſum multis peccatis abſtinere. Libertas autem agendi homini in totum adimi non potuit, ſiquidem viva creatura eſſe debuit. Quo autem modo poterat, peccandi facilitas illi adempta erat, primò quia homo erat in poſſeſſione imaginis divinæ; deinde quia acutiſſima ratione præditus erat, quâ fructum peccati prævidere poterat; tertiò, quia Deus naturam conſtituerat ex appetitu boni, qui omninò non poteſt exui; *Piccol gr. mor. 2. cap. 38.* & tandem homo à Deo ſpecialiter præmonitus, & denunciatione pœnæ territus erat. At vi divinæ omnipotentiæ totaliter prohiberi non potuit, quia etiam dubitandi facultas & minima peccandi cupiditas, hoc eſt intima vitæ & voluntatis principia fuiſſent delenda, cum verè dicatur etiam eos qui deliberant jam peccaſſe & deſciviſſe, & juſtitia Dei non patiatur hominem abſolutâ vi divinâ juſtum eſſe cogere, qui ſi ſuæ voluntatis eſſet, nollet juſtus eſſe, ſed vellet malè agere. Ut juſtitia non operatur injuſtiam, vita non efficit mortem, ita nec libertas & liberum agens operatur talem coactionem. Amarum eſt & inviſum omne invitum. quæ vita, quæ ratio, quæve ejus delectatio eſſe poſſet in tali prohibitione ? Nam ſi Deus

plicationes prohiberi poſſit.

Deus mala violenter prohibere vellet, nihil esset quædam impedire, omnia omninò quæ à nobis pravè perpetrari possunt essent prohibenda: atq; ita iterum delenda esset vita & tota natura hominis. Non enim est ut quis cogitet hoc & illud quod ipse observavit & de quo nunc fortè specialiter loquitur malum impediendum fuisse, omnes actiones & cogitationes nostræ aliquid mali habent & tota natura est corrupta, ergo ut dicimus vita & natura humana penitus fuerat abolenda. Verum hoc modo justitia Dei nullum locum reliquisset misericordiæ, nec ipse finem creationis suæ esset assecutus. Sic relabimur subinde in easdem refutationes, perinde ut adversarii in easdem absurditates, & cogimur tandem homini voluntatem relinquere, Deumq; à pravis actionibus alienum fateri. Pleniorem refutationem petet lector à Theologis. simul autem consideret, quæso, quam necessarium sit studioso juris, sanæ doctrinæ philosophicæ & theologicæ, non adspergi modo, sed benè imbui. Profecto qui verbo quidem Deum justum bonumq; vocant, at re ipsâ eum omnium malorum autorem statuunt, veri Iureconsulti existere nequeunt, sed totam jurisprudentiam nobis funditus evertunt. Iurisconsulti nomine dignus non est qui tantum verba legum novit, *l. scire 17. D. de legib.* nec qui turpis quæstus causa ut lingvam & conscientiam venalem habeat litigare didicit, *l. præses. §. proinde. D. de extraord. cognit.* sed qui rerum

Studioso juris cognitio theologiæ necessaria.

rerum divinarum & humanarum notitiam conjunxit, eo fine ut sit justitiæ sacerdos & minister Dei, & qui concives suos metu pœnarum & exhortatione præmiorum bonos efficit, ut Ulpianus *l. 1. §. 1. & l. 10. D. de justit. & jure* docuit. At quomodo ministri Dei sunt, qui neminem nisi Deum in hominibus accusant & puniunt? quomodo sunt philosophi, qui nesciunt se homines esse, rationem & vitam habere? Ut Stoici nimiâ prædicatione fati Dei ipsius & causarum inferiorum obliti sunt, ita nostro seculo multi in eo decipiuntur, quod putant Deo primo motori injuriam fieri, si statuatur causas secundas & creaturas vivas virtutibus suis naturalibus per se moveri, & sine speciali instinctu Dei aliquid agere posse, ideo Deum hic ita prædicant ut causarum secundarum prorsus obliviscantur. Atqui id potius Deo injuriosum est, quod hac ratione ponitur Deum noluisse aut non potuisse creaturas vivas tam perfectas facere, ut se ultrò movere & naturalibus suis facultatibus sine infusa nova vi Divina aliquid agere possent. Si meminerint creaturarum vitam & causas secundas negandas non esse, inconvenientia illa quę nunc Deo imputantur facilè evitabunt. Deus in natura naturaliter agere vult, nihil autem agit naturaliter sine causis secundis: miracula vero, cum supra naturam sint, nisi natura destruatur semper fieri non possunt: nec quicquam proficiunt apud eos qui naturalibus non

L mo-

moventur, quia nec observari nec intelligi possunt quæ supra naturam sunt, nisi prius intelligantur ea quæ sunt secundum naturam. Ideo videmus Deum miraculis nihil profecisse apud eos qui rectum usum naturalium nondum habuerunt, nisi ut ea frustra ederet, vel ut homines obstupefaceret. Cæterum nobis conclusum esto, nihil esse in essentia & voluntate Dei quod humanam vitam extinguere aut voluntatem tollere velit, sed omninò velle Deum ut quædam à voluntate hominum proficiscantur, eoque fine homini vitam esse largitum.

Præscientia Dei non tollit voluntatem hominu.

Expedita nunc est ad omnia responsio, nam si nihil est in voluntate Dei quod voluntatem hominis tollat, nihil erit in Deo quod agendi facultatem nobis deleat, quocunq; tandem nomine appelletur. Præscientia Dei falli nequit, at nullam importat actionibus humanis necessitatem, quia Deus non vult omnia præscire tanquam immediatè à se facienda, sed vult actiones humanas ut humanas, & contingentes ut contingentes præscire. Hæc fuit ab æterno Dei voluntas ut in tempore quædam contingenter per homines fierent, eo enim fine hominem creavit vivum, & præcepta vitæ illi præscripsit. Augustin. *de civ. Dei lib. 5. cap. 9*, inquit, *Qui omnes rerum causas præscivit profectò in eis causis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse præscivit. vide Picc. gr. mor. 2. cap. 36.* propriè autē loquen-

do

Digitized by Google

do nulla est in Deo præscientia, quia videt omnia in uno instanti. vide Boët. *de consol. phil. lib. ult. prosa ult.* Chemnit. *de causa peccati cap.* 6. & 7.

Providentia Dei quid sit, idem docuit Chemnit. *in loco de creatione cap.* 6. quo lectorem remitto. Qui volet, Plutarchi definitiones providẽtiæ *ex libro de fato* petere poterit. Sustentat autem Deus providentiâ sua omnes creaturas in naturalibus suis conditionibus, illis quam optimè prospiciens. Concurrit eadem cum essentia & voluntate Dei, nam talis est Dei providentia, qualis est voluntas & essentia, & quod Deus non vult id etiam non providet. *Nec providentia.*

Restat prædestinatio, quæ & ipsa nihil aliud est, quam æterna & justa Dei voluntas, quâ perpetuò præsenter, non ex antiquo aliquo immutabili decreto, sed liberè secundum essentialem libertatem & bonitatem suam, vult benè esse omnibus piis, impios vero qui bonis sibi donatis & oblatis uti nolunt, vel iis in contumeliam creatoris sui abutuntur, bonitatis suæ fructus non percipere. Non est in Deo prius aut posterius, nec concludit Deus antè quod post facere velit, quia nulla est in Deo mutatio, nec libertas ejus ullâ lege aut sanctione tolli potest. Cum autem Dei voluntas relinquat actionum humanarum libertatem, non tollit eam prædestinatio, alioquin statueretur contrarietas in Deo. Seneca *lib. 6. de benef. cap.* 21. 23. docet Deum non posse homini- *Nec prædestinatio.*

 bus

bus malè velle quia illis tam præclara corporis & animi dona largitus sit, & semel decreverit illis per ea benè facere: mutationem autem voluntatis in Deo non esse,& homines non fortuito aut incogitato & tumultuario opere excidisse Deo, sed ex eo immutabili proposito quod ab initio statuerit nostri non ultimā curam habere: hanc voluntatem nobis benefaciendi non posse mutari in Deo, non quia sit impotens, sed quia eum boni consilii nunquā pœniteat.

Nec aliud quidquam. Si cui aliud quid in mentem veniat, quod pravas actiones nostras à Deo esse persuadere tentet, cogitet quæso, nullam posse fingi caussam cur Deus mala velit aut promoveat. Si peccato delectaretur, secum diffideret, quod nec Sathanas ipse facit. *Matth. 12. v. 25.* Si per delicta hominum Dei justitia & misericordia inclarescerent, ne filius Dei quidem tam præclarè de patre suo ab æterno meritus fuerit, quam peccati autor diabolus, quia sine hujus opera gloriam & justitiam Dei nemo intellexerit: non homo, licet imaginem Dei habuerit. *Gen. 1. v. 27.* non λόγος, licet sit Dei mens & gloria ab æterno. *Ioh. 1. v. 1. & 17. v. 5.* Si Deus patefactionem suæ gloriæ & justitiæ peccatis acceptam referre debet, nec ab æterno fuerit qui est, nec cuiquam plus debuerit quam peccatorū autori. At Deo hoc judice & prædicatore non est opus. *Marc. 1. v. 24.* Nec optat Deus nobis mala evenire ut nobis beneficia sua exhibe-

hibere possit. Seneca, quem toties miror Stoicorum errores defendere potuisse, *lib. 6. de benef. cap. 25. & sequentib.* reprehendit & detestatur illorum vota, qui optant alicui tristia evenire ut necessum illi sit amici beneficiis recreari. Hoc votum inimici esse dicit, amicum vero, tam tristem beneficii necessitatem non optare, sed malle nobis omnia tam feliciter succedere ut imploratione alieni auxilii non sit opus, cum benè faciendi occasio alias nunquã desit, & beatissimi etiam sincero egeant amico. Quanto rectius ille de Deo loquitur, quam qui putant Deum nos æternos in cruciatus præcipitasse, ut posset nobis ereptam beatitudinem reddere! Meminerimus deinde, omnia in Deo essentialia, perfectissima, efficacissima, immutabilia & æterna esse: ergò si Deus malum vellet, necessariò secuturum illum essentialiter ab æterno esse summum malum, idq; perpetuò efficacissimè operari. At quia Deus tantum purè bona operatur, dandum est aliud actionum humanarum principium, quarum hodiè vix ulla purè bona est. Possent hic allegari loca ubi Spiritus S. contingentiam expresse ponit, ut *Mat. 18. v. 13. Luc. 2. v. 1. & 10. v. 31.* Sed relinquo ea theologis. Si itaq; nihil est in Deo & natura, quod humanas actiones necessitet, relinquitur nobis actionum humanarum legem, regulam & gubernatricem esse rationem.

L 3 De

Digitized by Google



De Fortuna & Casu pauca subjiciuntur, & liber primus concluditur.

Cap. XVII.

Non regi nos Fortuna.

NEscio an digna sit Fortuna ut ejus mentionem faciamus, sed utatur cœcâ suâ felicitate. Ethnici, cum ignoratione Dei nullum certum rerum humanarum gubernatorem haberent, nec summum Iovem malorum omnium autorem cum Stoicis facere auderent, huc illuc in tenebris oberrantes, & mala ex lapsu hominis esse nescientes, maluerunt Iovi abrogatum imperium ad Fortunam deferre, quam Iovem omnium scelerum fontem fateri. Epicurus hanc opinionem non parum promovit, quod Iovi & Parcis aliisq; Diis, quos ab aliis crudelissimi fati, furti, adulterii, & omnium infandorum criminum accusari audiebat, ne prorsus abolerentur, suasit foro cedere, atq; alicubi æternâ quiete obdormire. Laertius vult illum consideratius de Diis & Fortuna locutum, quod nos suo nunc loco relinquimus. Illud certum est, Cicerone *in lib. de nat. Deor.* Laertio, *in Epicuro*, & Plutarcho *de Stoic. repugn.* attestantibus, Epicurum vehementer contra Stoicos pugnasse, & ideo Fortunæ plus quam Fato tribuere maluisse, quod Deum accusare nol-


nollet. Refert enim hæc verba Epicuri Laertius κρεῖττον ἦν τῷ περὶ θεῶν μύθῳ κατακολουθεῖν, ἢ τῇ τῶν φυσικῶν εἱμαρμένῃ δουλεύειν. ὁ μὲν γὰρ παραιτήσεως ὑπογράφει θεῶν διὰ τιμῆς, ἡ δὲ ἀπαραίτητον ἔχει τὴν ἀνάγκην. *Præstaret fabulas quæ de diis traduntur sequi, quam physicorum fato servire. Illud enim speciem quandam excusationis fingit in honorem Deorum, at hæc opinio inexorabilem seu diram statuit necessitatem.* Fortuna itaq;, licet temeraria & cœca mulier esse crederetur, tamen quia plus humanitatis & rationis sperabatur habitura quam crudele Fatum, magno applausu totius orbis regina proclamata fuit. Testatur id Plin. *lib.* 2. *nat. hist. cap.* 7. *Invenit*, inquit, *medium sibi ipsa mortalitas Numen, quo minus etiam plana de Deo conjectatio esset. Toto quippe mundo & locis omnibus, omnibusq; horis, hominum vocibus Fortuna sola invocatur, una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conviciis colitur, volubilisq;, à plerisq; vero & cœca etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum fautrix. Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta: & tota in ratione mortalium sola utramq; paginam facit. Adeoq; obnoxiæ sumus sortis, ut sors ipsa pro Deo sit quâ Deus probatur incertus.* Plutarch. *de fortun. Rom.* & Alex. ab Alex. *gen. dier. lib.* 1. *cap.* 13. laborant in enumerandis Fortunæ templis, quæ Romæ tantum possedit. Nos talem Deam ignoramus, quâ ad gubernacula positâ Deum abnegari oporter. Arist. 1. *eth.* 10. & 11. negat fortunæ

Digitized by Google

locum esse in actionibus virtutum & vitiorum. Piccolom. *gr. mor.* 8. *cap.* 40. *& seqq.* eam prolixâ disputatione confutat & solio deturbat. vide Plut. *de Fortuna.* Morn. *de verit. rel. Christ. cap.* 13.

De Casu apud eosdem autores agitur, nec opus puto ea hic repetere, cum nemo ignorare possit, si cœcâ fortunâ aut casu omnia fieri statuantur, nullum consilio & voluntati locum relinqui, & Deum ipsum humanamq; rationem negari.

Hucusq; ergo quasi causas efficientes, duos juris fontes invenimus. Primum & præstantissimum, legem divinam seu justitiam & voluntatem Dei, aut si ita mavis Deum ipsum: hic est fons juris limpidissimus & sanctissimus, Secundum seu primum & unicum humanum fontem diximus esse rationem humanam, quæ tamen hodiè est instar turbati putei. Ex divino securè, quantum mortali ore licuerit, ex humano providè, quantum profuerit, hauriemus.



PRIN-


PRINCIPIORUM IURIS

LIBER SECUNDUS:

In quo agitur de Iure, primò ac propriè ſic dicto.

Quomodo jus cum lege confundatur & quomodo differant.

CAP. I.



SUperiore libro quid lex in propria ſua ſignificatione ſit ex mente philoſophorum explicavimus : in hoc vero quid ſit jus, quomodo ex lege naſcatur, quid ab ea differat & quotuplex ſit erit docendum. Priuſquam nunc ad definitiones juris deſcendamus, videndum eſt an quod hic appellamus jus ſit aliquid à lege diverſum, an vero ſit idipſum quod ſupra vocavimus legem. Nam ſi lex & jus idem ſint, non opus fuerit eandem cramben recoquere & inanibus in tautologjis defatigari.

Videndum an ius & lex ſint idem.

Quemadmodum omnibus in artibus evenit, ut artifices de rebus magis quam de verbis

Quomodo ius cum [illegible] fundatur.

bis solliciti tam curiosè ad phrasin non attendant, vel etiam verborum penuriâ iis quæ usus offert vocabulis uti cogantur: ita etiam jureconsulti voce juris ac legis variè & promiscuè usi sunt. Ut *in l. 1. de legib. lex est commune præceptum*: hic intelligendum est carmen legis publicè proclamatum, alioquin lex in propria sua significatione non est præceptum sed id quod præcipit ut *lib. 1. cap. 4. & seqq.* indicavimus. Ulpianus *in l. 1. D. de just. & jure* inquit *Jus est ars æqui & boni.* at Harmenop. *lib. 1. tit. 1. §. 17.* ait *lex est ars æqui & boni.* νόμος ἐστὶ τέχνη τοῦ καλοῦ. Sic *in l. 9. D. de legib. l. 2. §. 9. D. de orig. jur.* dicitur senatum jus facere posse: at senatus non facit jus sed legem, *§. 5. Instit. de jure nat.* nec quisquam dici solet juris lator sed legis lator. *in l. 2. §. 12. De orig. jur.* jus & lex expressè pro uno eodemq; ponuntur, cum dicitur *in nostra civitate aut jure, id est, lege constituitur.* In l. 2. *D. de legib.* lex sumitur primò pro ratione præcipiente & dirigente, cum vocatur βασιλεὺς, προστάτης, ἄρχων, ἡγεμὼν & κανών: secundò pro jure & præcepto, cum vocatur δόγμα & ἐπανόρθωμα: & tertiò sumitur pro lege seu formula præcepti conceptis verbis publicè sancita quæ juris species est, cum describitur quod sit κοινὴ συνθήκη τῆς πόλεως, καθ' ἣν ἅπασι προσήκει ζῆν τοῖς ἐν τῇ πόλει.

Jus à lege distingui. At aliis in locis jus à lege expressè distinguitur, ut *in l. diuturna 33. D. de legib. diuturna consuetudo pro jure & lege in his quæ non ex scripto descendunt, observari solet. l. 2. §. 1. De orig. jur. initio*

tio civitatis nostræ populus sine lege certa sine jure certo agere instituit. & §. 23. de capite civis Romani injussu populi non erat lege permissum consulibus jus dicere, v. l. Si is qui. 44. D. de adopt. Id volunt etiam distincti tituli, unus *De Iustitia & jure*, & alter *de legibus*. Ius naturali ratione constituitur & ex præceptis naturalibus gentium & civilibus colligitur, *l. 1. §. 2. l. 9. D. de Iust. & jure.* at ratio hominis seu lex ita non constituitur. lex est id quod constituit, imperat, regnat, *l. 2. & 7. D. de legib.* at jura constitui & regi dicuntur. *l. 2. 3. 4. 8. & 9. D. eod. l. 2. §. 13. D. de orig. jur.* Sic & Cicero jus à lege distinguit *lib. 1. de legib.* cum inquit, *Quibus ratio à natura data est, iisdem & recta ratio, ergo & lex quæ est recta ratio in jubendo & vetando: si lex, jus quoque: at omnibus ratio, jus igitur omnibus datum est.* Et ibidem. *Est enim unum jus quo devincta est hominum societas, & quod lex constituit una.* Et 2. *de legib. lex est ratio mensq; sapientis ad jubendum & deterrendum idonea.*

Iuven. *sat. 2.*

Quod si vexantur leges & jura.

Et *sat. 8.*

Qui juris nodos & legum ænigmata solvat.

Ex quibus omnibus liquet jus à lege distingui. Quâ vero ratione id fiat, etsi ex sequentibus apparere possit, ne tamen lectorem diu detineamus summatim indicabimus. Diximus supra *lib. 1. cap. 4.* legem, cum propriè & in prima sua significatione accipitur, esse rationem quæ certum motum imperat ac gubernat: *Ius & lex quomodo differant.*

Digitized by Google

nat: quod hæc ratio verbo interno agendum præcipit ac jubet, primò ac propriè vocatur IUS: ut item *lib. 1. cap.* 10. innuimus. Quia vero jus non alienum est à ratione, sed ejus decretum, pars, & apex quo se exerit, ob hanc intrinsecam conformitatẽ etiam lex vocatur jus, & è contra jus vocatur lex, sed improprius. Porro, jus primò ac propriè sic dictum exprimunt nobis verba à legislatore publicè proposita, quia sunt quasi pictura & imago jussus, mentis ac rationis legislatoris: ideo hæc verba propter internæ legis ac jussionis externam repræsentationem vocantur lex, vel etiam jus; sed tamen communius appellantur lex: & hæc est secunda legis appellatio. Quod vero talia verba jubent ac volunt, idipsum iterum vocatur jus, quæ est secunda juris appellatio. Porro, ut se habet jus ad legem in prima & propria significatione, ita se habet etiam jus secundariò sic dictum ad legem secundæ significationis. Sic evenit ut & hæc interdum confundantur, & senatus modo jus modo legem facere dicatur. Hinc illa promiscua juris legisq; usurpatio, quam lector & phrasi & mente loquentis facile discernere potest. Dicemus ergo legem à jure differre ut constituens à constituto, causam ab effectu, & tamen interdum effectum pro causa, constitutum pro constituente poni. Modestinus paucis verbis rem definire videtur *l. legis virtus 7. D. de legib.* quasi ibi dicat *Ius est legis virtus.* Sed quia legis virtus etiam

etiam est vetare, permittere, punire. *d. l. 7.* item cogere, vim propulsare, &c. *l. ut vim. D. de Iust. & jure*, videamus cur legis virtus magis & potius dicatur jus quam vis vel aliud quid tale.



Quid per Ius intelligamus hoc loco, seu quid propriè vocetur Ius, & unde.

CAP. II.

QVandoquidem ergo jus à lege differt, & in hoc libro de jure primò ac propriè sic dicto acturi sumus, videndum erit quidnam illud sit quod primò ac propriè jus vocari volumus, & unde eam denominationem sumamus. Aberrarunt enim hac in parte nonnulli, & unica voculâ alios de vera via avocarunt.

Ius quibusdam dictum videtur quasi vis: quâ derivatione abutuntur qui humana omnia vi legum superiorum, seu divinæ voluntatis seu fatalis necessitatis, trahi fingunt: quomodo & ille apud Platonem *lib. 1. de repub.* disputabat, legem nihil aliud esse nisi vim potentioris, malè omninò: vis enim omnis aut est injusta, aut justa: Si vim injustam intelligunt, respondemus cum Cicerone *pro Cæcin. Vis juri maximè est adversaria*, & cum Florentino, *Ius vim atq; injuriam propulsat. l. ut vim. D. de Iust. & jure.* Quod vero illi ad antiphrasin confugiunt, quasi jus dicatur vis, quia nihil minus sit quam vis, suo *Ius non est quod sit vis.*

modò

modo & loco ferri potest, nobis autem hic recipiendum non est, quia non figuratam sed propriam & genuinam juris denominationem quærimus, in qua nulla nobis improprietas locutionis est ferenda. Si vero vim justam intelligere placet, dico vim non esse aliquid jure prius unde jus denominari possit, sed esse effectum jure posteriorem, nempe facultatem & potestatem quâ quis voluntatem juris legitimè exequitur, ut colligitur *ex l. factum* 155. §.1. *De reg. jur.* cum inquit, *non videtur vim facere qui suo jure utitur.* excusatur hic à vi injusta, qui vim justam ex jure natam exequitur. & *l. continet.* 3. *§. 1. D. quod met. ca.* dicitur: *Sed vim accipimus atrocem & eam quæ adversos bonos mores fiat, non eam quam magistratus rectè intulit, scilicet jure licito, & juris honore quem sustinet.* Vis ergo legitima jus sequitur, at vim illegitimam jus non agnoscit, tanquam bonis moribus contrariam. Ipsa quoq; obliquorum utriusque vocis casuum consideratio, ostendit eas à se mutuo non denominari. Non negamus virtutem legis imperantis, quæ nobis jus dicitur, etiam vim legis appellari, ut Cic. 2. *de legib.* loquitur *videamus vim naturamq; legis.* Item, *vim istius cœlestis legis explana*, & iterum, *ne ignoremus vim sermonis*, sed illæ phrases metaphoricæ sunt, quibus Cicero virtutem legis quam jubendo exercet indicat, & ponunt eam vim legitimam quam jure posteriorem esse modo diximus. Lex enim imperans nihil potest nisi primo jubeat,

Digitized by Google

beat, vel appetat hunc jussum vis seu virtus utriusq;, tam legis quam jussus, sequitur. Præterea, etsi legis virtus modo jus modo vis appelletur; non tamen inde sequitur jus à vi denominari, perinde ut jus à voluntate, facultate, potestate, virtute, & similibus, quæ de lege æquè ac vis dicuntur, derivare non possumus.

Aliis jus dictum videtur quod *juxta* sit, quo verbo latini interdum utuntur cum simile vel æquale quid indicare volunt, ut Liv. *lib.* 1. *absentium bona juxta atq; interemptorum divisa fuere*, & *lib.* 3. *in re juxta manifesta atq; atroci.* putant id confirmari posse autoritate Thomæ Aq. qui *in sec.* 2. *qu.* 57. *art.* 1. ait, *Iustitiæ proprium est inter alias virtutes, ut ordinet hominem in his quæ sunt ad alterum. Importat enim æqualitatem quandam, ut ipsum nomen demonstrat, dicuntur enim vulgariter ea quæ adæquantur, justari.* Et Aristotelis, qui 5. *eth.* 4. *al.* 7. δίκαιον dictum putat quasi δίχαιον seu divisum, cum jus sit medium seu æquale inter duo. Non displicent hæc Connano, *lib.* 1. *com. jur. civ. cap.* 2. at mihi hæc derivatio officium juris qualicunque allegoria innuere, aliàs vero nec ad literam nec ad rem accedere videtur. Persuadere enim mihi non possum ex illa acceptione verbi IUXTA, quâ posterioribus seculis tantum eruditissimi viri elegantiæ causa & raro usi sunt, jam olim

Ius non dici quod sit iuxta.

ab

ab initio natam & invulgatam esse denominationem juris. Nec quicquam moveor barbara alusione D. Thomæ, quam rudi ejus seculo adscribi oportet non sermonis proprietati. Aristotelis vero græca verba ad nostram latinam denominationem nihil faciunt. Id facilè concesserim, officium juris aliquo modo adumbrari, cum dicimus jus in rebus seu juxta res existere, & in eo versari ut justa ab injustis dividantur vel discernantur. Sed cogitemus etiam non omne jus esse juxta, nec jus semper circa dubia vel duo extrema consistere. Est aliquod jus simplicissimum & in se absque collatione rerum absolutum, quale fuit in Deo ante mundum conditum. Sic in ratione hominis est jus aliquod per se constans, quod juxta collationes & considerationes rerum non primò nascitur, sed tantum exeritur & usurpatur. Interdum etiam ratio in sese reflectitur, ut cum intelligit ratione uti jus esse, & sic concipit jus aliquod sine rerum collatione.

[illegible] à [illegible]

Rectius ergo & convenientius statuimus jus à jussu dici, quod sit jussus legis seu rationis gubernantis. Omnes leges, quas propriè sic dictas libro primo explicuimus, primò ex se gignunt jussum; hoc est habent voluntatem, appetitum motumq; ad aliquid, is vocatur jussus, ex quo operatio procedit. Hæc derivatio rei convenit, nam legis prima & propria virtus est

est jubere. *l. 7. D. de legib.* at exequendi vis, voluntas, potestas, facultas & similia, post imperatum motum ex legis & jussus virtute ac mente sequuntur. Adstipulatur nobis Festus, qui jussa ait jura esse, & Isidor. *lib. 5. cap. 3.* qui tamen jus & justum confundit, item Donell. *ti. com. 4.* & alii plures non postremi Iureconsulti. Verbi causa: cum divina lex aliquid jubet, id vocatur jus divinum: & cum ratio humana quid jubet, id humanum jus dicitur. Respicit autem humana jussio vel naturam tantum, vel etiam civilem societatem, unde melioris intellectus gratia jus humanum vel naturale vel civile cognominatur. Utramq; significationem tradit Iureconsultus *l. penult. D. de Iust. & jure*, cum ait, *Ius pluribus modis dicitur: uno modo cum id quod semper aequum & bonum est jus dicitur, ut est jus naturale: altero modo quod omnibus aut pluribus in quaq; civitate utile est, ut est jus civile, &c.* reliqua ibi sequentia ad jus secunda in significatione sumptum pertinent, de quo alibi.



Quid jubeatur à lege.

CAP. III.

PRiusquam ad peculiaria & propria juris divini vel humani accedamus, explicanda sunt generalia omni legi ac juri communia. Quia ergo audivimus jus esse legis volunta-

tem, motum, appetitum, vel jussum, consideranda nobis etiam est qualitas illius jussus, ut sciamus quale sit id quod leges præcipere vel appetere soleant. Aristot. *1. Eth 1.* inquit πᾶσα τέχνη καὶ πᾶσα μέθοδος, ὁμοίως δὲ πρᾶξίς τε καὶ προαίρεσις, ἀγαθοῦ τινὸς ἐφίεσθαι δοκεῖ· διὸ καλῶς ἀπεφήναντο τἀγαθὸν οὗ πάντα ἐφίεται. Si omnis ars, scientia, appetitus & actio ad bonum tendunt, multo magis Deus, natura & homo, in quibus hæc omnia sunt, nil nisi bonum appetunt. Interdum quidem malum ab homine, sed per errorem tanquam bonum eligitur, idq; reverâ jus non est, ab errantibus autem pro jure & bono habetur usq; dum error deprehendatur.

Lex nil jubet nisi bonum.

Bonum honesto & utili, duabus essentialibus partibus constat, quo omnes quæ in humana vita occurrunt actiones & deliberationes referuntur *Arist. 5. polit 2.* Duo itaq; sunt ad quæ omnia tendunt, honestum & utile, quæ sibi mutuò ita insunt, ut nihil possit esse utile quod non sit honestum, nihil item honestum quod non sit utile, ut Cic. *in lib. de finib. & 3. offic.* probat. Quæ verò de collatione plurium bonorum & utilium, item de occursu utilium ac honestorum ibi moventur quæstiones, duobus hisce capitibus includuntur. Utrumque cum uno verbo complecti volumus appellamus BONUM: & Cicero, Aristoteles, Plato, aliiq; philosophi omnes, cum bonum eligendum esse docent, tale intelligunt quod sit honestum & utile. Lex ergo jubet & appetit bonum, hoc est,

Bonum constat honesto & utili.

est, honestum & utile. Iureconsulti id non obscurè docuerunt, sed ut bonum justitiæ significantius exprimerent, plerumq; æquitatis mentionem adjecerunt. Ergo dicere solent legibus præcipi æquum & bonum, ut *in l. 1. D. de Iust. & Iure Ius est ars boni & æqui, cujus merito quis nos Sacerdotes appellet. Iustitiam namq; colimus, & boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo separantes.* Primo conjunctim posuit æquum & bonum, deinde disjunctim cum ait, *& boni & æqui*, & deinceps æqui tantum mentionem fecit, ut ita quasi digito monstraret quidnam per bonum, æquum, vel æquum & bonum intelligeret. Paulus *l. 11. D. de Iust. & jure* inquit *Ius pluribus modis dicitur, uno modo, cum id quod semper æquum ac bonum est, jus dicitur.* Vides ergo quid Iuris autoribus sit Ius, quidve putent à lege juberi, nempe bonum, seu æquum & bonum, quod iidem per honestum & utile interpretantur. *ICti plerumq; æquū & bonum conjungunt.*

Fit autem ut interdum honestatis, interdum utilitatis tantum mentionem faciant, non quod hæc divellant aut alicubi inhonestam utilitatem probent, sed quia unum alteri inesse per se putant manifestum. ut idem Paulus *d. l. 11. D. de Iust. & jure* ait, *altero modo (jus dicitur) quod omnibus aut pluribus in quaq; civitate utile est, ut est jus civile.* & Ulpian. *l. nam ut Padius 13.* Modestin. *l. nulla juris. 24. D. de legib.* utilitatis tantum mentionem faciunt: non quia honestum à jure civili excludant, sed quia utili honestum includant. Quæ enim inhonesta sunt jure civili nō inutilia *Bonum intelligitur solà utilitatis mentione.*

 modo,

Digitized by Google

modo, ſed planè factu impoſsibilia habenda docentur. *Quæ facta lædunt pietatem*, inquit Papinianus, *exiſtimationem, verecundiam noſtram, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt. l. filius. 15. D. de condit. inſtit.* & Imperator, *Inſtit. de legatis §. ult.* impoſsibilia, legibus interdicta & probroſa, tanquam idem ſint, conjungit, unâq; ſententia damnat.

Vel ſolâ mentione honeſtatis.

Alibi honeſtatis tantum mentio facta, ut *in l. 10. D. de Iuſt. & jure. Iuris præcepta ſunt hæc, honeſtè vivere, alterum non lædere, ſuum cuiq; tribuere,* non quod liceat ſibi ipſi damnoſum eſſe, ut prodigi, famæ & vitæ ſuæ corruptores, quia id ne honeſtè quidem fieri poteſt, ſed quod Ulpianus non ignoravit honeſtati utilitatem ineſſe. In eam ergo ſententiam apud Ciceronem omnes philoſophi diſputant, ut Epicurei *lib. 1. de finib. Clamat Epicurus, is quem vos nimis voluptatibus deditum eſſe dicitis, non poſſe jucunde vivi, niſi ſapienter, honeſtè juſteq; vivatur: nec ſapienter, honeſtè, juſtè, niſi jucundè.* & Stoici *3. de finib. Graviſsimè & veriſsimè defenditur, nunquam æquitatem ab utilitate poſſe ſejungi, & quicquid æquum juſtumq; eſſet, id etiam honeſtum: viciſsimq; quicquid eſſet honeſtum, id juſtum etiam atque æquum fore.* Voluntas ergo juris & legum eſt, ut obtineant bonum, ſeu æquum & bonum, hoc eſt, honeſtum & utile.

Iuris materia eſt bonum, æquū, vel æquitas.

Bonum, quod univerſaliter omne jus vult, & particulariter ubicunque poteſt applicat, eſt quaſi ſcopus & objectum, ſeu ut cum logicis loquamur generalis materia juris, ex qua à ratione

tione formantur & conficiuntur præcepta, quæ deinde à causa proximè informante specialiora nomina accipiunt, ut leges, constitutiones, statuta vel aliquo tali modo appellentur. Ex eadem latenter subintrant & invalescunt consuetudines. Quapropter omnes leges & consuetudines non bonas rejicimus, tanquam ex genuina juris materia non factas, easq; ut spurias & informes errorum abortus, juris hæreditate excludimus. Vocatur hæc legum materia, ut ex prædictis liquere potest, *bonum: bonum & æquum: honestum: utile: honestum & utile: æquum: & æquitas*: quæ ultima appellatio apud Iureconsultos est frequentissima, & ex illorum mente omnia complectitur, rationem, honestatem & utilitatem. *arg. l. nulla 25. D. de legib. l. placuit. C. de Judiciis.* ea enim quæ alibi æqua appellata sunt, mox honesta, utilia, rationabilia vel bona vocantur, ut exempla ubiq; obvia docent. Neq; id aliter esse potest, quia ratio quæ tanquam pater jus gignit, non potest non esse rationabilis, æqua, honesta, utilis, & bona: & è contra æquitas non potest esse sine ratione: hæc enim se mutuo ponunt & tollunt. Quicquid ergo ex hac generali juris materia conficitur, & publicâ autoritate animatur, à causa proximè informante & efficiente peculiare nomen juris scripti aut non scripti sortitur, & apud Iurisperitos specialiori suâ appellatione gaudet, ut lex, senatusconsultum, plebiscitum, consvetudo &c. nominetur: quod remanet, idipsum generale

Digitized by Google

nomen materiæ retinens vocatur ÆQVITAS; de qua forte alibi copiosius agemus.



Ostenditur omnes leges bonum jubere.

CAP. IV.

QVanquam satis fuerat hoc capite de lege divina & humana tantum egisse, certis tamen de causis etiam de cœlesti & naturali loquemur, ut de singulis, eo quo superiori libro propositæ sunt ordine, doceamus omnes leges bonum velle ac jubere.

Lex divina jubet bonum.

Primò ergo de lege divina agendum, de qua, quia est ipsa Dei voluntas, ut *lib. 1. cap. 4.* tradidimus, nefas est dubitare, an quæ Deus jubet honesta sint & utilia. Si quis leges Israelitarum ceremoniales, rituales & forenses, (quæ tamen propriè ad civiles & humanas pertinent) ideò quod à Deo latæ sunt, ad divinas referre velit, dicimus illas etiam bonas esse. Omnes ceremoniæ suam doctrinam & utilitatem habuerunt: nec inhonesta fuit circumcisio, leprosorum inspectio & similia, si quis talium legum & mysteriorum finem consideret. Æstimanda sunt omnia ex pietate & modestia, non ex petulantia depravatorum ingeniorum. Et si rectè consideraverimus leges Mosaicas, de malè affectis, de cibo & vestitu latas, deprehende-

hendemus Deum non tantum ad elegantiam & ornatum, sed etiam ad valetudinem populi sui tam accuratè respexisse, ut omnium censorum & physicorum diligentiam in eo superárit. Lex ergo divina quæ præcipit, omnia sunt bona.

Legi cœlesti quidam talia tribuunt, qualia si civitas quædam humana perpetraret, ut Augustin. *de civ. Dei lib. 5 cap. 1.* ait, fuerat evertenda, quod nempe incitet ad furta, homicidia, libidines, & similia, quæ superiori libro, cum de fato ageremus, confutavimus. Iuvat nos lex & virtus cœli nostris membris uti, at ut eo modo utamur, ut inde existant furta, adulteria vel alia delicta, non jubet, quia tantum imperii in nos non habet, & si haberet, contra creatorem suum non ageret. Oportet operationem cœli naturalem & bonam, distingvere ab operatione legis peccati, quæ non in cœlo sed in homine est, & mala agit contra naturam. Cœlum per sensuum & temperamenti formationem juvat ratione & corpore, benè uti: sed abusus eorundem, in quo solo peccatur, est ex lege peccati. Quia autem lex cœli cum lege elementari semper concurrit, ostendamus naturam benè, hoc est, honeste & utiliter agere in omnibus.

Lex cœlestis operatur ad bonum.

Sequitur ergo lex naturalis, seu natura communis, de qua *Gen. 1. v. 31* dicitur, *vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant valdè bona.* Hæc ergo natura, ut à Deo in omnibus creata est bona, ita etiam

Et lex naturæ communis.

etiam ex voluntate Dei in omnibus bona operatur. Non potest Deus, qui mala abominatur, naturam malorum operatricem creasse vel conservare. Noti sunt philosophorum aphorismi, *naturam nil facere frustra: naturam semper intendere optimum, &c.* quos nemo in dubium vocare tentat. Removit ab oculis nostris natura ea membra quorum officia ignobiliora sunt, & docuit etiam beluas tegere quod inhonestius ostenditur. Honestatis vestigia in brutis ostendit Aristot. *9. de hist. anim. cap. 47.* De elephantis Plin. *lib. 8. cap. 5. pudore nunquam nisi in abdito coëunt.* & paulò post, *nec adulteria novêre, nullave propter fœminas inter se prælia, cæteris animalibus perniciali a.* Leones etiam adulteria ulcisci docet Plin. *d. lib. 8. cap. 16.* idem de columbis testantur Aristot. *9. de hist. anim. cap. 7.* & Plin. *lib. 10. cap. 34.* Cicero etiam pietatis indicia in animalibus esse putat, *lib. 2. de finib.* cum ait. *Videmus in quodam volucrum genere nonnulla indicia pietatis, cognitionem, memoriam, in multis etiam disciplinam.* Exemplo iterum sint elephanti. *Plin. lib. 8. cap. 1. Dio lib. 39.* lectu digna sunt quæ idem Plin. de canibus notavit. *lib. 8. cap. 40.* & de equis Solin. *in polyhist. cap. 57.* Et si naturæ arcana penitus introspicere possemus, plurima hisce manifestiora deprehenderemus. Tam profundè mersum est in ipsa natura honestorum & turpium, utilium atq; inutilium discrimen, ut in hisce discernendis ipsa essentia, motio & anima naturæ dici possit consistere. Ab ipsa materia

prima,

prima, quâ nihil imperfectius norunt philosophi, incipit appetitus boni, & ipsa natura nihil aliud est quam bonum & appetitio melioris: eò omnes instinctus diriguntur, *v. Piccolom. gr. mor. 3. cap. 3.* Aristot. *8 de hist. anim. cap. 1.* ait: *Sunt in plurimis ceterorum animalium vestigia morum animi humani: quanquam hac apertius in homine discernantur. Inest urbanitas, feritas, clementia, acerbitas, fortitudo, ignavia, metus, fidentia, ira, malitia, atque etiam prudentia imago inest in multis.* Et *lib. 9. cap. 1.* *habere vim quandam naturalem animantes in quavis animi affectione videntur, hoc est, prudentia, stultitia, fortitudine, ignavia, clementia, acerbitate, & reliquis habitibus generis ejusdem. in nonnullis etiam commune aliquid disciplina eruditionisq; habetur, &c.* Novit præterea quodq; animal ubi commodissimè habitet, quo cibo vesci suamque valetudinem tueri debeat, ut & homines nonnulla à brutis didicisse putentur. *Plin. lib. 8. cap. 27. Arist. 9. hist. anim. cap. 6.* Quo faciunt & Ciceronis verba *ex 1. Offic.* cum inquit, *generi animantium omni est à natura tributum, ut se, vitam, corpusq; tueatur, declinetq; ea qua nocitura videantur, omniaq; quacunq; ad vivendum sint necessaria, inquirat & paret, ut pastum, ut latibula, ut alia ejusdem generis.* Quod autem quædam animalia degenerant & inhonesta vel inutilia agunt, naturæ bonitatem non tollit, nec est à natura sed ex defectu judicii & prava assuefactione. Bruta enim ideò dicuntur bruta quod ratione destituuntur: sæpè etiam sensibus, quantum possent, non utuntur. Nam si homines

nonnunquam contra rationem & sensus agunt, & errore vel impetu decipiuntur, credendum est id multo magis brutis posse evenire. Si hæc naturæ bonitatem tollerent, nihil boni esset in quavis creatura. Seducuntur etiam bruta pravâ assuefactione, nam quæ vident imitari & addiscere solent & habent in sese facultatem quandam motu proprio bene maléve agendi *v. Piccol gr. mor. 2. cap. 40.* Præterea differentia victus & habitationis efficit, ut bruta alibi sagaciora sint, alibi crudeliora. *Arist. 8. de hist. anim.* Verisimile etiam est malignos spiritus beluis interdum ad mala exempla abuti, ut *Gen. 3. v. 1. Mat. 8. v. 31.* quod confirmant etiam Ægyptiorum præstigiæ. *Exod. 7. & 8* Hæc Deo & naturæ imputanda non sunt, sed iis qui naturalibus bonis pravè abutuntur. Ethnici viderunt naturam tanto nisu in bonum tendere, ut putarent Naturam esse Deum ipsum, omnis boni autorem *v. Lactant. lib. 1. instit. cap. 5. Cic. 1. de nat. deor.* Augustin. *de civ. Dei lib. 12. c. 6.* inquit, *Si natura causa est voluntatis malæ quid aliud cogimur dicere, nisi à bono fieri malum, & bonum esse causam mali: siquidem à natura bona fit voluntas mala? quod unde fieri potest, ut natura bona, quamvis mutabilis, antequam habeat voluntatem malam, faciat aliquid mali: hoc est, ipsam voluntatem malam?* & *cap. 7. Nemo quærat efficientem causam malæ voluntatis, non enim est efficiens sed deficiens.*

Lex humana jubet bona.

De natura & lege humana minus jam est dubii, si modo per naturam humanam non naturæ

turæ depravationem ac morbum, sed veram naturam nostram intelligamus. Primò non potest natura communis in homine, ubi appositissimum corpus nacta est, deteriora operari quam in belua. Deinde humanæ naturæ accedit lux rationis, quæ nunquam probat vel appetit malum, sed semper honesta atque utilia laudat, inhonesta verò à conspectu removeri, inutilia evitari suadet. Et de naturali quidem jure, quod nobis à Deo per rationem revelatum est, nemo quin bonum sit dubitaverit: civilia, qui non intelligunt, vocant interdum in dubium. Objiciuntur enim Servitutes, Usucapiones, Usuræ & similia, quæ naturaliter mala esse videntur, & tamen legibus civilibus probantur. At civiles leges hominum iniquitatem non probant, sed tantum modum statuunt alienæ, quam exstirpare non possunt, injuriæ. Sæpè plura utilia in deliberationem veniunt, sæpè etiam publica utilitas cum privata certat, ut Cic. *3. offic.* docuit. ut cum quæritur, utrum melius sit argenti defossione hominum avaritiam & invidiam nutrire, quam lucrativis usuris illos ad mutua beneficia provocare? utrum præstet usucapionibus & præscriptionibus aliquem litium finem facere, quam immortales in repub. lites alere? De talibus quæstionibus vulgus aut nihil novit, aut absurdè pro cupiditate sua privata judicat, est enim boni publici negligens, & putant insulsi isti præclare jus administrari, si modo aliis facere audeant *Iura civilia respiciunt utile.*

nonnunquam contra rationem & sensus agunt, & errore vel impetu decipiuntur, credendum est id multo magis brutis posse evenire. Si hæc naturæ bonitatem tollerent, nihil boni esset in quavis creatura. Seducuntur etiam bruta pravâ assuefactione, nam quæ vident imitari & addiscere solent & habent in sese facultatem quandam motu proprio bene maléve agendi *v. Piccol gr. mor. 2. cap. 40.* Præterea differentia victus & habitationis efficit, ut bruta alibi sagaciora sint, alibi crudeliora. *Arist. 8. de hist. anim.* Verisimile etiam est malignos spiritus beluis interdum ad mala exempla abuti, ut *Gen. 3. v. 1. Mat. 8. v. 31.* quod confirmant etiam Ægyptiorum præstigiæ. *Exod. 7. & 8* Hæc Deo & naturæ imputanda non sunt, sed iis qui naturalibus bonis pravè abutuntur. Ethnici viderunt naturam tanto nisu in bonum tendere, ut putarent Naturam esse Deum ipsum, omnis boni autorem *v. Lactant. lib. 1. instit. cap. 5. Cic. 1. de nat. deor.* Augustin. *de civ. Dei lib. 12. c. 6.* inquit, *Si natura causa est voluntatis malæ quid aliud cogimur dicere, nisi à bono fieri malum, & bonum esse causam mali: siquidem à natura bona fit voluntas mala? quod unde fieri potest, ut natura bona, quamvis mutabilis, antequam habeat voluntatem malam, faciat aliquid mali, hoc est, ipsam voluntatem malam?* & *cap. 7. Nemo quærat efficientem causam malæ voluntatis, non enim est efficiens sed deficiens.*

Lex humana jubet bona. De natura & lege humana minus jam est dubii, si modo per naturam humanam non naturæ

turæ depravationem ac morbum, sed veram naturam nostram intelligamus. Primò non potest natura communis in homine, ubi appositissimum corpus nacta est, deteriora operari quam in belua. Deinde humanæ naturæ accedit lux rationis, quæ nunquam probat vel appetit malum, sed semper honesta atque utilia laudat, inhonesta verò à conspectu removeri, inutilia evitari suadet. Et de naturali quidem jure, quod nobis à Deo per rationem revelatum est, nemo quin bonum sit dubitaverit: civilia, qui non intelligunt, vocant interdum in dubium. Objiciuntur enim Servitutes, Usucapiones, Usuræ & similia, quæ naturaliter mala esse videntur, & tamen legibus civilibus probantur. At civiles leges hominum iniquitatem non probant, sed tantum modum statuunt alienæ, quam exstirpare non possunt, injuriæ. Sæpè plura utilia in deliberationem veniunt, sæpè etiam publica utilitas cum privata certat, ut Cic. *3. offic.* docuit. ut cum quæritur, utrum melius sit argenti defossione hominum avaritiam & invidiam nutrire, quam lucrativis usuris illos ad mutua beneficia provocare? utrum præstet usucapionibus & præscriptionibus aliquem litium finem facere, quam immortales in repub. lites alere? De talibus quæstionibus vulgus aut nihil novit, aut absurdè pro cupiditate sua privata judicat, est enim boni publici negligens, & putant insulsi isti præclare jus administrari, si modo aliis facere audeant

Iura civilia respiciunt utile.

deant quod ipsi nunquam ferrent, etiamsi ob suum lucellum tota civitas esset evertenda. At qui ad gubernacula reipub. sedent, sciunt pereunte repub. quasi nave mersa, omnes qui in ea sunt simul interire, ergo publica bona privatis semper antiquiora habent. Sic Moses indomitæ plebi cogitur divortia indulgere, quanquam non ignoraret quâ lege conjugium primò esset institutum *Gen. 2. Mat. 19.* David Gibeonitis tradit filios Saul ut totam civitatem pœnæ eripiat. *2. Reg. 12.* & pestilentiam præfert fami ac bello. *2. Reg. ult.* Optandum erat, ait Aristot. *5. eth. 1. al. 2.* ut quæ absolutè bona sunt nobis semper contingerent, ad sperandum id non est, utamur ergo ut possumus iis quæ habemus. Quibusdam solennia legum civilium, ut testamentorum & judiciorum, inutilia videntur: at si hujus loci id esset, facilè ostenderemus quibus fraudibus Romani olim delusi testamentorum jura tam curiosè descripserint. Judiciorum verò formulæ & solennia summam habent utilitatem, propter imperitum vulgus, quod inter essentialia causæ & ritualia judiciorum discernere nequit, sibiq; injuriam fieri autumat quoties paululum ab antiqua consuetudine declinatur. Et quamvis priscæ quædam ceremoniæ nostris temporibus & moribus minus conveniant, tamen illæ olim cum constituerentur moribus hominum congruæ & utilissimæ fuêre, & adhuc eam habent utilitatem, ut præstet istas tantisper observari dum tacitè

Publica bona privatis præferenda.

eva-

evanescant, quàm imperitos judices civesq; legum contemptui & mutationi adsuescere. Repentinæ & impetuosæ mutationes rebuspub. semper sunt periculosæ, quia ad minimum aliquot cives offendunt: meliores sunt quæ latenter & prævia inclinatione ita sese insinuant, ut communi consensu prius recipiantur quam propositæ persuadeantur. Peccant in hac re nonnunquam ipsi magistratus, quod putant hoc & illud utiliter abrogari, constitui & persuaderi posse, nec cogitant quam multorum capitum belua sit vulgus. Isti præsupponunt omnes cives prudentes, justos, bonos, boni publici amantes &c. obliti imperitorum & improborum numerum semper esse majorem, & ab horum insania magis cavendum quam à prudentum modestia. Solennia testamentorum, fatalia actionum, usuras & similia facilè aboleremus si cum bonis tantum & perfectis hominibus vivere liceret, at nunc custodienda sunt propter imperitos, & propter improbos legum insidiatores. Plato putavit uxorum communionem in rempub. posse introduci, & cives tum amicissimè victuros: sed præsupposuit omnes cives fore tam modestos, castos & prudentes philosophos qualis ipse erat, in quo vehementer aberravit. Qui ergo putat esse quædam in legibus civilibus inutilia, eaq; mutanda suadet, videat primò quid vulgus de tali mutatione judicaturum sit, ne intempestivâ sua prudentiâ pereat, & quæ inutilia putaverat,
postea

Digitized by Google

postea magno publico damno experiatur tam utilia fuisse, ut in illis publica tranquillitas requieverit. Aristot. alicubi inquit, alimenta nimis pura nostris corporibus nocere: & videmus medicos, qui omnia mala expurgare volunt, vitam simul exturbare: quod perpendendum est iis qui opinantur nos omnia, quæ respectu bonorum & prudentum civium supervacua sunt, è jure & foro ejicere posse. Utatur jure naturali solo qui volet, relinquat nobis civilia propter improbos in officio continendos.

Jura civilia respiciunt honestum.

Præterea non tantum utile sed & honestum considerandum, idq; utili semper est præferendum. *Cic. 1. parad. & 3. offic.* Ergo etsi in repub. aliquid utiliter fieri posset, nec tamen honestè, aut omninò id omittendum, aut tempus commodius expectandum. Sunt & civilibus in legibus quædam quæ lascivientibus ingeniis minus honesta videntur, ut corporum illa inspectio quâ prisca simplicitas usa putatur, *Instit. quib. mod. tut. fin. D. de vent. insp.* Dubitare ausim cum Rævardo *4. var. 10.* utrum antiqui tali pubertatis probatione unquam usi fuerint? Nam si tempore Ciceronis antiqua legum XII. Tab. verba à multis non intellecta fuere, (ut ipse *2. de legib.* testatur etiam eruditos ignorasse quid *lessus* esset) quis dubitet inspectionem à Triboniano aliam potuisse intelligi quam legislator voluerit. *v. Ravard. d. cap.* 10.

De sectione debitoris, obiter.

Similis error (ut hoc obiter explicem) videtur mihi commissus esse à Gellio, qui *lib. 20. noct. attic.*

cap. 1.

Digitized by Google

cap.1. putat legibus XII. Tab. licuisse debitoris corpus, si solvendo non esset, in partes secare. At mihi statum illius reipub. democraticum & usurarios tumultus consideranti, verisimile non sit decemviros unquam legem tam cruentam ferre ausos fuisse, præsertim cum nulla ratio suaderet debitorem qui vendi poterat occidere, & omnem solutionis spem simul delere. Nam quod Gellius pro excusatione sui erroris affert, legem ad terrorem tantum latam, ideoq; nunquam usurpatam esse, mihi non probatur. Non solebant Romani leges ad terrorem ferre sed ad usum. Imprimis verò XII. Tabulæ, quæ publicè propositæ & à toto populo approbatæ sunt, non potuere aliquid ad terrorem tantum sancire. In monarchiis id fortè fieri possit, ut arcanum consilium in legibus occultetur, nam ibi leges à paucis viris prudentibus concipiuntur & principi suggeruntur, ipsiq; cum principe legibus semper assident & arcanam mentem legis sub aliquo clementiæ, æquitatis vel boni publici prætextu fovere possunt. Sed in democratiis, cum leges à toto populo feruntur, approbantur, & jurato alicui judici, quicunq; ille è populo lectus fuerit, ex mente civitatis usurpandæ dantur, talia arcana consilia in legibus tegi non possunt. Nec ullum, ipso Gellio teste, dari potest exemplum quod quisquam debitorum dissectus fuerit, aut creditorum aliquis id à judice postularit, cum tamen irritati creditores non soleant esse clementio-
res

Digitized by Google

res legibus, & arcanum illud, si quod in mente legis latuisset, brevi divulgari fecissent. Quoties plebs novas tabulas poposcit? quoties agrariis legibus rempub. concitavit? vix defunctus erat Tarquinius cum egena plebs seditionem contra patres excitaret, solutionem debitorum recusaret, & sibi Tribunos contra patres crearet. *Halic. lib. 6.* Ex illo tempore Tribuni leges publicas examinarunt, prohibuerunt, plebiscitis fregerunt, consules & dictatores exagitarunt, ut nemo plebeium in foro contingere auderet, ne dum dissecare, *v. Halic. lib. 7. & sequentibus.* Post aliquot annos, cum Tribuni plebem libertati, & seditionibus jam adsuefecissent, latæ sunt leges XII. Tab. quarum singula capita populus accuratissimè examinavit. *Halic. lib. 10. Liv. lib. 3.* Si quis unquam Livii *lib. 2. & 3.* vel Halic. *lib. 5. usq; ad 10.* legerit, & historiam à regibus exactis usq; ad promulgationem legum 12. tab. consideraverit, Gellio nunquam credet, decemviros unicum verbum de dissecando debitoris corpore mutire ausos fuisse. Et quidem eo tempore qua XII. tabulæ conscribebantur plebs seditiosissimos & audacissimos habebat tribunos, qui leges tab. examinabant & plebiscito confirmabant. Plurimi autem plebei erant in ære patriciorum, & jam aliquot tumultus de novis tabulis concedendis excitarant: an illi consensissent in eam legem, ut liceret se dissecare nisi patriciis æs alienum solverent? Taceo quod Romani actiones & accu-

accuſationes, civilia & capitalia coram prætore ſimul tractare non conſueverant. Ergo ſecare hoc loco eſt debitorem æſtimatum vel omnia bona ejus vendere, & precium inter creditores dividere. Hoc latini *ſecare* vocant, & creditores omnem debitoris ſubſtantiam inter ſe devidentes *ſectores*, ipſamq; talem executionem *ſectionem* appellant Unicus Ciceronis locus rem expedire poteſt, *qui eſt in Philipp. 2.* ubi inquit: *Cæſar Alexandriam ſe recepit, felix, ut ſibi quidem videbatur, mea autem ſententia, ſi quis reipub. ſit infelix, felix eſſe non poteſt. haſta poſita pro æde Iovis Statoris, bona, (miſerum me, conſumptis enim lacbrymis tamen infixus animo hæret dolor) bona inquam Cn. Pompeij Magni voci acerbiſſimæ ſubjecta præconis. Una in illa re ſervitutis oblita civitas ingemuit, ſervientibuſq; animis gemitus tamen populi Romani liber fuit. Expectantibus omnibus quiſnam eſſet tam impius, tam demens, tam diis hominibuſq; hoſtis, qui ad illud ſcelus ſectionis auderet accedere, inventus eſt nemo præter Antonium, præſertim cum tot eſſent circa haſtem illam, qui alia omnia auderēt, unus inventus eſt qui id auderet, quod omniū fugiſſet & formidaſſet audacia. Tantus igitur te ſtupor oppreſſit, vel ut verius dicā, tantus furor, ut primū, cum ſector ſis iſto loco natus, deinde cum Pompeij ſector, non te execrandum populo Romano, non deteſtabilem, non omnes tibi deos, omnes homines & eſſe tibi inimicos & futuros ſcias? At quam inſolenter ſtatim belluo invaſit in ejus viri fortunas, cujus*

virtute terribilior erat populus Rom. exteris gentibus, justitiâ carior? In ejus igitur copias cum se subito ingurgitavisset, exultabat gaudio, persona de mimo, modo egens, repente dives. Vide etiam Ciceronem. *epist. fam. lib. 15. ep. 19. lib. 1 cont. Verr. & in orat pro S. Rosc. Amer.* ubi sectoris mentionem frequentem facit. adde Varron. *lib. 2. de re rustic. cap. 10.* Ascon. Pæd. *in 3. Verrin. ad verb. Quæsitorem. & paulo post. ad verb. Quæ sectorem.* Hotom. *ad 3. Verrin. Verbo: quæstorem sectoremq; & lib. 3. antiq. Rom. cap. ult. & in lexico seu comment. verbor. juris. ad verb. sectores.* Bud. *in pand. ad l. plurimum. D. de jur. & facti ignor.* Rævard. *2. varior. 7.* Ex quibus testimonia probatissimorum autorum haurire poteris, quibus manifestum fiat, sectionem debitoris non fuisse crudelem corporis dilaniationem, sed bonorum ejus distractionem ex civilibus actionibus creditorum profectam. Gellius ipse sibi in explicatione XII. Tab. sæpè diffidet, & *lib. 16. cap. 10.* innuit eas non modo desuetudine, sed etiam lata Æbutia lege, propter obscuritatem antiquatas esse, ut facile etiam de sectione debitoris errare potuerit. Sed redeamus ad institutum. Talis ergo error, inquam, & hic à Triboniano & adjutoribus ejus committi potuit, ut putarint antiquos pubertatem non ex habitu corporis æstimasse, sed oculariter inspexisse. Sed fac esse ut intelligenda sit ocularis quædam inspectio. Primò Imperator ipse indicat legem raró & fere nunquam observatam.

tam. Quod si ab initio observata fuerit, dico id per familiares & honestas personas fieri potuisse, ut olim inspectio lepræ, quacunq; in parte corporis esset, fieri potuit per sacerdotem. *Levit.* 13. Quod vero ad gravidas attinet, *D. de insp. vent.* nihil ibi novi concessum, sed quod naturâ flagitante in partu pati coguntur, etiam ob suspicionem indultum. Præterea hic considerandum, legislatorem privatorum metu publicam honestatem conservare voluisse, ne matrimonia nimis accelerarentur aut familiæ suppositítiis liberis dehonestarentur. Quod si aliquando ob corporis morbum sanandum membra contrectanda præberi oportet, quidni ob morbum reipub. præcavendum ea honestis personis, quantum ad doli suspicionem amovendam sufficit, detegenda fuerint? Suspicione partus suppositi sępè populi cruenta bella gesserunt, sæpius familiæ capitalia odia exexcuerunt, *Valer. max. lib. 9. cap.* 15. & Liv. *lib.* 10. *dec.* 4. ac Plut. *in L. Paulo Æmil.* innuunt ideo periisse Philippum Macedoniæ regem, quod ejus natu major filius Perseus, quia subditus putabatur, Demetrium filium regis natu minorem per calumnias interemisset, at Comicus inquit: *Tu quod cavere possis, stultum est admittere.* Constet ergo omnibus legibus bonum, hoc est, honestum, aç utile præcipi ac juberi.

Primam juris significationem esse quadruplicem: de quâ nos loquamur? quid differant jus, fas, fatum & impulsus?

CAP. V.

Iuris species prima quatuor.

QVandoquidem ergo jus legis jussus est, & quatuor à nobis positæ sunt leges gubernantes sequitur etiam jus in prima & propria sua significatione quatuor modis accipi.

1. Ius divinum.

Primum jus est quod jubet lex divina idque vocatur *jus divinum*. Omnes quidem bonæ leges & jura ex illis promanantia à Deo sunt & divina appellari possunt, sed denominationem specificam facimus à causa proxima & lege immediate præcipiente. Vocatur etiam divinum respectu objecti, quia Dei cultum potissimum respicit: & *jus Dei*, quia à Deo est & ad Deũ tendit: itẽ, *jus naturale*, duplici de causa, primò quia fluit ex natura & essentia Dei, (nam & Deo analogicè naturam tribuere solemus) ut ita jus divinum sit naturale Dei, secundò quia est homini naturale, cui Deus totius decalogi (in quo etiam jus divinum est,) naturalem indidit cognitionem. Optimè autem distinguere videbimur, si quod lex divina jubet jus divinum indigetabimus. Sed & illud prætereundum non est jus divinum ab eruditio-

Id propriè vocari fas.

Digitized by Google

ditioribus, cum id accuratius ab humano distinguere volunt, appellari Fas. FAS ergo à jure differt ut species à genere, quia propriè illud tantum jus denotat quod Deus immediatè propter sui cultum fatur, cujus contrarium, NEFAS est à quo non modo ratio, sed tota natura abhorret, & quo Deus magis offenditur quam homines. Fas adhuc sanctius quam jus, sive sanctissima juris species est: nefas vero detestabilius quam injuria, & omnium injuriarum species est pessima, de qua ne fari quidem sine impietate licet. Differentiam hanc nobis tradunt Isid. *lib.* 5. *etym. cap.* 2. *Fas*, inquit, *est lex divina, jus est lex humana. Transire per agrum alienum fas est, jus non est.* Servius. *Fas ad religionem, jura pertinent ad homines.* Ascon. Pædian, *nefandum est non fandum: nefarium quod sacra polluit, farre pio solita celebrari: nefarij ergo sacrilegi.* Alii utriusq; conjunctione docent fas à jure differre, ut Virg. 1. *Georg.*

Quin etiam festis quadam exercere diebus
Fas & jura sinunt.

Cic. *de harusp. respons. Oratores contra jus fasq; interfectos.* & *lib.* 2. *contra Verr. Negant id Syracusani per religiones sacrorum ullo modo fieri posse: Fas deniq; negant esse.* Liv. *lib.* 3. *ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet, qui creasset, illum jus fasq; esset occidi.* & *lib.* 1. de Ænea, *quemcumq; eum dici jus fasq; est.* Iuris autores etiam nefas vocant quod extremè absurdum & contra omnem juris rationem est, *ut in l.* 1. *D. de orig.*

jur. l. 3. C. de fruct. & lit. expens. l. 23. §. 7. C. de nupt. Auth. ex complexu & l. ult. C. de incest. nupt. l. 7. C. de naturalib. lib. l. 1. C. de privat. carcerib. & fas dixerunt quod magnæ autoritatis esse debet, *ut l. dubium. 3. C. de repud. l. ult. C. de obseq. patr. præst. l. 6. in princ. C. de appellat.* Thomas Aq. *in 2. sec. qu. 57. art. 1.* rationem reddere conatur cur lex divina dicatur continere fas & non jus, sed ea ad rem facere non videtur. Primò ergo jus dicitur quod lex divina jubet, quodq́; speciali nomine Fas vocatur.

2. Ius cœleste seu fatum. Altera lex erat cœlestis, cujus jussus appellatur *jus cœleste*, vel *jus cœli*, proprio vero & speciali suo nomine dicitur *Fatum.* Differt ergo fatum quoq́; à jure, ut species à genere, & cum à lege naturali distinguitur, significat motum & operationem supralunarium tantum. Cum vero & cœlum suam naturam habeat, & plerumq́; operatio naturæ elementaris cum fato confundatur, nonnunquā jus cœli etiam *naturale* vocari solet. Ius ergo secundò dicitur quod lex cœli jubet, quodq́; specialiori nomine fatum appellatur.

3. Ius naturæ seu appetitus & motus. Tertia lex erat naturalis seu elementaris, cujus jussus vocatur *jus naturæ*. Posset idem vocari *jus elementare*, sed quia hæc natura luce rationis destituta, appetitu ejus perfectionis quam in homine assequi desiderat, & cupiditate conservandarum specierum dissolutione elementorum subinde decrescentium, in perpetuo motu est, communiter vocatur *naturæ*

appe-

Digitized by Google

appetitus, motus, impulsus, vel instinctus. Sic quod animalia beneficio sensuum volunt, dicuntur appetitu vel instinctu naturæ facere : sic gravia deorsum, levia sursum moventur. Est ergo hæc tertia species à jure ut à genere differens, quæ plerumq; cum jure cœli (cui in productione specierum ut fœmina mari semper cooperatur,) confunditur, ut utrumq; jus una appellatione juris naturæ exprimatur. Quia vero jus naturæ nullibi ratione illuminatur præterquam in homine, & nobis de jure rationali agere est propositum, jureconsulti jus naturæ non attingunt nisi de re aliqua homini cum brutis communi loquantur.

4. Ius humanum, quod simpliciter ius vocatur.

Iussus igitur legis humanæ, quæ quarta erat, quasi καθ' ἐξοχὴν retinuit nomen juris, quia in ratione humana est imago juris divini, & tota natura sui juris perfectionem in homine assequitur. Ut ita rectè dici possit, in jure humano esse omnes juris species : vel etiam duæ tantum primæ juris species possint constitui, divinum & humanum, cui subserviant jus cœli & naturæ. Sed quia non opus est omnia ad vivum resecare, & certis de causis supra quatuor legis primò sic dictæ species fecimus, non sine ratione hic quoq; juris quatuor primas species ponere voluimus, id enim nobis proderit ad excusationem Ulpiani, qui brutis jus aliquod humanum adscripsisse falsò arguitur. Ius humanum ergo speciale nomen non habet, sed simpliciter vocatur *jus* interdum qui-

Digitized by Google

dem vocatur ratio, juris ratio, rationis tenor, *ut l. 14. 15. 16. 20. 21. 25. D. de legib.* evincitur, sed impropriè & ex illa legis jurisque, *de qua supra lib. 2. cap. 1. diximus*, confusione.

Omnia hæc iura naturalia esse, & ideo sæpe confundi.

Omnia hæc jura *naturalia* vocantur, divinum est de natura Dei: cœleste de natura cœli: naturale de natura alterabili & elementari: humanum de natura humana. Possunt etiam omnia appellari *divina*, quia à Deo sunt & illi serviunt: vel *humana* quia homini communicata sunt. Sic & jura cœli brutis naturalia dici possunt, quia illis naturaliter per operationem quandam insunt. Quod propter eundem Ulpiani locum & alios nodos ubi confusa juris naturalis appellatio difficultatem peperit, explicandos, observandum.

Aliæ duæ iuris species hinc amotæ.

Bolognetus *de lege ju. & æquit. cap.* 20. adhuc alias duas affert juris primò sic dicti species, & ait jus naturale accipi etiam de primis honestatis principiis & rationis igniculis nobis innatis: sed quia hæc sunt illa ipsa ratio humana de qua locuti sumus, & principalis ejus pars, non video quod isti rationis igniculi novi constituant, quod humanæ rationi seu legi & juri non insit. Idem inquit, jus naturæ accipi etiam de illo jure simplicissimo, quo in primo naturæ flore omnia erant communia: verum id quidem est, sed quia hæc quoq; acceptio est de essentia juris humani, novam juris speciem, primò sic dictam, non constituit. Cum vero inferius jus humanum in prius & posterius, vel

in

Digitized by Google

in naturale & gentium diſtinguemus, tum apparebit haſce duas juris ſpecies eſſe in illa juris humani primi & ſimpliciſſimi parte, quâ homo in flore naturæ ſuæ, cum adhuc incorruptus eſſet, naturaliter utebatur. Ut ergo quatuor tantum leges jubentes libro primo poſuimus, ita hic quoq; quatuor tantum juris primò ſic dicti ſpecies agnoſcimus, duas haſce poſteriores Bologneti ſpecies in ſubdiſtinctione juris humani ſuo loco obſervabimus.



Quid ſit jus humanum, primò & propriè acceptum: quid ab eo differant præſumptiones.

CAP. VI.

QVia in humano jure omnia quæ ad noſtrum inſtitutum pertinent inventuri ſumus, age, curſum eò dirigamus. & quid humanum jus propriè ſit diligentius inquiramus. Monendus eſt benevolus lector jus humanum non uno modo dici, nam ut ſupra *lib. 2. cap. 1.* docuimus, etiam ſtatuta, plebiſcita, privilegia, conſuetudines & ſimilia, vocantur jus humanum, ſed in confuſa & ſecunda juris legiſq; uſurpatione: nos vero hic de prima & propria juris acceptione agimus, & definitionem ejus quærimus. *Iuris primi definitio quæritur.*

Donell. 1. *com.* 5. inquit, *Ius quod propriè ita* vo- *Donelli definitio.*

Digitized by Google

vocamus, est constitutio omnis jubens in publicum permittensve quæ recta sunt, prohibensq; contraria, iis quibus posita est, parendi necessitatem imponens. Hanc definitionem Donellus juris propriam esse autumat, eamq; tam diligenter explicat, ut prima fronte cuivis satisfacere posse videatur. At si rem accuratius consideraverimus, nec in prima nec in secunda significatione jus definitum est, sed potius ipsa constitutio. Constitutionem nunc accipio pro quovis statuto jure, ut Donellus accipi voluit. Ius autem in prima usurpatione non est constitutio, sed præceptum rationis ex quo constitutiones fiunt: quando vero illa facta est, tum jus in secunda significatione iterum non est constitutio, sed id quod constitutio jubet ac constituit. Ita in prima significatione jus est efficiens constitutionis, in secunda vero ejus effectum. Præterea etiam consuetudo est jus, quæ tamen non est constitutio, cum latenter invalescat, non constituatur: & æquitas est ius, quæ non potest constitutio vocari. Sequentia definitionis illius verba sciens prætereo.

Connani definitio Accuratius definivit Connanus *lib. 1. com. cap. 3. n. 6. Ius,* inquit, *est quod naturalis ratio vel lex civilis præscribit,* & paulo post: *Ius est naturæ vel legis præscriptum de iis rebus quæ ad alterum pertinent.* Utroq; juri definitiones Connani convenire possunt, & illi quod primò, & alteri quod secundò ita dicitur, quia utrumq; legis sibi præcedentis præscriptum seu præceptum est:

eſt: juri tamen priori magis competere videntur. Nam ideò, ut opinor, de externa & publica parendi neceſſitate nihil adjecit, quia jus primæ ſignificationis tantum in mente eſt, & à ratione jubetur urgeturq́;, nec publicam parendi neceſſitatem accipit, niſi per legem conſtitutionemve politicam, cum ad ſecundam ſignificationem tranſit. Æqui & boni mentionem non fecit, quia putavit nemini ignotum, à ratione & lege nihil mali præcipi. Breviſſimè jus in prima ſignificatione definiri poteſt, quod ſit *rationis juſſus*.

Circa jus naſcuntur præſumptiones.

Quærebatur autem ſupra, *lib.* 1. *cap.* 7. an tota ratio, an vero tantum pars ejus eſſet lex humana: ubi voluimus rationem totam homini pro regula vitæ prodeſſe. Si nunc eadem de jure repetatur quæſtio, an tota ratio ſe in præcepta juris effuderit, ita ut omnia quæ ſunt in ratione, etiam ſint in jure? reſpondemus, omnia quidem ad jus conſtituendum prodeſſe, attamen alia ad juſſionem propius accedere. Nam cum ratio humana aliquid jubet, verſatur circa certum aliquod objectum, de quo judicat, ſitne faciendum an non? At præcedunt judicationem & juſſionē univerſales quædam notitiæ, quæ ſe ſemper ad omnia indifferenter habent, & ad nullam juſſionem deſcendunt, ſed manent univerſaliter in intellectu. Ex hiſce pullulant juris intellectus, præſuppoſita, fictiones & præſumptiones, quæ omnes affinitatem & quaſi conſanguinitatem juris habent, licet

licet in jussum non veniant, nec constitutioni alicui inserantur, sed cujusq; judicio relinquantur. Ut, quod intelligitur vel præsumitur jus nolle vitam inhonestam. *l. 10. D. de Iust. & iure. l. filius D. de condit. instit.* non est lex vel jus; (nam quis talem legem constitueret, ne jus velit quod inhonestum est?) sed est præsuppositum, intellectus vel præsumptio quam quilibet habet de jure. Tales notitiæ à jureconsultis vocantur *præsumptiones juris & de jure*, quia de juris voluntate & essentia loquuntur. Non sunt jus ipsum, sed sunt circa jus, & loquuntur de jure, habent autem magnam cum jure affinitatem, quia ad exemplum præceptorum juris ex ratione nascuntur: ideo etiam non admittunt probationes in contrarium, quia non licet contra jus & rationem disputare. Videntur autem non malè vocari potuisse præsumptiones rationis, vel legis, vel notitiæ mentis, ut testarentur se immediatè ex lege prima hominis natas esse: non enim sunt præsumptiones juris, hoc est, ex jussu natæ, quia sunt de jure: jus autem (cum non pro lege sed propriè usurpatur) de seipso non præsumit. Aliæ sunt præsumptiones quæ ex jure & jussu nascuntur quæ vocantur *præsumptiones juris*, puta naturalis vel civilis: ut, quemq; amare suam vitam, *l. 1. §. 3. D. de just. & jure.* parentes amare liberos: patrem non posse juniorem esse filio. *§. minorem. Instit. de adopt.* neminem sibi acquirere velle quod jam habet. *l. suæ. D. de cont. empt.* hæc ut

Præsumpt. iuris & de iure.

Præs. iuris.

ut cogitemus aut velimus publicè non constituitur, sed præsumuntur unicuiq; ipso cum rationali jussu & imperio præcipi ac juberi. Dicuntur *juris*, quia circa constitutionem faciendam in facultate jubente sunt, & tamen non jubentur. Rarò autem & difficulter admittunt probationem in contrarium, quia rarò & difficilè inveneris hominem qui secus cogitet quam ratio communis suadet, nec præsumitur ratio seipsam in jubendo decipere & aberrare voluisse. Simili modo circa hominem ipsum & ejus vitam nascuntur *præsumptiones hominis*, ita vocatæ quod ita ferre soleat vita humana, ut cum pater præsumitur is quem nuptiæ demonstrant. *l. 5. D. de in jus voc.* neminem ignorare conditionem ejus cum quo contrahit. *l. qui cum. 19. D. de reg. jur.* quo pertinent plurimæ juris regulæ. Et circa facta existunt *præsumptiones facti*, quæ à circumstantiis gesti negotii sumuntur. In hisce posterioribus probatio contrarii facilius admittitur, quia homines non semper secundum rationem agunt, & facta vehementer variant. Sunt ergo ubique circa jus nonnulla quæ licet jussionem proximè non faciant, juris intellectui tamen & usui serviunt, quarum originem ex ratione esse, in hisce generalibus juris præcognitis debuimus ostendere.

Præsumpt. hominis.

Præs. facti.

*

Quid



Quid in doctrina juris humani Iureconsultus differat à Theologo.

Cap. VII.

Ius humanum considerant Theologi & Iureconsulti.

IUs humanum, in cujus explicationem nunc declinamus, non tantum ad Iuriſconſultorum ſed etiam ad Theologorum doctrinam pertinet. Cum vero non oporteat ſcientias confundere, & nobis finis conſiderationis noſtræ ante omnia præcognoſcendus ſit, videamus quid Iuriſconſultus in doctrina juris à Theologo differat, & quem in finem omnia noſtra ſint dirigenda.

Theologi quo fine legem tractent.

Theologus legem eo fine tractat, ut ex ea oſtendat. I. Deum & juſtitiam ejus: quod ſit unus, verus, ſummus, & omnipotens Deus, *Exod.* 20. *v.* 2. 3. qui nulli creaturæ ab hominibus aſſimilari, ſed ſuper omnia ſolus ſuſpici & coli velit, *v.* 4. juſtiſſimus, *v.* 5. miſericordiæ inexhauſtæ, *v.* 6. ſanctiſſimus, *v.* 7. devotè adorandus, *v.* 8. Qui omninò velit & jubeat, ut homines etiam inter ſe mutua exerceant beneficia, honorem & gratitudinem, *v.* 12. amorem & auxilia, *v.* 13. caſtitatem, *v.* 14. liberalitatem, *v.* 15. ingenuam veritatem, *v.* 16. idq; in omnibus omninò rebus, conſtantiſſimè, de ſincero & puro pectore, ſine omni dolo & fraude, *v.* 17. II. Ut doceat qualis fuerit homo in ima-

imagine Dei, cum hæc omnia intelligeret & præstaret. III. Ut monstret homini quo redactus sit per lapsum, quam planè non possit amplius placere Deo, cum illi totus factus sit dissimilis, omnesque cupiditates & actiones suas malo inquinet. IV. Ut evincat nullam amplius salutis spem superesse ex lege & operibus, cum non possit Deus justos pronunciare qui mala operantur, nec possint ex lege justi vocari, nisi qui eam tam perfectè observaverint, ut nec Deus ipse in intimis cordis penetralibus ullam maculam invenire queat. V. Ut per ipsam rationem & conscientiam obtineat confessionem nostram, in hoc deplorato & miserrimo statu nostro nobis opus esse misericordia & auxilio Dei, ne in acerbissimas nostræ injustitiæ pœnas incidamus. Et tandem VI. ut nos omnes consilii & auxilii inopes, salutemq;, cujus desiderium naturale est, unicè quærentes ad Christum adducat, qui est finis legis, in quo omnes minæ conticescũnt. Ergo Iohannis, *Mat.* 3. *v.* 2. Christi, *Mat.* 4. *v.* 17. & Apostolorum *Mat.* 10. *v.* 7. *Marc.* 6. *v.* 13. *Act.* 2. *v.* 38. conciones omnes à lege incipiunt & in Christo desinunt, ut auditoribus suis inculcent nullam extra Christum esse salutem, cum nemo legem observare possit. Nam Theologiæ finis est salus æterna, ideo omnia eo dirigit ut illã commendet, & quomodo obtineri possit doceat.

At

Iureconsulti finis.

At Iureconsulti finis est salus politica, ergo eam tantum legis particulam spectat, quæ ad salutem politicam pertinet. Cum verò obtinuit externam & civilem justitiam, finem suum assecutus est & in eo quiescit. Quod intima cordis non scrutetur aut puniat ratio duplex est: prima, quod humanarum virium non est de cogitationibus cordis judicare: altera, quod cogitationes, quamdiu sunt meræ cogitationes, politicam disciplinam non offendunt & ad Iurisconsulti finem non pertinent, cum eo fine non sit institutus magistratus ut omnia hominum peccata arguat, puniat, & genus humanum exstirpet. Quamprimum autem prava consilia in conatus erumpunt, vel alio modo gliscunt ut ab homine probari possint, puniuntur in jure ob dolum, scandalum & damnum, quæ omnia publicæ privatæq; civium tranquillitati adversantur. Sic Iurisprudentia Theologiæ famula est, quapropter etiam magistratus Dei ministri, & custodes tabularum Mosaicarum appellantur. Et meminerit benevolus lector, quia salus politica summus & principalis finis noster est, omnia nobis eò dirigenda esse ut illum obtineamus. *Salus populi suprema lex esto* dicebant Romani legumlatores, quod & nobis erit observandum. Ab hoc fine & à mediis ejus non excludimus pietatem, quia extra Deum nulla est salus: erit ergo verus finis noster, ut salutem populi temporalem cum Deo & ratione obtineamus. Errant longè qui

qui opinantur jureconſulti finem eſſe ex litibus forenſibus quæſtum facere, vel litibus tantum & privatis civium negotiis præeſſe. Ut theologi principalis finis non eſt conſolatio ægrotorum; nec medici, obligatio vulnerum: ita nec privatæ altercationes ſunt verus finis Iureconſulti. Multo nobilius objectum habet, nempe ſalutem totius reipub. ut tota civitas in publica tranquillitate benè gubernetur, virtutibus exornetur, & theologo præparetur. Verus Iuriſconſulti finis eſt, primò politica præcepta in uſum vocare, palantes populos ad humanas & honeſtas ſocietates invitare, amicitiæ vinculis colligare, communicatione ſangvinis conglutinare, humanitati imbuere, ordinatè & prudenter regere: deinde illis naturale jus explicare, à delictis abſterrere, delinquentes punire; dulcedinem virtutum, amorem ordinis & juſtitiæ deſiderium excitare, & politicis quibuſdam regulis ſeu legibus conſervare. Iureconſultus eſt quaſi vox clamans in deſerto, qui magno ſpiritu feros populos alloqui, convocare & in ordinem cogere audet, diſperſos inq; ſylvis ferarum more ex rapto & latrociniis viventes invitando vel cogendo in ſocietates colligit, ut olim Theſeus, Minos, Rhadamantus & alii, vel ſi collecti & coordinati jam ſint, conſiliis occultis & armatâ manu ne iterum dilabi poſsint prohibet. Ita parat viam & præbet occaſionem omnibus artibus, quæ nunc in civili hominum ſocietate cum ſalute hominum

Digitized by Google

maxima docentur & exercentur, ante civiles societates verò in vita hominum beluina nec erant, nec sine prævio ordine & docendi discendiq; facultate existere poterant. Hic est finis Iureconsulti, non litigare & quæstum ex dissidiis civium facere, ut vulgus opinatur.



Jurisconsulti objectum, homo: medium ad finem, jus humanum: id duplex: an aliquid ejus sit in brutis.

CAP. VIII.

ICti objectum est homo.

OBjectum Iurisconsulti aliud statui non potest nisi animal ad civilem societatem aptum, hoc est, homo: quia non datur aliud animal quod civilem in ordinem cogi possit.

Medium ad finem, jus humanum.

Medium verò, quo finem suum obtineat, est ratio seu jus humanum. Humanum jus vocamus quod homini competit ut homini, hoc est, per rationem, non per sensus. Edere, bibere, sunt juris humani, at illius quod per sensus competit ut animali, non hujus de quo nos loquimur, quod hominum proprium est per rationem. *v. lib. 1. cap. 10.* Ex quo iterum evincitur omnem nostram considerationem & operam esse circa homines tantum, cum nullum aliud animal rationis capax existat.

Id duplex, naturale & positivum.

Ut duplicem humanæ vitæ legem statuimus, *lib. 1. cap. 10.* naturalem & civilem, ita duplex quo-

quoque jus humanum, naturale & civile (quod item positivum vocari potest) statuamus oportet. Divisionem hanc tradidere nobis Cajus *l. 9. D. de just. & jure. Omnes populi*, inquit, *qui legibus & moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum jure utuntur. it. l. 1. D. de acq. rer. dom.* Paulus. *l. 11. D. de Iust. & jure. Ius pluribus modis dicitur, uno modo cum id quod semper aequum ac bonum est jus dicitur, ut est jus naturale: altero modo quod omnibus aut pluribus in quaq; civitate utile est, ut est jus civile.* reliqua ibi sequentia omitto, quia ad constitutionem primarum specierum juris non pertinent. Ulpianus *l. 6. D. de Iust. & jure* ait, *Ius civile est quod neq; in totum à naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei servit, itaq; cum aliquid addimus vel detrahimus juri communi, jus proprium, id est, civile efficimus.* Ius naturale & gentium ibi pro uno eodemq; sumit, quod arguit particula alternativa *vel*, explicationis causa adjecta: & quod utrumq; singulari demonstrat numero, *ei*, item, *juri communi*, nam si plures ibi intellexisset juris species, pluraliter locutus fuisset. Easdem juris primas species facit *in l. quod attinet. 32. De reg. jur.* Idem sequitur Imperator *§. penult. Inst. de jure nat. & §. singulorum. Instit. de rer. divis.* Aristot. *5. Eth. 7. al. 10.* Thom. Aq. *2. 2. qu. 57. a. 2.* Cicero *in partit.* cum ait, *Iuris omnis ratio nobis explicanda, quod dividitur in duas partes primas, naturam atq; legem.* Quapropter & Donell. *1. com. 6.* probat jus naturale & gentium unum idemq; esse. (puta genere vel in prima juris humani

divisione, nam quando jus homini naturale inferius subdividemus, apparebit duas ejus esse species, quarum prima jus naturale, altera jus gentium appellatur.)

Rationalis seu humani juris nihil in brutis.

Harum specierum juris nulla in brutis esse potest, quia sunt species juris humani, quod ex ratione est: bruta autem ideò sunt & vocantur bruta quod rationis sunt expertia. Probant id jureconsulti etiam eo ipso quod negant bruta injuriam facere posse, nam injuria fit tantum ab eo qui jus intelligit & contra illud agere vult: ideò impuberes & qui doli capaces non sunt non possunt injuriam facere, *l. 1. & 3. D. de injur.* multo minus id poterunt bruta. Quando autem bruta lædunt, dicuntur damnum facere seu pauperiem: Sic enim Ulpian, *l. 1. §. 3. D. si quadrup. paup.* edicti verba explicat, nempe quod Prætor ideò de pauperie locutus sit, quia *Pauperies*, inquit, *est damnum sine injuria facientis datum: nec enim potest animal injuriam fecisse quod sensu caret.* Sensum pro intellectu juris posuit Ulpianus, verbi calumniatorem non timens. Simili modo & alii Iureconsulti pauperiem ab injuria distinguunt, ut tituli D. *si quadrup. paup.* & *de injuriis*, testantur. Fecere idem Philosophi, Seneca *1. de Ira cap. 3. Sed dicendum est feras ira carere, & omnia præter hominem. nam cum sit inimica rationi, nusquam tamen nascitur nisi ubi rationi locus est. Impetus habent feræ, rabiem, feritatem, incursum, iram quidem non magis quam luxuriam: & in quasdam voluptates intemperantiores homine sunt. Non est quod credas illi qui dicit:*

Non

Digitized by Google

Non aper irasci meminit, non fidere cursu
Cerva, nec armentis incurrere fortibus ursi.

Irasci dicit, incitari, impingi. Irasci quidem non magis sciunt quam ignoscere. Muta animalia humanis affectibus carent: habent autem similes illis quosdam impetus. Alioquin si amor in illis esset, odium esset: si amicitia, & simultas: si dissensio, & concordia: quorum aliqua in illis quoq; extant vestigia: caterum humanorum pectorum propria bona malaq; sunt. Nulli nisi homini concessa prudentia est, providentia, diligentia, cogitatio. Nec tantum virtutibus humanis animalia, sed etiam vitiis prohibita sunt. Tota illorum, ut extra, ita intra, forma humana dissimilis est. Plato *in Menex. Nostra terra ex omnibus animantibus hominem genuit, qui caeteris intelligentiâ praestat, solusq; jus ac Deos animadvertit.*

Quid ergo illud esse dicemus, quod idem Ulpianus noster, quem duas tantum juris species fecisse, solosq; homines doli capaces juris ac injuriae participes statuisse ostendimus, *in l. 1. & 6. D. de Iust. & jure (conjungi enim debent hae leges ut inscriptio & contextus monstrant)* tres facit juris species, naturale, gentium, & civile, & affirmat jus naturale etiam in brutis esse? Cur idem *l. 1. §. cum arietes. D. si quadrup. paup.* autoritate Q. Mutii distinguit inter bovem provocantem & provocatum, quasi provocato jure licuerit provocantem occidere, provocanti verò jure non licuerit alterum invadere? Laborant in conciliandis Ulpiani verbis interpretes tanquam in re valde difficili, & locum paulò obscuriorem inconsideratius explicando quidam magis ob- *Quodnam jus in brutis statuat Ulpianus.*

 tene-

tenebrarunt quam illustrarint, danda ergo est opera ut hisce ex tricis nos expediamus. Nemini autem ignotum est, Imp. Iustinianum ex Ulpiano sumpsisse *princip. & §. 1. Instit. de jure nat. & tit. institut. si quadrupes.* Theophilum verò latina Imperatoris verba græcis expressisse, eosq; secutos esse autorem & epitomatorem basilicôn *lib. 2. tit. de lege cap. 14.* & Harmenopulum *lib. 1. tit. 1. §. 14.* satis ergo fuerit ad omnium excusationem & illustrationem, si tantum Ulpiani verba explicaverimus & ad concordiam redegerimus.

Juris semina conspicua in brutis. Principio negari non potest, multa in brutis summa cum admiratione observari, ut non inconcinne Cic. *2. de finib.* beluas *naturæ specula* vocarit. Adumbratum est in iis jus divinum, ut nobis pietatis quædam exhibeant indicia, quemadmodum supra *lib. 2. cap. 4.* docuimus. Videntur intelligere jus cœli, ut Plin. de elephantis testatur, quod semper novâ luna se abluant: & experientia docet volatilia sui adventus & discessus tempora nosse. In jure elementari nonnunquam hominum magistri sunt, prænunciant pluvias, serenitates, terræ motus, pestilentiam, discernunt cibos, & norunt suam medicinam. Ius verò humanum imitantur virtutum umbris, ut gratitudine, quo pertinet Androdii & leonis historia ex Gell. *lib. 5. cap. 14.* & quæ de ciconiis vulgo feruntur. Canes sunt custodes & amici dominorum suorum: equi nostri symmachi sunt: imitantur & superant

rant

rant alia hominum castitatem, ut sup. *cap.4.* indicavimus: apes imitantur jus gentium & civile, quia furta puniunt, bella gerunt, distincta officia habent &c. *Virg. 4. Georg.* Leguntur multa de animalibus admiratione digna apud Plin. *nat. hist. lib. 8. 9. 10. & 11.* Aristot. *lib. 9. histor. anim.* Plutarch. *de solert. anim. & in tract. Quod bruta ratione utantur.* Ciceron. *2. de nat. deor.* & apud alios autores, ex quibus Solin. *in polyh.* subinde quædam miranda de animalibus refert, quod & Ælian. *lib. 1. var. hist.* in aliquot capitib. fecit. Sacræ literæ etiam tale quid in brutis monstrant, *ut Gen. 3. v. 1. & 8. v. 9. Esa. 1. v. 9. Mat. 10. v. 16.* & pœnam illis delinquentibus denunciant *Gen. 9. v. 5. Exod. 21. v. 28. Levit. 20. v. 16.* Quamvis enim beluæ rationem non habeant, tanto tamen hiatu à natura humana non distant, ut nulla rationis similitudo in illis deprehendi posſit. Quod cum consideraret Aristot. *8. hist. anim. cap. 1.* dixit, *Sunt in plurimis cæterorum animalium vestigia morum animi humani: quanquam hæc apertius in homine discernantur. Inest urbanitas, feritas, clementia, acerbitas, fortitudo, ignavia, metus, fidentia, ira, malitia. Atq; etiam prudentiæ imago inest in multis, quemadmodum, cum de partibus docerem, exposui. Alia enim eo quod magis minusve habeant comparatione hominis differunt: homoq; ipse cum multis aliis animalibus ita dissidet: quippe cum aliqua ex his magis in homine habeantur, aliqua in cæteris animalibus latius: alia verò differant proportione. Ut enim in homine ars, sapientia, prudentia, sic in nonnullis brutis inest vis quadam ejusmodi*

Digitized by Google

altera naturalis. Constat hoc ita esse plane argumento pueriles ætatis, in qua futurorum habituum quasi vestigia & semina videris: & tamen nihil per id tempus animam hominis differre à beluarum anima prope dixerim. Itaq; nihil remotum à ratione est, si partim eadem, partim similia, partim ex proportione in cæteris animalibus habentur. Sed adeò de inanimatis paulatim sensimq; ad animata natura transit ut continuatione ipsa lateat eorum confinium & medium, utriusnam sit extremi. Et *1. Eth. ult.* animam sensitivam rationis non omnino expertem esse asserit. *v. Conimbr. 2. phys. cap. 9. q. 3. & 4. Lactant. lib. 3. instit. cap. 10. & de ira Dei cap. 7.* Ulpian. ait bruta à nobis *censeri naturalis juris peritia*, h. e. ut Bud. *ad. d. l. 1.* & Hotom. *Instit. de Iure nat.* interpretantur, bruta nobis admirationi esse & in pretio haberi propter præclara quædam naturæ dona. Ostendit quidem Cicero *1. offic.* magnum inter hominem & beluam discrimen, cum inquit. *Inter hominem & beluam hoc maximè interest, quod hæc tantum, quantum sensu movetur, ad id solum quod adest, quodq; præsens est, se accommodat, paululum admodum sentiens præteritum aut futurum. Homo autem, qui rationis est particeps, per quam consequentia cernit, principia & causas rerum videt, earumq; progressus & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, & rebus præsentibus adjungit atq; annectit futuras, facile totius vitæ cursum videt, ad eamq; degendam præparat res necessarias.* atq; id extra controversiam est, bruta illam rationis aciem habere non posse, quâ homines de rebus judicant: attamen propterea omni memoriâ præteri-

teritorum, aut futurorum præsagio non carent. Quod ideò repetitum volui, ne quis putet solos Iureconsultos de brutis, an juris & rationis participes esse possent, dubitare ausos; & ut appareat eos qui in brutis simulacra quædam juris humani concesserunt, non adeò ineptos fuisse ut quibusdam irrisoribus videntur.

Veruntamen quicquid sit, agitur hic de jure RATIONALI HUMANO: si de jure aliquo naturali, quod beneficio sensuum competere potest, ageretur, res expedita foret: nunc de tali loquimur jure, quod non potest adesse nisi beneficio rationis: de eo quæritur an in brutis esse possit, & an Ulpianus id affirmaverit? Acutissimè præ reliquis omnibus respondisse videntur Goveanus *1. varior. 19.* & Cujac. *in not. ad Instit. tit. de jure nat.* quod homines jure faciunt, eadem si faciant bruta, homines facere ex jure naturali: attamen & hæc solutio mihi non satisfacere potuit, cùm quia nodum controversiæ non satis tangit, ut explicaret quodnam jus humanum brutis commune statuerit Ulpianus & quomodo, tùm quia bruta multa faciũt quæ ab hominib. fiunt jure, nec tamen jure naturali. Ut quando apes bella gerunt, grues vigilias obeunt, hæc cũ ab hominib. fiunt jure, sunt juris gentium vel civilis, non juris naturalis. Aliis interpretũ in solutionibus cur acquiescere non possim, causas generaliter indicabo. 1. Si jus naturale humanum aliquo modo est in brutis, bruta eatenus participant humanitatem:

Nos de jure humano quærimus.

Cur aliorum solutiones non satisfaciant.

Digitized by Google

2. Concedendum fuerit etiam jus gentium in brutis esse, quod ipso Ulpiano & omnibus aliis Jureconsultis (ut in principio hujus capitis vidimus) attestantibus, cum jure naturali in uno genere convenit & quasi idem esse statuitur, seque in animalibus æquè exerit ut naturale. Habent enim distincta nidorum & fovearum dominia, bella gerunt, prædam possident, se & sua defendunt, sibi invicem succurrunt. *Arist. de hist. anim. lib. 9. cap. 7. 8. 12.* 3. Si ita à simulachris quæ in natura sunt argumentari licet, statuendum erit etiam jus civile in brutis ac insectis, quia beluæ, bufones, serpentes & mures dicuntur suos habere reges: de apibus Plin. *lib. 11. cap. 5. Rempub. habent, consilia privatim, ac duces gregatim*, politiam apum describit Maro *4. Georg.* Aristot. *de hist. anim. lib. 9 cap. 40.* Varro *3. de re rust. cap. 16.* & Columella *lib. 9.* quibus, quo minus refutari possint, quotidiana experientia veritatis exhibet testimonium. Grues habent duces & vigiles *Plin. lib. 10. cap. 23. Cic. 2. de nat. deor. Arist. de hist. anim. lib. 9. cap. 10. Solin. in polyh. cap. 15.* quod item oculi auresq; nobis testantur. Præterea jus gentium & civile ex eadem ratione nascuntur ex qua naturale, ut ex superioribus liquet, quapropter tam facile mihi fuerit jus civile in brutis ostendere, quam alii in iis probaverint jus humanum naturale. 4. Si Ulpianus *in §. jus naturale.* de jure naturæ humanæ loquitur, cur *in §. seq.* ait jus gentium à jure naturali ita recedere ut id facile intelligi possit?

quo-

quomodo recedit jus naturale à jure gentium, si jus gentium est ipsum jus naturale, prout ipse l. 6. D. eod. tit. pro uno eodemq; sumpsit? 5. Et cur statim de jure civili subjicit, illud non in totum à jure naturali vel gentium recedere? an ergo major cognatio est juri civili cum jure naturali vel gentium, quam est inter jus naturale & gentium? id quidem nemo affirmaverit. 6. Nolim Ulpianum tantæ inconstantiæ argui, quasi unico in contextu juris humani species fecerit modo duas, modo tres; cum ipse alibi & omnes alii Iureconsulti duas tantum primas species humani juris faciant, ut in principio hujus capitis ostendimus. 7. Quod quidam afferunt jus naturale brutis ideò concedi posse quod sit rationis, reliqua jura non posse quia sint ratiocinationis, nihil ad rem facit: cùm quia hoc quod illi præsupponunt est idipsum quod probandum erat, nempe an jus aliquod rationis brutis competere posit: tùm quia ubi aliquid rationis, ibi etiam aliquid ratiocinationis est, ratio enim non est otiosa & nunquam ratiocinans. Si autem non dubitant brutis aliquid rationis & juris naturalis concedere propter quædam ejus vestigia, quomodo jura ratiocinationis iis denegabunt, cum æquè manifesta eorum semina in animalibus ostendi possint? 8. Cavendum ne tam facile brutis jus rationale concedamus, ne cogamur etiam alia quæ hominum propria sunt iis largiri. Agimus enim hic de eo naturali jure quod ex ratione

est,

est, non de jure naturali elementari: rationem autem brutis concedere, est ipsam hominis formam communicare. Quamvis elementaris natura, ut modo Aristoteles differebat, tam gradatim se elevet, ut à minimo vermiculo usq; ad hominem lateat ejus progressus, tot speciebus ita abstrusus, ut semper in superiori inferioris virtus sese modo paulo magis perfecisse & apertius exerere videatur, tamen natura communis eam perfectionem non attingit quæ rationis nomen mereatur, quia ratio non est perfectionis elementorum, sed illius spiritus quem Deus homini inspiravit. 9. Tandem monendi sumus, collationes hominum & brutorum ita instituendas non esse, ut beluam astutissimam cum ignavissimo & stupidissimo somniatore conferamus, & deinde inter omnes beluas & homines eandem proportionem esse concludamus, ut solent qui hoc laudare illud despicere volunt, summa infimis, optima pessimis conferre. Injurium & iniquum est ex bruto monstro & pecude humano quod nec sensus excitat nec rationem omnes homines æstimare, vel beluis omnibus astutiam serpentum aut vulpecularum tribuere. Conferenda sunt summa summis, infima infimis, & videndum an quod summum est in brutis, possit assequi id quod ratio humana in prudenti & advigilanti viro potest comprehendere? Hæc & similia considerans, non potui in vulgatis interpretum solutionibus acquiescere: afferam itaq; aliam de qua eruditi judicabunt.

Le-

Legem jubentem fecimus quadruplicem *lib. 1.* & quadruplex jus esse ostendimus *hoc lib. 2.* monuimus deinde, antiquos Iurisconsultos non consuevisse tam prærupte à lege & jure hominis incipere, sed aliquid præfari solitos, vel de jure divino. *lib. 1. cap. 4.* vel de jure naturæ communis, *lib. 1. cap. 6.* Diximus etiam, omnes illas quatuor juris species suo modo vocari naturales. *lib. 2. cap. 5.* Ulpianus ergo, quamvis de jure humano tantum agere & docere velit, tamen non protinus sine ulla præfatiuncula (quod inconveniens fuisset *l. 1. De orig. Iur.*) ad jus humanum accedit, sed de jure naturæ *communis* paucula præmittit, *§. jus naturale. 3.* & quia jus, quod homini cum brutis commune est, appellaverat *naturale*, ne lectorem turbaret, jus hominibus solis competens vocavit *jus gentium. §. jus gentium. 4. d. legis. 1. D. de Iust. & jure.* Ius gentium etiam naturale appellari posse non negat *l. 6. D. de Iust. & Iure*, sed tamen ut tum intelligatur aliud jus naturale, quam quod *in l. 1. §. jus naturale D. hoc tit.* brutis commune esse dixerat. Sed quia Ulpianus duplici acceptione juris naturalis & brevitate quadam seipsum obscuravit, paulò diligentius inspicienda sunt verba ejus ut rectè intelligantur. *Autoris solutio.*

Cum auditoribus suis (ut intelligere licet, rudioribus) institutiones juris tradere vellet, ut solent artifices ipsam ad rem properare, ita Ulpianus quoq; magis de rebus quam de verbis cogi-

Digitized by Google

cogitans, mirâ brevitate paucissimis verbis multa præfari voluit: nempe, cum juris appellatio sit varia, se de illo acturum quod justitiam respicit, & à fine justitiæ obtinendo jus appellatur, quo item constituatur ars boni & æqui. Hoc jus esse objectum studiosorum juris, & in eo fine assequendo occupatam esse totam Jurisprudentiam, huc præmiorum & pœnarum distributiones & alia omnia respicere. Paucissimis verbis auditoribus suis studium juris commendare, attentionem excitare, officium & finem totius studii simul indicare voluit. De verbis in toto hoc exordio (ut jam de aliis ex eodem autore sumptis legibus non dicam) parum sollicitus fuit, quod multis indiciis apparet. Hæc quasi transiliens, jus generalissima divisione suis tyronibus adumbrat, ubi iterum omnia non scrutatur accuratissimè, quod ostenderemus si de arte juris vel de universali studii nostri divisione hic ageremus. Tum ad jus naturale properans, prius indicare vult esse in nobis naturalem quandam inclinationem & aptitudinem ad jus, beluis etiam communem. *Ius naturale*, inquit, *est quod natura omnia animalia docuit. Nam jus istud non humani generis proprium, sed omnium animalium, quæ in terra, quæ in mari nascuntur, avium quoq; commune est. Hinc descendit maris atq; fœminæ conjunctio, quam nos matrimonium appellamus, hinc liberorum procreatio, hinc educatio: videmus enim cætera quoq; animalia, feras etiam, istius juris perita censeri.* Quod hic de jure naturæ communis lo-

nis loquatur, probo primò, quia dicit hoc jus naturâ doceri, & quidem natura communi: de ratione & natura rationabili hic nihil innuit ut *in §. jus gentium*, cum de jure humano ageret, fecit. Secundò dicit illud commune esse cum omnibus terrestribus & aquatilibus. Non loquitur de elephantis, leonibus, vulpeculis, gruibus, apibus &c. de quibus singularia quædam referuntur, sed de omnibus animalibus quæ in terra & mari nascuntur, ergo de lupis quoque, asinis, porcis, anseribus & ranis. Credibile verò non est Ulpianum, qui ipse universaliter de omnibus animalibus negat quod rationis sensum habeant. *l. 1. §. 3. D. si quadrupes.* & qui nec omnibus hominibus juris & injuriæ intellectum tribuit *l. 2. §. 1. D. de injur.* rationalis juris participationem omnibus animalium & piscium speciebus adjudicasse, cum ignorare non posset, multa in terra & mari nasci animalia, de quibus an rationem habeant ridiculum & turpe sit dubitare. Tertio non ait in animalibus juris naturalis vestigia à quibusdam observari, sed oculis *videri* quod animalia ejus sint *perita*. Et tandem effectus, quos juri naturali tribuit, ostendunt de ea natura hic agi, quæ operatur citra rationis concursum: loquitur enim de propagatione & conservatione specierum, quæ non est animæ rationalis propria, sed ad naturam pertinet communem. Vidit hoc & ipsa in translatione argutè interpretatus est Theophilus, ideò inquit agi hic de ea natura

cujus

Digitized by Google

cujus vis non ad homines tantum coangustata sit,sed quæ etiam ea quæ in aëre sunt disponat, atq; iis quæ in terra vivunt formam det, quæq; cum videret omnia animalia morte consumi, per regenerationem singulorum sui immortalitatem operetur. Quis dubitat cum verba Ulpiani & Imperatoris de natura elementari accepisse, cum alia natura non sit quæ omnibus animalibus formam det eaq; propaget? De hac natura itaq; rectè affirmat Iureconsultus quod in omnibus animalibus conspiciatur, quodq; ea perita sint quomodo sese convenienti speciei & sexui sociare & propagare debeant. Confirmat sententiam meam quod Ulpianus,postquam de naturæ motu hæc præmisisset, manifestè accedit ad aliud jus differens à priori, nempe ad jus humanum,quod in ratione præditis tantum conspicitur. *Ius gentium*, inquit, *est quo gentes humanæ utuntur, quod à naturali recedere facile intelligere licet: quia illud omnibus animalibus, hoc solis hominibus inter se commune sit.* Hic agere incipit de jure humano, quo humanæ gentes, id est omnes homines utuntur. Posse hoc jus etiam naturale vocari *l.6. D. eod. tit.* fatetur, sed ita ut tum naturam *humanam* intelligamus tantum: alias enim de eo jure, de quo antea fuerat locutus, id ait *recedere*. Recedendi verbo utuntur Iureconsulti, non cum exiguam aliquam differentiam, sed cum totalem mutationem vel secessionem indicare volunt,ut Ulpian.*l.2.D.de constit. princ.* Pompon.

l. si

l. si fundum. D. de condit. & dem. Cajus *l. adeo. 7. §. aliud. D. de acq. rer. dom.* eamq; significationem hoc loco exigit, quod statim *in l.6.* ait jus civile non in totum à naturali vel gentium jure recedere: ergo prius de totali recessione fuerat locutus. Et quidem hanc recessionem dicit tam manifestam esse, ut quivis eam facilè possit intelligere: sed unde? respondet Iureconsultus tanquam in re minimè obscura, *quia illud omnibus animalibus hoc solis hominibus inter se commune est.* Si in priori versiculo de jure naturali *rationis* locutus fuisset, falsò diceret jus gentium ab eo manifestè recedere, quia esset prioris pars & sequela: malè etiam jus gentium hominibus tantum vindicasset, quia & illud brutis communicandum fuerat: & ineptè subjecisset jus civile non in totum à jure naturali vel gentium recedere, nam si jus gentium à jure hominibus naturali recedit, multo magis civile. Dignum observatione est Theophili artificium, qui semper ipsa in translatione explicare & illustrare voluit. Is primo agit de jure naturali eo quo supra diximus modo: deinde quasi aliam materiam prehenderet, jus humanum quo in rebuspub. utimur de novo in manus sumit, idq; duas vias habere ait, divisitq; in jus gentium & civile. Porro hoc jus gentium ait etiam naturale vocari, sed καταχρηστικῶς. Ex unico hoc verbo colligi poterat, de qua natura antea esset locutus: nam si superius per jus naturale intellexerat jus aliquod hu-

P manæ

Digitized by Google

manæ rationis, falsò subjecit jus gentium absu- sivè naturale appellari, sive jus gentium idem cum naturali, sive ejus partem & partum facias. Tota ergò hæc disputatio inde nata est, quod vulgò putarunt Ulpianum, *in sæpius d. l. 1. §. jus naturale. D. de just. & jure*, loqui de jure *rationali* humano, cum ille de natura *communi* incipiat & loquatur, jus verò *homini naturale*, ne vocabuli *naturæ* ambigua repetitio lectorem deciperet, *jus gentium* appellarit. Perinde autem est, utrum jus homini primò competens naturale an gentium voces, modò constet, de qua natura loquaris. Non diffitemur potuisse Iureconsultum explicatiùs & copiosiùs ea de re agere: sed artifices sæpè putant se peritis loqui, & decipiuntur quod in auditoribus nimium ingenii præsumunt, ideoque brevitati dùm student, obscuri fiunt. Animadverterunt jam olim juris interpretum nonnulli, Ulpianum per jus naturale & gentium unum jus intellexisse, ideoq; dubitârunt an jus gentium, an vero naturale rectiùs dividerent in primum & secundum, an vero utrumq; ? *vide Connan. 1. Comm. 5. n. 3. Bologn. de leg. jure & æq. cap. 24. & 25.* Nempe suboluit illis, vocasse illum jus gentium, quod alii appellant jus humanum naturale. At si eo, quo dixi, modo verba jurisconsulti interpretabimur, & ipse sibi ubiq; pulchrè consentiet, & omniū communi sententiâ constabit, juris humani tantùm duas esse primas species, nempe naturale, (quod Ulpianus jus

gen-

gentium vocavit) & civile. Videtur etiam explicatio nostra ad intellectum legis 2. 3. 4. & 5. *D. eod. tit.* facere, de quibus aliàs interpretes ita ambigunt ut quæ alius ad jus naturale referenda contendit, alter ad jus gentium pertinere clamitet: quo ipso tacitè arguunt, jus naturale & gentium aliquo modo unum esse; & si jus naturale humanum brutis communicetur, jus gentium iis denegari non posse. Sed hæc exempla infra, cum de speciebus juris humani explicatiùs agemus, ad suas species applicabimus. Occurret autem hîc aliquis & dicet Ulpianum *in d. l.* 1. agere de jure *humano* tantùm, non de jure naturæ communis, cùm dicat privatum jus tripartitum esse, naturale, gentium, & civile: at privatum jus esse hominum tantùm, constitui ergò ibi tres juris *humani* species; non duas. Cui respondeo, Ulpianum *in* § 2 primò proponere quæ in sequentibus dilucidiùs erat explicaturus: deinde non nego eum in tota hac lege confusiùs locutum esse, & quædam verba ambiguè posuisse; tantum hoc volo, cum nullam juris rationabilis partem in brutis posuisse, nec quicquam quod ratio operatur, irrationalibus commune fecisse. Docuimus enim supra omne jus humanum constare ratione, rationem autem esse de forma hominis & brutis non competere: jus humanum verò duas in primas species dividi, naturale & civile: & probavimus Ulpianum à reliquis Iureconsultis non dissentire. Unicus

Digitized by Google

hic locus Ulpiani *in l. 1. & 6. D. de Iust. & jure* contradicere videbatur, cui commoda interpretatione subvenire debuimus. De jure humano tantum agere instituit, & tamen jus elementare obiter, seu distinctionis seu præfatiunculæ causa simul attigit. Nemini imponat quod jura quæ *in §. jus naturale 3.* brutis tribuuntur etiam competunt homini: quia non competunt ut homini, verum ut animali. Omnia brutorum jura competunt homini, non contra. Hæc ad l. 1. & 6. *D. de Iust. & jure* dicta sint. Quod autem *in l. 1. §. cum arietes. D. si quadrup.* inter bovem provocantem & provocatum distinguit, non innuit provocato injuriam factam esse quam jure ulcisci potuerit, sed quod provocatus non posit non se tueri & pauperiem facere, siquidem omnia animalia amore vitę & dolore vulnerum ad sui tuitionem per sensus impelluntur, cum è contra nulla bos naturali instinctu ad alterius læsionem compellatur, atq; ideo quoties ad pugnam provocat contra naturales instinctus egisse, & provocatum per sensus læsionem metuentes ad tuitionem coegisse videatur. Etiam naturæ communis instinctus & animalia bruta appetunt bonum. *v. sup. lib. 2. cap. 3. & 4.* & quando animal secundum naturam egit, deliquisse non videtur, ut Ulp. *d. l. 1. §. Itaq; D. si quadrup.* ipse explicat. Quod vero contra naturales instinctus egit id dici potest aliquem pauperiorem fecisse, & talia facta in brutis etiam improbant

loca

loca S. scripturæ superius allegata. Sed de his satis: res ita habet, ut jus humanum constet ratione, bruta vero rationem non habeant: quicquid tandem alii senserint aut scripserint, veritati nihil detrahit: errare, confusè & impropriè loqui, est hominis: sed multò magis est hominis quæ commoda interpretatione juvari possunt, non calumniari. *Rebus intellectis*, inquit Cicero, *in verbis faciles esse debemus*, & Seneca *epist. 82. quædam inutilia & inefficacia ipsa subtilitas reddit.*



Jus homini naturale esse duplex, prius & posterius, seu naturale & gentium.

CAP. IX.

IUs quod in homine tantum est, duas in species primas, in naturale videlicet & positivum seu civile, à Iureconsultis dividi satis demonstratum sit: nunc quid naturale aut positivum appelletur erit videndum. Et quia generalia omnibus juris speciebus competentia absolvimus, tandem ad specialia erit descendendum. Priori autem loco tractanda sunt jura naturalia, quia illa & naturâ priora sunt, *§. singulorum. Inst. de rer. divis.* & civilia naturalibus famulantur. *l. 6. D. de Iust. & jure.*

Naturale jus homini est quod ipsâ naturâ, beneficio rationis omnibus notum est, etiam *Quodnam jus homini naturale sit.*

antequam publicâ autoritate sanciatur. Naturam cum dico, non intelligo naturam cum brutis communem, multo minus depravationem naturæ humanæ, sed rectam rationem hominibus omnibus & solis naturalem, ut ex superioribus satis liquet: ideò dico jus naturale homini *beneficio rationis* notum esse, aut si id non est, tamen notum esse posse ac debere. Essentiam juris naturalis non mutat, quod interdum civilibus legibus proponitur: naturalia nō fiunt positiva, etsi publicis legibus inferantur, quia tum non constituuntur, sed ipsâ naturâ jam constituta hominibus tantum in memoriam revocantur & inculcantur. Verbi gratiâ: *Non occides*, est præceptum naturale cum homine natum, & per rationem priùs notum, quàm Mosis tabulæ vel lex Cornelia de Sicariis promulgarentur: ac licet tabulæ Mosaicæ & lex Cornelia idem præcipiant, tamen illud præceptũ non fit positivi juris, sed est & manet naturale. Cic. *pro Milone. Est enim hæc, judices, non scripta sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex natura arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus: ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis.* Non ignorabat Cicero civilibus Rom. legibus prohibita esse latrocinia, & tamen inquit non esse scriptam legem, ut liceat vim vi repellere, sed natam.

Ius

Ius humanum naturale duplex esse, diversi probant effectus, qui omnibus in hominibus extra & intra civilem societatem constitutis naturaliter deprehenduntur. Est enim natura in nobis jus aliquod, quod nos omnes appellat *homines & liberos*, quod servitutem & manumissionem ignorat *l. 4. D. de Iust. & Iure*, obligationem naturali veritatis amore & pudore mendacii, ex promissione cujusq; hominis cujuscunq; status aut conditionis ille sit, æstimat, *l. si quod dominus. 64. l. frater à fratre. D. de condict. indeb.* spectat rationem sanguinis in omnibus, *§. illud certum, 10. Instit. de nupt. l. jura sanguinis. D. de reg. jur.* & omnia habet communia *l. ex hoc jure. 5. D. de just. & jure.* Vocatur *naturale* κατ' ἐξοχὴν, quia naturâ primò in nobis est, & inter omnia jura principatum obtinet, unde etiam *jus naturale prius* appellari solet. Eleganter nonnulli dixerunt, jura naturalia esse notiones primas & notitias nobiscum natas, seu præsumptiones, prolepses & prænotiones naturales ipsâ vi rationis impressas *v. Budæ. ad l. 1. vers. Videmus enim cætera. D. de Iust. & jure.*

Ius naturale duplex.

Prius, seu naturale.

Consistit in notionibus primis.

Est item citra civilem ordinem & legislatoris operam naturâ aliud jus in nobis, quod jubet rerum dominia distinguere atq; ea certis tantùm modis transferre: introduxit status inæqualitatem, defensiones, bella, servitutes, manumissiones & similia. *l. 4. & 5. D. de Iust. & jure.* Vocatur id *jus naturale posterius*, seu *jus gentium*. Utrumq; jus naturale esse, non posi-

Posterius, seu jus gentium.

 siti-

Digitized by Google

ſitivum, inde evincitur quod apud omnes gentes illa præcepta animadvertuntur, obſervantur, & ſervata fuerunt antequam leges civiles ferrentur. Quis autem potuiſſet exiſtere legiſlator, qui omnibus hominibus moribus ac linguis differentibus lociſq; diverſis habitantibus ad comitia convocatis eas leges ferre & in poſteris conſervare potuiſſet, niſi natura?

Species iuris naturalis ſæpè confundi.

Confunduntur hæ ſpecies juris naturalis ſæpè inter ſe, *ut §. ſed naturalia* 11. *Inſtit de jure nat. §. & quidem. §. ſingulorum. §. venditæ. Inſtit. de rer. diviſ. §.* 1. *Inſtit. de obligat. quæ ex delict. l.* 9. *&* 11. *D. de Iuſt. & jure.* quo pertinet etiam quod è contractibus, qui juris gentium ſunt, naturalis obligatio naſci dicitur. *l. ſtichum. §. naturalis. D. de ſolut. l. cum amplius. §. is natura. D. de reg. jur. l. ſi quod dominus.* 64. *D. de condict. indeb.* cum tamen jure naturali omnia ſint communia & contractus ignorentur. *l.* 5. *D. de Iuſt. & jure.* idq; inde evenit, quod magna inter has ſpecies eſt affinitas, quia uno in genere & principio conveniunt, & utrumq; eſt jus humanum naturale. Differre tamen dictas ſpecies ex fructibus diverſis cuivis facile eſt judicare, & apparebit manifeſtiſſimè, cum inferius quæ præcepta juris naturalis vel gentium ſint explicatius trademus. Hæc in genere de legibus & juribus humanis dicta ſufficiant, nunc ad ſingulas ſpecies enucleandas accedemus.

*

PRIN-

Digitized by Google

PRINCIPIORUM IURIS

LIBER TERTIUS.

In quo agitur de jure naturali.

Jus naturale prius summatim & generaliter depingitur.

CAP. I.



E optimo & ſimpliciſſimo jure hominis, quod *jus naturale prius* vocatur, hoc libello tractaturi, primò deſcribimus illud quod ſit *præceptum Dei & rectæ rationis, sub pœna privationis bonorum ſuorum & inflictionis malorum contrariorum exigens perfectum erga Deum & homines amorem, conformatum ad legem divinam ſeu voluntatem Dei.* Naturale dicitur, quia naturaliter per rationem ſine ullo hominis adjumento cordibus noſtris inſcriptum eſt, ita ut ne peccatum quidem huic juri cauſam aliquã dederit. Eſt ergo propriæ & incorruptæ humanæ naturæ, atq; ob illam excellentiam me- *Jus naturale prius quid?*

Digitized by Google

ritò jus naturale vocatur. Theologi *morale* vocant, quia ad mores hominum formandos spectat, non ad ritus sacrorum ut ceremoniale, nec ad politiam ordinandam ut politicum. Ejus definitionem illustrem dedit Phil. Mel. *in exam. ordin. Lex moralis est æterna & immota sapientia & regula justitiæ in Deo, discernens recta & non recta, & horribiliter irascens contumacibus, seu denuncians horrendam iram adversus contumaciam repugnantem huic ordini in Deo: & patefacta est hominibus in creatione, & postea sæpè repetita & declarata est voce divina, ut sciamus quod sit Deus & qualis sit; obligans omnes creaturas rationales, & postulans ut omnes sint conformes Deo, & damnans ac destruens omnes non conformes Deo, nisi fiat remissio & reconciliatio propter mediatorem. Summa legis hujus comprehensa est in Decalogo.* Hanc legis moralis descriptionem ab omnibus nostri seculi Theologis probari video, cum qua consentit descriptio Calvini *lib. 4. instit. cap. 20. sect.* 15.

Ejus præcepta. Præcepta juris naturalis sunt, quæ etiam citra lapsum in homine fuissent, & quæ non tàm ad mali prohibitionem, quàm ad naturalis boni à Deo insiti fruitionem spectant, ut paulò post copiosiùs explicabimus. *Et finis.* Finis ejus est, ut sua in perfectione sit imago Dei, per constantem & perpetuam inquisitionem, operationem & fruitionem boni, ad Dei gloriam & hominum salutem. *Ejus præstantia.* Cumq; inter omnia humana jura naturale ad Deum & naturam hominis proximè accedat, & totam perfectionem na-

turæ

Digitized by Google

turæ omnesq; vires ejus in se contineat, adeò etiam excellit præ reliquis, ut jura gentium & civilia illi famulentur, & impletione juris naturalis omnia jura sint exhausta. Impletur autem pio amore, nam amor omnes humanæ observantiæ & beneficentiæ vires exhaurit & omnes leges superat, quod & Poëtæ, licet non semper de pio & casto amore loquantur, testatum faciunt, ut Boët. *de consol. phil. lib. 3. met. 12. Quis legem dat amantibus? Major lex amor est sibi.* Virg. *Omnia vincit amor.* Propert. *Verus amor nullum novit habere modum.* Ovid. *epist. 3. Heroid. Quicquid amor jussit non est contemnere tutum, Regnat & in superos jus habet ille Deos.* vide *Virg. 4. Æneid. Lucret. lib. 4.* Non tamen hæc ita accipienda sunt quasi justitia & aliæ virtutes ad decalogum & jus naturale non pertineant: perinde enim est quâ virtute decalogum impleri dicas, pietate, sanctitate, justitia, veritate, integritate, innocentia &c. quia omnes virtutes in Deo & decalogo seu in lege divina & humana unum sunt & se mutuò ponunt, ut infra docebitur. Sed Deus nescio quomodo semper amorem suum prædicat, & quod omnibus numeris absolutum magni fieri vult, sui dicit esse amoris. Quam phrasin & nos amplexi, dicimus pium & perfectum amorem esse finem juris naturalis, & si re ipsâ constanter exhibeatur, imaginem Dei. Amor est mensura juris, & justitiæ spiritus, sine quo iniquum est quicquid justitiæ nomen induit. Christus *Mat. 22.*

Impletur amore.

v. 37.

Digitized by Google

v. 37. summam juris naturalis breviter propositurus, inquit: *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet & prophetæ.* Et Apostolus *Rom.* 13. *v.* 11. *dilectio est impletio legis.* 1. *Tim.* 1. *v.* 5. *finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Galat.* 5. *v.* 14. *Omnis lex in uno sermone impletur: diliges proximum tuum sicut teipsum.* Amor est tessera filiorum Dei. *Ioh.* 13. *v.* 35. & quoties ad amorem mutuum inflammamur, *ut d. cap.* 13. *& aliq. seq. item Rom.* 12. 1. *Ioh.* 4. *&* 5. 1. *Corinth.* 12. *&* 13. toties ad hujus juris observationem excitamur. Tota concio Christi *Mat.* 5. 6. *&* 7. huc spectat, ut nobis hanc summam amoris regulam inculcet, *ubi quod non vis fieri, alteri ne facito.*

Amor est forma & finis iuris.

Id vidisse etiam ethnicos.

Viderunt ethnici hanc esse intimam vim & mentem omnis legis, juris, naturæ ac rationis, ut amicè & humaniter vivamus, Deo & homini omnia quæ à nobis proficisci possunt charitatis officia exhibeamus. Et quia ostendere volumus, decalogum seu jus morale esse idipsum quod nos naturale vocamus, homini per rationem notum, operæ precium erit audire quousq; gentes in agnitione decalogi, naturali rationis luce adscenderint. Locus est notabilis apud Senecam. *ep.* 95. ubi summam totius juris naturalis his verbis proponit: *Quomodo*

Seneca notabilia verba, de cultu Dei.

dij

Digitized by Google

dij sint colendi, solet præcipi. Accendere aliquem lucernam sabbathis prohibeamus: quoniam nec lumine dij egent, & ne homines quidem delectantur fuligine. Vetemus salutationibus matutinis fungi, & foribus aßidere templorum: humana ambitio istis officiis capitur. Deum colit qui novit. Vetemus lintea & strigiles Iovi ferre, & speculum tenere Iunoni: non quærit ministros Deus: quid ni? ipse humano generi ministrat. Ubiq; & omnibus præsto est. Audiat licet, quemadmodum in sacrificiis se gerere debeat, quam procul resilire à molestis superstitionibus. Nunquam satis profectum erit nisi Deum, qualem debet, mente conceperit: omnia habentem, omnia tribuentem, beneficia gratis dantem. Quæ causa est diis benefaciendi? natura. Errat si quis putat illos nocere velle: non possunt. Nec accipere injuriam queunt, nec facere. Lædere enim lædiq; conjunctim est. Summa illa ac pulcherrima omnium natura, quos periculo exemit, ne periculosos quidem fecit. Primus est Deorum cultus, deos credere. Deinde, reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est: Scire, illos esse qui præsident mundo, qui universa ut sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt, interdum curiosi singulorum. Hi nec dant malum nec habent. Ceterum castigant quosdam, & coercent, & irrogant pœnas, & aliquando specie mali puniunt. Vis Deos propitiare? bonus esto. Satis illos coluit quisquis imitatus est. Ecce altera quæstio, quomodo hominibus sit utendum? quid agimus? quæ damus præcepta? Ut parcatur sanguini humano: quantulum est ei non nocere cui debeas prodesse?

Eius iudicium circa secundam tabulam.

Magna

Magna scilicet laus est, si homo mansuetus homini est. Præcipiemus ut naufrago manum porrigat, erranti ut viam monstret, cum esuriente panem suum dividat. Quando omnia quæ præstanda sunt ac vitanda dicam? cum possim breviter hanc formulam humani officii tradere: Omne hoc quod vides, quo divina atque humana conclusa sunt, unum est: membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum & sociabiles fecit: illa æquum justumque composuit: ex illius constitutione miserius est nocere quàm lædi: ex illius imperio paratæ sunt juvantis manus. Iste versus in pectore & in ore sit:

Homo sum, humani nihil à me alienum puto.

Habeamus in commune quod nati sumus. Societas nostra lapidum fornicationi simillima est, quæ casura nisi invicem obstarent, hoc ipso sustinetur. &c. Sic & Cicero *lib. 1. de legib.* docet naturâ nos cognatos & ad justitiam factos esse: & hunc esse finem naturæ, ut nos mutuò diligamus. *Rectè*, inquit, *Socrates execrari eum solebat, qui primus utilitatem à natura sejunxisset, id enim querebatur caput esse exitiorum omnium. Unde etiam illa Pythagorea vox*, τὰ τῶν φίλων κοινὰ, καὶ φιλίαν ἰσότητα. *Ex quo perspicitur, cum hanc benevolentiam, tàm latè longeq; diffusam vir sapiens in aliquem pari virtute præditum contulerit, tum illud effici quod quibusdam incredibile videatur, sit autem necessarium, ut nihilo sese plus quàm alterum diligat. Quid enim est quod differat, cum sint cuncta paria? Quod si interesse quippiam tantulum modò potuerit, jam amicitiæ*

titiæ nomen occiderit, cui ea est vis, ut simul atq; sibi aliquid, quam alteri maluerit, nulla sit. Putabat Socrates, nihil utile habendum, nisi quod naturalis amor & benevolentia omnibus hominibus debita suadet, idq; viros prudentes facere, & eo ipso cum optimis suavissimâ vitâ frui. Ius naturale est amor ipse, qui omnia edulcat, ornat & commendat. Ad hoc confugimus cum suaviter vivere volumus; hoc charissimis amicis promittimus; hoc unicum ab iis vicissim petimus; ut apud Comicum juvenis amicæ suæ hanc summam vitæ legem præscribit, *meus fac sis animus, quando ego sum tuus.* Tanta enim est integritas juris naturalis, tàm simplex candor, tàm pura benevolentia, ut nullam inter homines faciat status differentiam, ex amoris liberalitate omnia communia habeat. *l. 4. & 5. D. de Iust. & jure.* & solùm id dulce probumq; ducat, quod ebullit ex amore.

Ius naturæ est vera vita & suavitas.

Hoc igitur jure boni & sapientes libentissimè utuntur, & videtur tantùm bonorum proprium esse, cum pietas, ingenuitas, humanitas & beneficentia non nisi in bonis esse possint. Non potest id apertiùs ostendi quàm in Christo, qui cum esset amor & deliciæ Dei generisq; humani, omnia quæ amoris erant implevit. Si purè humana mavis exempla, considerandus est homo ante lapsum: tum enim Deum toto pectore ardebat, & conjugem flagrantissimo complectebatur amore, nulla ibi inhonesta cupiditas, nulla ambitio, nulla avaritia aut injuria.

Iure naturali delectantur boni.

Digitized by Google

ria. In pio castoq; amore & ingenua innocentia vivebant, soloq; naturali jure suaviter perfruebantur. Non opus erat defensionibus, quia non erat offendens; non opus erat contractibus, civilibus legibus, & prætoriis remediis, quia non erat qui injuriam facere vellet: amor hæc prohibebat & præstabat omnia. Post lapsum illa perfectio juris naturalis in nobis non est, apparet tamen ejus dulcedo in favillis rationis tam amabilis, ut omnem mentem suo nectare inebriet, suique desiderio inflammet. *Rom. 8. v. 18. & sequentib.* In filiis Dei, quia Deo similes esse exoptant, id aliquo modo apparet. Sancti Patriarchæ, Prophetæ & Apostoli hoc jure maxime delectabantur, non quod civilia jura spernerent, sed quod scirent naturale jus civili esse perfectius, & quod eo observato civilibus non indigerent. In primitiva ecclesia magis viguit & enituit jus naturale quam nostris temporibus, quia tum nondum ita refrixerat charitas, & pii una quasi in familia cohabitantes, seniorum autoritate & mutuâ benevolentiâ regebantur. Nos quoq; vitam ita instituere oportet, ut juris gentium & civilis imperio non sit opus: vivendum pacificè, ne opus sit bello: suum cuique ultrò tribuendum, ne prætoriis coactionum remediis indigeamus: fateamur veritatem, honestè & amicè conversemur, & nullis opus erit litibus. Qui ita vivunt Deo maximè placent, & *Mat. 5. ac 6.* vocantur *sal terræ, lumina mundi, felices, perfecti, beati,*

In iure naturali sunt omnia iura

&

& filij Dei, faciunt enim voluntatem Dei, quæ eſt lex moralis. Sancti angeli illam legem obſervant, & nos optare ſerioq; precari debemus ut à nobis idem fiat, & *ut voluntas Dei fiat in terris ſicut in cœlo Mat. 6. v. 10.* In altera vita, cum nobis imago Dei reſtituetur, & Deus omnia in omnibus erit, voluntatem Dei faciemus, & legem ejus obſervabimus. Calvin. *Inſtit. lib. 2. cap. 7. n. 5.* dicit legis Dei obſervationem eſſe impoſsibilem, & definit *impoßibile, quod nec fuit unquam, & ne in poſterum ſit Dei ordinatione ac decreto impeditur.* Nimis promptus ille eſt in accuſando Dei decreto, & multa latent abſurda in hac deſcriptione, quia legis impletio in ſtatu integritatis erat poſsibilis; poſsibilis fuit in Chriſto qui etiam verus homo fuit; poſsibilis eſt angelis & beatis hominibus; nec Dei decretum eam nobis fecit impoſsibilem, ſed ſpontaneum peccatum & lex carnis *Rom. 8. v. 3.* Quapropter verba Calvini ita accipienda, quod peccatori impoſsibilis ſit legis impletio ex lege carnis, alioquin falſa erit, & ipſe ſibi contradicet *d. n. 5. & 7. cum ſeqq. & lib. 4. cap. 20. n. 15.*

Quod contra jus naturæ eſt juris non eſt.

At quo quis longius à jure naturali recedit, eo eſt nequior, ut ſunt vitilitigatores iſti, qui ſæpè ex levicula diſſenſione, quam amicè componere potuiſſent, lites immortales, capitalia odia, nonnunquam etiam cruenta bella excitant: qui omnia injuriis exaſperant, putant jus eſſe artem altercandi, criminandi licentiam, emungendæ pecuniæ commentum. Tales etiam

Digitized by Google

ſunt qui humana juris peritorum conſilia audire nolunt, item qui nulla commiſeratione tanguntur, qui miſericordiæ & ſalutis diram invidiam audent appellare juſtitiam, nec non qui aliis dona Dei invident & victum eripiunt, ut fœnatores improbi, rigidi exactores, & omnes actores, rei, ac judices, qui ſummum jus humanitati & æquitati præferunt. Hoſtes illi & calumniatores juris ſunt, & digni fuerant ſuo judicio qui ſuis artibus primi perirent, quodque aliis faciunt primi pati cogerentur.

Quicquid inhumanum eſt, contra jus humanum eſt.

Quicquid inhumanum, crudele, contra amorem, pietatem, rationem, modeſtiam, & contra bonos mores eſt, juris eſſe nequit: eſt enim contra jus HUMANUM naturale. At jura gentium & civilia eo fine adinventa non ſunt, ut iis calumnioſè in fraudem juris naturalis & ad oppugnationem æquitatis abutamur, ſed ut ſint extrema & ſimul humaniſsima & æquiſſima bonorum ſubſidia, quibus æquum, bonum, ac humanum jus noſtrum poſtulatione modeſtâ & placidâ ab iniquis obtineamus.

Jus inhumanum eſt injuria.

Nihil eſt quod ἀκριβοδίκαιοι ingeminent, *meum jus poſtulo; ſuo jure qui utitur nemini facit injuriam*: nam qui inhumanum quid poſtulant, non jus ſed injuriam poſtulant, nec jure utuntur ſed jus improbè calumniantur. Nequaquam enim ſufficit, ex edicto Prætoris tria aut quatuor verba quibus alium jugules arripuiſſe, quia nulla lex lata eſt pro iniquis, omnes contra iniquos. *l. benignius. l. nulla. D. de legib. l. in omnibus. 90. D. de reg. jur.*

jur. qui verò civilibus legibus inhumanius abutuntur, juri fraudem facere dicuntur, *l. contra. l. fraus. D. de legib.* Ergo in hoc consistit tota & vera Iurisprudentia, ut jus naturale humanum rectè intelligamus, & civilibus jurisq; gentium præceptis *humaniter* pro conservatione juris naturæ, non in fraudem & eversionem ejus utamur. Quia verò multis litigantibus & judicantibus hodiè evenit quod olim Pharisæis, *Mat. 5. 6. & 15.* ut putent se jure probè usos, etsi abusu juris gentium vel civilis inhumano naturale jus suffocârint; & tamen jurisprudentia nostra in intellectu & observatione hujus juris consistit, adeò ut ea sine pietate & humanitate mera malitia & periculosa calliditas sit; ut officium & finem studii juris rectè ob oculos ponamus, necessum fuerit jus naturale paulò diligentius explicare. Nam jus naturale est generalis efficiens, forma, & finis totius Iurisprudentiæ, ad quod omnia reliqua jura diriguntur. Qui jus naturale non habet, intelligit, observat; nullum jus habet, intelligit, observat, nec scit quid discat, aut quo fine. Nos itaq; juris naturalis explicationi præter communem consuetudinem paulò immorabimur, ut eo majorem ejus venerationem & amorem excitemus: idq; argumentum susceptæ materiæ ita exposcit, & forte à plurimis factum esset, si illis principia juris tradere animus fuisset.

Ius naturale probè conoscendum.

Digitized by Google



Quænam sint præcepta juris naturalis prioris.

CAP. II.

De præceptis juris naturalis non convenit.

QVanquam ex superioribus intelligi poterat, quæ naturalis juris præcepta sint, nempe ea quæ lex moralis à Deo cordibus nostris una cum vita infusa tradit, quæq; sincero & pio ex amore proficisci possunt: erit tamen operæ precium ut quædam singillatim expendamus, & monstremus quid naturale sit, quid ab hominibus adinventum. Non convenit ea de re inter juris interpretes, propter commixtionem dissimilium appellationum & exemplorum juris, quæ est in aliquot legibus *D. de just. & jure.* de qua tamen nos certos esse oportet, ne cum positiva mutabilia esse dicemus, aliquid juris divini illis imprudenter immixtum violemus, aut humana quædam divinis interjecta nimium extollamus. Poterit autem benevolus lector simul obiter observare, quatenus Deus naturaliter ab omnibus hominibus beneficio rationis cognosci possit, quod profuerit nobis ad intellectum ejus quod Paulus *Rom.* 1. ait, gentes naturaliter Deum & legem cognovisse, & tamen non coluisse ut oportuerat: & ut cogitemus etiam gentilium scita posse bona esse, nec omnia eorum decreta ex lege

lege carnis proficisci. Poëtæ jus naturæ in aurei seculi civibus depingere solent, quasi homines illo tempore maximè secundum naturam vixerint, illorum sententias interdum adjiciemus.

Generalis nota juris naturalis.

Constituêre nonnulli generalem notam juris naturalis, ut priori capite Senecam generaliter de toto jure naturali differentem audivimus. Aristot. *5. eth. 7.* ait ea ad jus naturale pertinere, quæ natura ipsa docet an turpia vel honesta sint. Cic. *2. ad Heren.* ait: *Natura jus est quod cognationis aut pietatis causa observatur, quo jure parentes à liberis & à parentibus liberi coluntur.* Socrates *ap. Xenophont. lib 4 memorab*, putat hæc esse præcepta illius quod Dii sanxerint juris: *Deos esse colendos, parentes honorandos, incestos concubitus vitandos, de benè facientibus vicissim benè merendum esse.* Hæc præcepta si quis violaret, putabat in ipsa transgresione inesse pœnam & vindictam divinam, eo ipso quod homines privarentur utilitate justitiæ: quasi diceret juris naturalis esse, quæ in se habent vindictam divinam & humanam, si negligantur. Et Cicero iterum *2. de invent.* *Natura jus est quod nobis non opinio sed quædam innata vis affert, ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, observationem, veritatem.* Rectè quidem omnia, præterquam quod Cicero hoc ultimo loco vindicationem ad jus naturale prius refert, quæ ad jus gentium pertinet, ut infra videbimus. Nos superius docuimus, juris naturalis præcepta esse quæ maximè, primò, simplici-

Digitized by Google

pliciter, & per se secundum naturam sunt, quæq; etiam in statu integritatis in homine fuissent, seu quod pius & sincerus amor erga Deum & homines præcipit observandum: quibus verbis idem dicimus quod modo Aristot. Cicero, & Xenophon.

Quo ordine de speciebus agendum. Hac igitur generali nota constituta, nunc ipsas ad species accedemus, & simul ad confirmationem præcedentium, nullam humani juris speciem in brutis dari ostendemus. Tractabimus autem primò de iis quæ Deum respiciunt, ita ut etiam in solitaria vita præstanda sint: deinde ea quæ naturaliter exhibenda sunt in societate humana: & tandem quæ ad bona pertinent quibus in hac vita utimur. Quamvis enim præcepta juris naturæ ita sint unita & copulata inter se, ut quæ Deo debentur aliquo modo etiam ad vitam humanæ societatis pertineant, & è contra, tamen & distinctionem tabularum Mosaicarum imitabimur, & simul quomodo omne jus civile (tam divinum, quod religionem & sacra, quam humanum, quod personas publicas & privatas, res & actiones respicit) ad decalogum referatur, adumbrabimus; quod ad multa proficuum fore speramus.



Præcepta

Digitized by Google

Præcepta juris naturalis primam decalogi tabulam & hominis animum potißimum attingentia.

CAP. III.

CUm itaq; jus naturale consistat in amore Dei ac hominis, primus amor debetur Deo, à quo creati & vita donati sumus. Sic ad jus naturæ primò pertinet RELIGIO seu amor Dei. *Exod. 20. v. 2. 3. 4. l. veluti. 2. D. de just. & jure. Synops. basil. de legib. cap. 14.* Esse Deum aliquem, qui ab omnibus suspiciendus, adorandus, & grato animo colendus sit, ab omnibus gentibus naturaliter præsumi ac credi docet Paulus, *Rom. 1. & 2.* quod & Christus *Mat. 5. 6. & 7.* in explicatione legis moralis præsupponit. Lactant. *lib. 6. instit. cap. 9.* dicit veram Dei agnitionem esse primam & principem legis divinæ partem, sine qua tota lex, tanquam truncus abscisso capite, cœcus, surdus, & elingvis jaceat: verba ejus elegantissima lector inde petet. Xenoph. *de dict. & fact. socrat.* ἀγράφους δὲ τινας οἶσθα, ὦ Ἱππία, νόμους; τούς γ' ἐν πάσῃ, ἔφη, χώρᾳ κατὰ ταῦτα νομιζομένους. ἔχοις ἂν οὖν εἰπεῖν, ἔφη, ὅτι οἱ ἄνθρωποι αὐτοὺς ἔθεντο; καὶ πῶς ἄν; ἔφη, οἵγε οὔτε συνελθεῖν ἅπαντες ἂν δυνηθεῖεν, οὔτε ὁμόφωνοί εἰσι· τίνας οὖν, ἔφη, νομίζεις τεθεικέναι τοὺς νόμους τούτους; ἐγὼ μὲν, ἔφη, θεοὺς οἶμαι τοὺς νόμους τούτους τοῖς ἀνθρώποις θεῖναι· καὶ γὰρ παρὰ πᾶσιν

1. Religio est juris naturæ.

ἀνθρώποις πρῶτον νομίζεται θεοὺς σέβειν· οὐκοῦν καὶ γονέας τιμᾶν, πανταχοῦ νομίζεται; καὶ τοῦτο, ἔφη· οὐκοῦν καὶ μήτε γονέας παισὶ μίγνυσθαι, μήτε παῖδας γονεῦσιν; *Nosti etiam ô Hippia leges esse quasdam non scriptas? nempe eas dicis, inquit, quæ apud gentes omnes peræquè observantur. potesne igitur, inquit, dicere illas ab hominibus latas esse? quonam modo? inquit, qui neq; unum in locum omnes convenire, neq; sermone uno uti possunt. A quibus ergo, ait, leges istas latas arbitraris? Equidem à diis arbitror eas datas fuisse hominibus. Etenim apud omnes gentes prima illa lex posita est, ut Deos veneremur. Anne etiam ubiq; lex est ut honorem parentibus deferamus? etiam hoc, ait. nonne & illud quod neq; parentes cum liberis, neque liberi cum parentibus consuescere debeant? &c.* Cicero in 1. *Tusc. At porrò firmißimum hoc afferri videtur, cur deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit deorum opinio. multi de diis prava sentiunt, id enim vitioso more effici solet, omnes tamen esse vim & naturam divinam arbitrantur. Nec verò id collocutio hominum aut consensus efficit, non institutis opinio est confirmata, non legibus. Omni autem in re consensio omnium gentium, lex naturæ putanda est.* Idem, *lib. 2. de legib.* in explicatione XII. tabularum religionem primo loco posuit. & *3. de finib.* Cato inquit *sunt vetera præcepta sapientium, qui jubent tempori parêre, & sequi Deum, & se noscere, & nihil nimis* & paulo post: *nec verò pietas adversus deos, nec quanta his gratia debeatur, sine explicatione naturæ intelligi potest.* Plut. *de Iside & Osiride.* putat nihil naturæ & appetitui hominis convenientius esse, quam ut expetat cogni-

cognitionem Dei, quod & Seneca vult *ep. 92.*

Putarunt nonnulli religionem ad jus gentium pertinere, decepti eo quod id quoq; naturale vocatur, & quod in prioribus legibus *D. de Iust. & jure* dictæ jurium naturalium confusioni exempla ita admixta sunt, ut non possis non dubitare quonam sint referenda. Et ut obtinerent religionem non esse juris naturæ prioris, probarunt eam non esse in brutis. Alii contra, religionem ad jus naturale prius retulere: & cum opinarentur non licere illi juri aliquid adscribere, nisi quod cum beluis esset commune, etiam in brutis religionem quandam ostendere conati sunt, *ex Gen. 3. v. 14. & 9. v. 5. Levit. 20. v. 15. Num. 22. v. 23. Ps. 104. v. 27. & 144. v. 15. & 146. v. 9. Mat. 6. v. 26. Rom. 8. v. 9. item ex aliis locis supra lib. 2. cap. 4. & 8. indicatis.* Sed quomodo hæc juris simulacra in brutis & natura communi sint, dictis capitibus docuimus, & ostendimus de jure *rationali* hic agi, cujus nulla pars in brutis irrationalibus esse possit. Natura quidem ubique ita operatur ut omnes plantulæ, aves & beluæ creatoris sui bonitatem & providentiam testentur, *Mat. 6.* attamen talis agnitio & veneratio Dei, quæ religionis nomen mereatur, in natura irrationali non est. Religio enim in eo consistit ut intelligamus & fateamur esse Deum aliquem, unum, verum & veracem, justum, bonum, omnipotentem, omnia creantem & conservantem, à quo nos quoq; creati simus, & qui à nobis toto pectore

Religio nulla in brutis.

Digitized by Google

diligi, coli & adorari velit, Talis autem intellectus in brutis esse nequit, ergo nec dici potest quod religio sit in illis. Rectè Cicero 1. *de legib. Ex tot generibus nullum est animal præter hominem quod habeat notitiam aliquam Dei: deq; ipsis hominibus nulla gens est tam immansueta, neq; tam fera, quæ non, etiamsi ignoret qualem habere deum deceat, tamen habendum sciat. Ex quo efficitur illud ut is agnoscat Deum, qui unde ortus sit quasi recordetur ac noscat.* Et paulo post: *natura cum cæteras animantes abjecisset ad pastum, solum hominem erexit, ad cœliq; quasi cognationis domiciliiq; pristini conspectum excitavit.* vide huc Lactant. *lib. 3. instit. cap. 10.* Quid religionem vocent eruditi vide Non. Marcell. *lib. 4. n. 387. & lib. 5. n. 36. ubi superstitionem à religione distinguit.* Lactant. *lib. 4. div. instit. cap. 28.* Gell. *lib. 4. cap. 9.* Cic. *2. de invent.*

Religio non est juris gentium.

Quod autem religio sit juris naturæ simplicissimi & primi, inde probatur, quod per se bona & naturæ conveniens est, & quod ante lapsum, cum jus gentium & civile adhuc ignorarentur, in homine fuit. Quæ juris gentium vel civilis sunt, non per se & propter se extiterunt, sed propter jus naturale conservandum: at religio (hoc est, ut homo intelligat se non esse ex sese, sed à Deo aliquo omnipotente, sapientissimo & optimo artificiosissimè compositum, qui propterea grato animo colendus & venerandus sit) per se bona & in ratione hominis est. Errant itaq; qui religionem ad jus gentium referre volunt. Multo longius à veritate ablu-

Nec juris civilis.

abludunt, qui eam ad jura majestatis politica rejiciunt, & principibus potestatem quandam in religionem concedunt. Religio est de juribus majestatis, sed divinæ, non humanæ. Omnia humana majestatis jura sunt politica, post constitutas respublicas & civitates vel simul cum ipsis nata. Antequam politiæ essent, politica majestas & civilia majestatis jura existere non potuerunt: agnitio verò & cultus Dei cum vita primi Adami extitêre, priusquam illi conjux crearetur, & nec dum familia, pagus, aut ulla simplex vel composita hominis societas nasceretur, juris civilis ergo esse non potest. Defensio quidem religiosorum & piorum virorum, quando per publicas personas fit, ad jura majestatis civilia respicit, (ut infra, quomodo defensio modo jurisgentium modo juris civilis sit, dicemus) sed ipsa religionis traditio, imperatio vel prohibitio humanæ majestatis non est. Multo minus est de juribus principum, ut illi opinantur qui non majestati tantum, sed & principibus, vasallis, & municipiis sub majestate reipub. constitutis, pro modo jurisdictionis suæ potestatem in religionem concedunt. Religio est summus apex juris naturalis simplicissimi, & ferè maxima sui parte superat omne humanum jus, ut dici possit, magis esse revelationis divinæ, quam rationis humanæ. Nam ratio de Deo & theologia nihil novit nisi quædam legalia, & ea quidem hodiè imperfectè: doctrinam fidei & evangelii

ratio

ratio non assequitur, ut ita vix particula religionis dici possit nostræ rationis esse. Quatenus tamen religio seu agnitio Dei est rationis humanæ, pertinet ad jus naturale prius, non ad jus gentium vel civile. Ad ceremonias verò ecclesiasticas quod attinet, illæ civiles esse possunt: sed de illis alibi loquemur, hic de ipsa Dei agnitione agimus, quam cum externis mutabilibus ceremoniis confundere non oportet.

2. Veritas est juris natura.

Secundo ad jus naturale prius pertinet amor veritatis, *Exod. 20. v. 7. 16. Mat. 5. v. 6. 37. Rom. 1. v. 25.* qui & ipse ante lapsum in Adamo apparet, *Gen. 2. v. 19. 20. 23. & 24.* & religionis est quasi sequela. Qui enim Deum novit & amat, veritatem diligit ac inquirit, & qui rationem habet, eo ipso verum scire appetit. Cic. *1. offic. Inprimis hominis est propria veri inquisitio atque investigatio.* & paulo post. *intelligimus quod verum, simplex sincerumque sit, id esse naturæ hominis aptissimum.* & iterum: *omnes trahimur ac ducimur ad cognitionis & scientiæ cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus, labi autem, errare, nescire, decipi, & malum & turpe ducimus.* & *2. de finib. & quoniam natura cupiditatem ingenuit homini veri inveniendi, (quod facilime apparet cum vacui curis etiam quid in cœlo fiat scire avemus) his initiis inducti omnia vera diligimus, id est fidelia, simplicia, constantia: tum vana, falsa, fallentia odimus, ut fraudem, perjurium, malitiam, injuriam.* vide Stobæ. *serm. 9.* ubi de veritate plura talia collegit testimonia, & pertinet huc elegans exordium Plut. *lib. de Iside & Osiride.* Iureconsultos veritatem ad

jus

Digitized by Google

jus naturæ referre testatur *l. 1. D. de pact.* ubi dicitur, *hujus edicti æquitas naturalis est, quid enim tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare?* & *l. 1. D. de pecun. constit. Hoc edicto prætor favet naturali æquitati, qui constituta ex consensu facta custodit, quoniam grave est fidem fallere.*

Tertio juris naturalis est integritas seu animi candor, *Mat. 22. v. 37. Rom. 12. v. 9. 10.* Amorem simulatum, calliditatem insidiosam, & similia; jus naturale non agnoscit sed odit & abominatur: cordis verò puritatem & ingenuam simplicitatem amat ac amplectitur, *l. 1. & toto tit. D. de dolo malo.* quo pertinent plurimæ juris regulæ, *ut l. 47. 49. 65. 74. 75. 116. 206. D. de reg. jur.* ubi dolus, calliditas & simulatio reprobantur, quia sit contra bonos mores, contra bonam fidem &, *ut d. l. 206. dicitur,* injuria contra jus naturæ. Eodem fine fraus legum prohibetur *l. contra. l. fraus. D. de legibus.* & quotiescunq; dolus, cavillatio & calumnia improbantur, bona fides verò præcipitur, toties sinceritas atq; integritas juris naturæ esse statuitur. Seneca indicat cordis pravitatem contra jus naturæ esse *lib. 5. de benef. cap. 14.* cum inquit, *Latro est etiam antequam manus inquinet, quia ad occidendum jam armatus est, & habet spoliandi atq; interficiendi voluntatem. Exercetur & aperitur opere nequitia, non incipit.* *3. Integritas & candor.*

Sequitur ex his quartò fiducia, ut verbis hominum fidem habeamus sine ulla prava suspicione. Ubi enim plenus amor, veritatis studium, & animi candor; ibi firma fiducia pravas *4. Fiducia firma.*

Digitized by Google

vas suspiciones expellit. *1. Ioh. 4. v. 18.* Seneca *in Medea. Amor timere neminem verus potest.* & alter Seneca, *ep. 47. non potest amor cum timore misceri.* Iurisconsultos modo audivimus, qui dicebant fidem fallere esse contra jus naturæ, ergo fidem habere & servare est secundum jus naturæ. Ex hac naturali fiducia & præsumptione integritatis est, quod interdum homini in contractibus & probationibus fidem habemus, saltem ob nudam affirmationem sine ullo scripto instrumento, juramento vel testimonio: ut cum jurisjurandi gratiam facimus illis quos ad conceptum juramentum cogere poteramus, *l. remittit. 6. l. Labeo. 14. D. de jurejur.* quia interdum personarum reverentia & perspecta integritas vetat injuratis fidem denegare. Talem fiduciam nos habere decet erga Deum, *Mat. 21. v. 21.* quia ille est veritas *Ioh. 14. v. 5.* veritatem loquitur *Ioh. 17. v. 17.* & operatur *Ioh. 16. v. 13.* cum nec ethnici ignorarint nefas esse de fide summi numinis dubitare: vide locum elegantem apud Platon. *in fine lib. 2. de republ.* Nos quoque, si Deum imitari & jus naturale observare volumus, ita vivere oportet, ut viri modesti nobis injuratis credere non dubitent *Mat. 5. v. 37.* Ius nostrum, ut non omnes in jus vocari, *l. 2. cum aliq. seq. D. de in jus voc.* ita multo minus de fide eorum, quibus reverentiam & gratitudinem ob accepta & durantia adhuc beneficia debemus, dubitari voluit. *l. si patronus. 16. D. de jurejur.*

Quintò

Quintò juris naturæ est sanctitas sive pietas, ut omnia quæ in sensus incurrunt, ad animum revocemus, piè, modestè & sobriè perpendamus, ex illis Dei sapientiam, omnipotentiam & bonitatem discamus, suspiciamus ac celebremus. Hoc Paulus *Rom. 1. v. 20.* ethnicos naturaliter & rationabiliter facere potuisse ac debuisse docet: hoc præcipit Christus *Mat.6 v.28.* Inprimis verò considerandus est homo, quis sit, unde & quibus ex partibus compositus, quæ virtutes & facultates sint animæ & corporis, à quo datæ, & quo fine. Hæc est pia illa meditatio, quæ nos abripit in summam tanti artificis admirationem, quæ à nobis gratitudinem flagitat, & magnum amorem accendit, primò erga Deum, deinde erga divina illa munera, nobis ipsis & omnibus hominibus naturaliter à Deo collata. Posse verò rationem nostram tali in meditatione aliquid præstare, testantur scripta Platonis *in Timæo. de repub. de legib. & alibi*, item Senecæ *4. de benef. 4.5.6.7. & 8. & lib. 5. cap. 23. lib. 7. cap. 31. epist. 31. 41. 92.* Ciceronis *de nat. deor. de finib.* & aliorum plurimorum. In jure sanctam meditationem & politicam venerationem quarundam rerum, inprimis verò humani animi & corporis præcipi, probatur *l. 1. in pr. l. 6. §. 2. 3. 4. l. 8. & 9. D. de rer. divis. toto tit. D. de religios. & sumpt. fun.* nec dubium est plurima de rebus divinis & sanctis in veteri sacrorum jure extitisse, sed ea Iustinianus quia gentilium superstitionum erant sustulit, & nobis melio- 5. Sanctitas.

rem

Digitized by Google

rem ſanctitatem ac religionem *Cod. de ſumma Trinitate. de S. S. eccleſ. & aliq. ſeq. titulis* repoſuit. Non eſſe in brutis inquiſitionem, intellectum & judicium de veris & falſis, de animi candore, de fide & ſanctitate humana, nemo dubitaverit: ubi enim nulla religio, nulla excitata & confirmata ratio, ibi ne hæc quidem eſſe poſſunt. Hæc itaq; ſunt jura quæ à nobis naturalis ratio poſtulat ut reſpectu Dei & animi noſtri præſtemus: ſequentur nunc illa quæ corpus noſtrum & ſocietatem humanam magis attingunt.



Præcepta juris naturalis, hominis corpus etiam, & ſocietatem ſpectantia.

CAP. IV.

EX illa quam ſuperiori capite poſuimus noſtri conſideratione, accenditur in nobis admiratio & amor divinorum munerum. Miramur naturæ noſtræ bonitatem, animi eſſentiam & corporis ſtructuram; nec ea poſſumus non amare & magnifacere, cum videamus eſſe perquam pulchra atq; utilia. Sic ergo Sextò naturaliter in nobis naſcitur Amor noſtri, hoc eſt, ut animum & corpus noſtrum amemus & conſervare ſtudeamus, *arg. l. ut vim. D. de Iuſt. & jure*. Non hic loquimur de exceſſu & ſtolida

6. Sui agnitio & amor eſt naturalis.

φιλαυ-

φιλαυτία, quâ desipientes sibi placent, sed de rationabili admiratione & dilectione donorum Dei, quæ nobis præ omnibus aliis creaturis est largitus. Hæc est illa non scripta sed nata lex, de qua Cicero loquitur *pro Milone*. Defensio quidem vitæ, de qua ibi potissimùm agit orator, ad jus gentium pertinet, ut alibi explicabimus, sed ipsa vitæ dulcedo, ut animum sanum illæso in corpore habere optemus, naturalis est. Et ita accipienda est Stoicorum sententia, cum dicunt omne animal, simul atq; natum est, sibi conciliari, & suam incolumitatem naturaliter appetere. *Laërt. in Zenone. Cic. 3. & 4. de finib.* & quod Epicurei *apud eund. 1. & 2. de finib.* statuunt, omne animal naturâ duce dolorem fugere: aut peripatetici *5. de finib.* omne animal seipsum diligere, & simul ac ortum est id agere, ut se conservet: & prius posse quemq; à se discedere, quàm appetitum earum rerum quæ sibi conducant amittere. Seneca *lib. 5. de benef. cap. 9.* inquit naturâ hoc evenire, ut quisq; sibi benefaciat. Habent beluæ ex natura communi per sensus aliquem appetitum incolumitatis & vitæ suæ, at cognitionem bonorum naturaliter sibi à Deo collatorum non habent, ergò neq; hæc species juris naturæ nobis cum brutis est communis.

Septimò, naturale nobis est desiderium perfectionis: quo cupimus exoptamusq; corporis & animi bona habere excellentissima & perfectissima. Ubi enim vita, ibi indefessus *7. Cupiditas optimi.*

Digitized by Google

boni appetitus. Ex eo naturali desiderio boni, nascuntur omnes politicæ ordinationes & actiones, quia omnia eo fine agimus, constituimus, ut nobis eò sit melius: omnia eo fine discimus ac docemus, ut quæ bona credimus, meliora reddamus. *vide quæ cap: præced. de naturali veritatis amore diximus.*

8. Mutua affectio. Octavò juris naturalis est mutua affectio: quando enim videmus nos naturâ cognatos, & eorundem donorum naturalium participes esse, non possumus non eandem naturam & quasi nos ipsos in aliis diligere. Quapropter homo præ omnibus quæ in toto mundo sunt diligit hominem, ut *Gen. 2.* videmus Adamum nullius creaturæ aspectu ita commoveri, ut solo obtutu erga sponsam suam exardescit. Inter reliqua animalia, etsi ea miraretur & in honorem Dei magnifaceret, tamen nullum inveniebat suo consortio dignum: at conspecta conjuge, statim commovetur ad mutuum amorem.

An ea sit in brutis. Non ignoramus bruta quoq; maximè sociari suæ speciei, ut Cic. *1. de nat. Deor.* inquit: *Sed tu hoc, physice, non vides, quam blanda conciliatrix & quasi sui sit lena natura? an putas ullam esse terra mariq; beluam, quæ non sui generis beluâ maxime delectetur? quod ni ita esset, cur non gestiret taurus equæ contrectatione, equus vaccæ? an tu aquilam, aut leonem, aut delphinum, ullam anteferre censes figuram suæ? quid igitur mirum si hoc eodem modo homini natura præscripsit, ut nihil pulchrius quàm hominem putaret, eam esse causam cur deos hominum similes putaremus? quid censes, si ratio esset in beluis, non suo quasq; generi plurimum tributuras fuisse?*

& pau-

& paulò post: *est enim vis tanta naturæ, ut homo nemo velit nisi homini similis esse, & quidem formica formicæ.* Non tamen inde inferre licet, hanc juris naturalis partem nobis communem esse cum brutis: nam bruta nec rationem habent, nec puto, si haberent, eas generi suo plurimùm tributuras fuisse, ut Cicero ait, quia viderent homines adhuc ob corporis dona præstare. Utraq; pars ad hominem pertinet, anima & corpus: utraq; facit, ut hominem præ omnibus animalibus diligamus. Si quis consideraverit, inveniet & animi & corporis dona ita constituta esse in homine, ut totus ad amorem genitus esse videatur: vix umbra tantæ habilitatis in brutis est, sive animum consideres, sive corpus. Quapropter etiam beluas videmus ita posse assuescere homini, ut eum supra omnia animalia diligant, etiam supra seipsas, adeò ut sæpe extabescant desiderio dominorum suorum, *Solin. in polyh. cap. 25. Busbeq. epist 3. leg. Turc.* quod nulli homini ratione suâ utenti contingere potest propter beluam. Copulantur & cohabitant bruta sine judicio, ad propagationem vel defensionem sui, iis corporibus quæ sensus docent huic fini esse aptissima, at homo etiam illos diligit, quibus nec ad concubitum, nec ad defensionem aut societatem est opus. Liberalia ingenia amplectimur: alienos puerulos suscipimus & educamus: egenis ac decrepitis, quamvis alterius gentis sint, succurrimus: prospicimus posteris nostris, ne auxilii inopes sint:

Humanitas hominum propria.

Digitized by Google

amamus, quos nunquam vidimus: tangimur memoria eorum, qui multis abhinc seculis sunt defuncti: gaudemus si quid illis boni evenerit; indignamur & commiseremur, si quid mali: prorsus, quasi totius humani generis negotia ad nos pertinerent. Longè ergo distat humana affectio à brutorum consociatione, ut merito eam inde HUMANITATEM denominemus, quasi virtutem hominum propriam, omnia humana officia in se continentem. Lactant. cum *lib. 6. instit. cap. 8.* legem Dei descripsisset, primò *cap. 9.* ad eam retulit religionem seu agnitionem & amorem veri Dei: deinde *cap. 10.* quasi summam totius secundæ tabulæ & officiorum amoris erga homines indicaturus, ait: *Dixi, quid debeatur Deo, dicam nunc, quid homini tribuendum sit: quanquam idipsum quod homini tribuitur, Deo tribuitur, quia homo Dei simulacrum est. Sed tamen primum justitiæ officium est, conjungi cum Deo, secundum cum homine. Sed illud primum religio dicitur, hoc secundum misericordia vel humanitas nominatur. Quæ virtus propria est justorum & cultorum Dei; quod ea sola vitæ communis in se continet rationem. Deus enim, qui cæteris animalibus sapientiam non dedit, naturalibus ea munimentis ab incursu & periculo tutiora generavit. Hominem verò, quia nudum fragilemq; formavit, ut eum sapientiâ potius instrueret, dedit ei præter cætera hunc pietatis affectum, ut homo hominem tueatur, diligat, foveat, contraq; omnia pericula & accipiat, & præstet auxilium. Summum igitur hominum inter se vinculum est humanitas, quod qui disruperit, nefarius & parri-*

Digitized by Google

parricida existimandus est. Nam si ab uno homine, quem Deus finxit, omnes orimur, certè consangvinei sumus: & ideò maximum scelus putandum est, odisse hominem, vel nocentem. Propterea Deus præcepit inimicitias per nos nunquam faciendas, semper esse tollendas, scilicet ut eos qui sint nobis inimici, necessitudinis admonitos mitigemus. Item si ab uno Deo inspirati omnes & animati sumus, quid aliud quàm fratres sumus? Et quidem conjunctiores qui animis, quam qui corporibus. Itaq; non errat Lucretius, cum dicit,

Deniq; cœlesti sumus omnes semine oriundi:
Omnibus ille idem pater est.


Ergo pro beluis immanibus sunt habendi, qui hominibus nocent, qui contra jus & fas omne spoliant, cruciant, occidunt, exterminant. Ob hanc necessitudinem germanitatis docet nos Deus malum nunquam facere, sed semper bonum. Id autem ipsum benefacere quid sit, idem ipse præscribit: Præstare auxilium depressis & laborantibus, impertiri victum non habentibus. Deus enim, quoniam pius est, animal nos voluit esse sociale. Atq; in aliis hominibus nos ipsos cogitare debemus: non meremur in periculo liberari, si non succurrimus, non meremur auxilium, si negamus. Apud Ciceron. *5. de finib.* Cato inquit, *Ut perspicuum est natura nos à dolore abhorrere, sic apparet à natura ipsa impelli ut eos quos genuerimus, amemus. Ex hoc nascitur, ut etiam communis hominum inter homines naturalis sit commendatio, ut oporteat hominem ab homine, ob idipsum quod homo sit, non alienum videri, &c.* Iureconsultus inquit, *cum inter nos cognationem quandam natura constituerit, consequens est hominem homini insidiari nefas esse. l. ut vim. 3. D. de*

 Iust.

Digitized by Google

Iust. & jure. Reprobamus itaq; cum Cicerone *4. de finib.* diram illam & inhumanam Stoicorum indolentiam, qui crudeli & absurdo proposito statuebant nec suis propriis nec aliorum doloribus angi. Plut. *in consolat. ad Apollon. Ex morte filij dolorem ægritudinemq; animi concipere, res est talis quæ à naturali profecta principio non sit in nostra voluntatis sita libertate. Non enim eos probo, qui feram quandam laudibus ferunt duramq; indolentiam, quæ neq; contingere nobis potest, neq; ut posse fingas, commodatura nobis esset, abolitura enim erat, quam conservari maxime oportet, quæ ex amore ultrò citroq; existit, benevolentiam.* Et mox: *Optandum est, inquit Crantor Academicus, ne ægrotemus, sed si in morbo simus, sensus ejus aliquis adesse debet, sive secetur pars nostri aliqua, sive avellatur. Indolentia enim illa non sine magna jactura homini potest parari: quippe necesse est, ut ibi corpus, ita hic animum planè efferatum esse. Postulat itaq; ratio, ut qui sanâ sunt mente, in talibus casibus neque nullos neque nimios animi motus sentiant: quorum alterum est duri & feri, alterum dissoluti effœminatiq; animi.* Et ita est profectò, ut oporteat humanitatem exuisse & infra beluas degenerasse, qui nullâ commiseratione tangitur. Crudelis ergo opinio Stoicorum, absurda, & contra naturam, qui putant nos nostros & aliorum dolores sine angore animi ferre vel expectare posse, quod amori & humanitati est impossibile, ut etiam August. *de Civ. Dei lib. 19. cap. 8.* docuit. Ut Christus etiam eos amat, à quibus odio habetur, pro illis erat & moritur; & ut Moses ac Paulus mori

mori optant pro salute inimicorum suorum: ita nos decet dolore aliorum angi, & odisse id, quod aliis male facit, quodve exitii illorum causa est, siquidem juxta mandatum Dei & exemplum Christi, proximum nostrum sicut nos ipsos diligere & eorum injurias nostras putare volumus. Hæc in genere, de officio hominis erga hominem jure naturali requisito, dicta sint. Exhibetur autem humanitas & naturalis affectio variis modis, qui specialibus appellationibus distingvi, aut si speciale nomen non habeant, officia humanitatis, charitatis, vel humana, solent vocari. Effectuum seu specierum humanitatis nulla homini cum brutis communis esse potest, quia negato genere tolluntur omnes species, & effectus sine efficiente existere nequit. De illis capite sequenti videamus.



Speciales effectus humanitatis, seu naturalis affectionis humanæ.

CAP. V.

AFfectionis humanæ & mutui amoris primus effectus est SOCIETAS, cujus commendatio & dulcedo est naturalis. Aristot. *in polit.* docuit omnes humanas societates secundùm naturam esse, & Iureconsultus *l. 2. vers. ult. D. de legib.* ait hominem naturâ esse animal civile, quod item *l. 1. & omnibus ferè sequ. D. de Iust. & ju-* *9. Societas & naturalis.*

Digitized by Google

& jure, item multis aliis legib. evinci poteſt. vide Cic. *in Lælio*, qui putat ipſam vitam, beatitudinem, & ſcientiam omnium rerum triſtem ac injucundam fore ſine ſocietate & amicitia. Nihil nos movent μισάνθρωποι, (ſi quiſquam eſt, qui nullo humanæ ſocietatis deſiderio tangi poſsit) nam homines naturales appetitus ſupprimere & beluis ſe depravatiores exhibere, non tamen naturalem veritatem tollere poſſunt. Nulla etiam rationabilis ſocietas eſt in brutis, ut ex prædictis licet intelligere.

10. Conjugium eſt juris naturæ. Ex ſocietatibus naturalibus & tempore & naturâ prior extitit ſocietas maris & fœminæ, quæ etiam vi rationis & amoris omnes ſuperare videtur. Eſt itaq; decimò juris naturalis CONIUGIUM, *Mat. 5. v. 27.* quod & ante lapſum iniit Adam, *Gen. 2.* Quod quidam putant, ſapientis eſſe ab uxoribus abſtinere, per accidens verum eſſe poteſt, nempe tempore belli, peſtis vel alterius perſecutionis, *1. Cor. 7.* & accipiendum eſt ut nobis à concubitu aliquantùm temperemus & caſtiùs vivamus, non ut ipſam ſocietatem fœminarum fugiamus. Cato *ap. Cic. 3. de finib.* ex ſententia Stoicorum inquit, *Cum ad tuendos conſervandosq; homines hominem natum eſſe videamus, conſentaneum eſt huic naturæ, ut ſapiens velit gerere & adminiſtrare rempublicam: atq;, ut è natura vivat, uxorem adjungere, & velle ex ea liberos procreare. Ne amores quidem ſanctos à ſapiente alienos eſſe arbitrantur.* *Quid ſit conjugium.* Eſt autem ſocietas maris & fœminæ, quam ſpeciali ſuo nomine conjugium appellamus, maris

maris & fœminæ conjunctio, non libidinis exercendæ causa, neque etiam cohabitationis & procreandæ sobolis gratia tantum facta: sed quæ fit pio & casto affectu, quo quis conjugem, ut condominam, in individuam divini humaniq; juris societatem recipit, illiq; omnia charitatis officia quæ ab animo & corpore proficisci possunt, promittit. In omnibus humanis societatibus primò spectatur animus: sed conjugalis in eo superat reliquas societates, quod continet singularem communionem corporis. Aliæ societates constant naturæ humanæ communione, mutuo affectu, amicitiâ, beneficiis, & gratitudine: hæc omnia insunt societati conjugali & in ea spectantur: sed præter hæc omnia præstatur in ea communio & commixtio sangvinis, qualis in nulla alia est societate. Utraq; pars homini essentialis est, anima & corpus: & licet animus in omnibus præstet, tamen utraq; aliquid confert rebus humanis. Ut animus corporis, ita econtrà corpus animi vitia & dolores auget, virtutes & gaudia complet. Quod considerans Adam, putabat affectionem conjugalem posse superare amorem liberorum erga parentes *Gen. 2. v. 24. Mat. 19 v. 6. Eph. 5. v. 31.* Videmus itaq; quid faciat conjugium, nempe animus seu consensus: quid compleat, nempe corpus seu cohabitatio, cujus pars est concubitus. Sed nec omnis consensus, nec omnis concubitus facit conjugium, videamus ergo de qua animorum & corporum conjunctione verba

 fiant.

fiant. De violenta subactione nemo dubitat, quin matrimonium facere non possit, nullus enim ibi adest consensus. Consensus verò in concubitum, vel est ob libidinem tantùm, vel ob procreationem sobolis, vel ob conjugale officium. Si illi, qui ob solam libidinem, vel etiam ob procreandam prolem tantùm in concubitum consentiunt, haberent conjugium, etiam beluæ, & prostibula quæ se ultrò subjiciunt, & concubinæ essent conjuges. Et, si cohabitationis tempus quid ad rem faceret, diceremus etiam beluas & concubinas per aliquot annos cohabitare & se propagare posse, ergò habere conjugium. Atqui hoc falsum est, nam concubitus, voluntas procreandæ sobolis, & durabilis quædam cohabitatio, etiam in vaga libidine, in adulteriis & incestubus esse possunt. Conjugium verò contrahi potest etiam sine spe concubitus, ut si mulier nuberet alicui, de quo constaret, illum ad concubitum esse ineptum: etiam sine spe prolis, ut si quis vetulam expartam, vel quam sterilem esse sciret, duceret, (quemadmodum videmus sæpè matrimonium contrahi cum persona decrepita, morbida & semimortua) hic nihilo minus conjugium est, propter pium affectum contrahentium & singularem benevolentiæ, communicationis omnium rerum, & cohabitationis consensum. Et hic est ille consensus qui nuptias facit, *l. nuptias. 30. D. de reg. jur.* nempe consensus singularis amicitiæ, in qua sit pia, perpetu[illegible] & plena com-

communicatio animi, corporis, & bonorum: quando contrahentes spondent, se omnia divina & humana jura, religionem, animam, vitam, corpus, sangvinem, bona fortunæ, & quicquid possint, commune habere, atq; (ut summatim verbis Adami complectar omnia) tanquam *una caro* & unus homo facti fuerint, in posterum vivere velle. Talem societatem maris & fœminæ plenum & perfectum conjugium appelles, in qua inest etiam concubitus, non ut in scortatione, ob libidinem, (qui finis nullius juris, sed ex corruptione naturæ & bestiali commixtione pejor est) nec ut in concubinatu, ob procreationem sobolis tantùm, (qui finis concubitus homini cum brutis communis esse videtur) sed & ob procreationem sobolis, & ob amicitiæ fœdus, & ob ardentissimum animi & corporis conjugati amorem. Hæc omnia complectimur cum dicimus, concubitum in matrimonio esse ex officio conjugali: intelligimus enim quod fiat ex amore, homine pio & modesto digno, in gratiam & memoriam fœderis conjugalis, & ob sobolis procreationem. Sunt autem conjugia quædam incompleta seu imperfecta, quibus particula quædam conjugalis communionis desit, & tamen nihilominus possunt esse conjugia, propter ipsa essentialia & principalia fœderis, quæ manent. Ut si fortè concubitus non sequatur, aut aliquis conjugum longè absit, hic desit tantùm illa particula conjugalis amicitiæ, quæ corporis præ-

Digitized by Google

præsentiâ & commixtione exhiberi potest: item si conjuges paciscantur, non omnia bona fore communia, ut sæpè fit in pactis dotalibus. Modestinus *l. 1. D. de ritu*, definit nuptias, quod sint *conjunctio maris & fœminæ & consortium omnis vitæ: divini & humani juris communicatio*. Concubitus, prolis, & dotis specialem mentionem, ut non debuit, ita haud dubiè nec voluit facere, quod sciret conjugia sine concubitu, prole, & dote posse subsistere. Concubitus solus, facit corporis communicationem: cui si accedat consensus cohabitationis, efficit concubinatum: at conjugium pleniorem consensum requirit & amorem abundantiorem, ut supra indicavimus. Rara quidem sine concubitu matrimonia sunt, nam illa communicatio corporis pars amoris est, attamen concubitus non est causa formalis & finalis conjugii, ut vulgus opinatur, sed coincidens, proles verò ejusdem est fructus.

Bruta non habere conjugium.

Cum itaq; talis affectio, quæ conjugii nomine digna sit, in solos cadat homines, nec formale aut finale conjugalis consensus in brutis dari possit, refero conjugium ad legis *1. D. de Just. & jure §.* ultimum, in quo, ut supra diximus, Ulpianus jus homini *naturale* vocat jus *gentium*, non ad vers. præcedentem, in quo, ut item superiùs ostendimus, de jure naturali humano non agitur, sed tantùm de impulsu naturæ elementaris. Bruta non consentiunt ratione in conjugii jura, sed naturâ incitantur ad com-

mixti-

Digitized by Google

mixtionem corporum,ut ſeſe propagent, commixtio ergo eſt finis ſocietatis illorum, quem homines extra conjugium aſſequi poſſunt. Conſenſum verò, ne talem quidem in brutis reperies,qui concubinatum efficere poſsit,tantum abeſt, ut venerabile conjugii nomen illorum ſocietati largiamur. Nec verum eſt quod quidam putant, nos natura cum brutis communi ad conjugium impelli: nam ea natura incitat tantum ad commixtionem ſeu concubitum, ad conjugium verò incitamur pietate, ratione & amore. Multò minus concedo quod Pet. Faber *2. ſemeſt. 1.* putat Æthiopes,qui matrimoniorum exſortes promiſcuè cum mulieribus conſueverunt, *Diod. Sicul. lib. 3. bibl. Plin. nat. hiſt. lib. 5. cap. 8. Pomp. Mela. de ſitu orb. lib. 1. in deſcript. Cyrenaica.* jure naturali humano uſos eſſe, ſed uſi ſunt jure beſtiali, prout etiam tanquam *degeneres humani ritus* à Plinio deſcribuntur: Si jure aliquo humano uſi fuiſſent, id rationi & honeſtati fuiſſet conſonum. Opinantur alii, ſe nobis uxorum communionem perſuadere poſſe, quod ſit ſecundùm naturam: at quæ inhoneſta & rationi contraria ſunt, quæ amicitiæ vinculum ſolvunt & fœdus ſocietatis tollunt, non ſunt ſecundùm humanam naturam, imò vix brutis conveniunt, ſed ſunt juxta naturam legis peccati, quæ ſola confuſionem amat, libidinem, impudentiam,& altercationes. Iniquè nobiſcum agunt, qui ex vita depravatorum hominum evincere volunt conjugium etiam inter

bruta

Digitized by Google

bruta animantia esse: conferendus est homo, qui verè homo est, brutis, non ex corruptorum erroribus jus & rationem hominum definire oportet. Quid ergò illis in mentem venit, qui nobis persuadere volunt, conjugium hominibus & brutis esse commune? aut qui putant Ulpianum *in l. 1. §. jus naturale*, *D. de Iust. & jure*, ubi appellationes & exempla juris naturalis humani & communis miscuit, conjugium in brutis agnovisse? Qui nec omnem hominum concubitum conjugii titulo dignatus est, *l. si qua. 12. l. palàm. 43. D. de ritu. l si uxor. 13. D. ad l. Iul. de adult.* an ille conjugium in omnibus brutis, piscibus, & insectis statuisset? Iureconsultus ibi ostendere vult, nos in natura cum brutis communi aptitudinem, inclinationem & quasi præparationem quandam habere ad jus rationabile; ipsos verò rationis effectus brutis nunquam attribuit. Hæc in honorem conjugii paulò fusiùs, contra errores qui in hac quotidiana materia nimis frequentes occurrunt, inculcare placuit; de reliquis breviùs agemus.

11. *Castitas est juris naturæ.* Vndecimò juris naturæ est *castitas* & conjugii honor, *Mat. 5. v. 27. & seq.* ut videmus Adamum, *Gen. 2.* luce rationis edoctum fateri, maritum debere suæ uxori adhærere. Pertinet hûc liber 2. Cic. *de finib.* quo Epicureorum opinionem impugnat, & omnem inhonestam libidinem aut voluptatem contra naturam esse docet. Epicurus ipse castitatem probavit, & inhonestas fœdasq; libidines damnavit, ut infrà dicemus.

Digitized by Google

mus. Ergò qui conjugium dehonestant, aut corpus suum aliqua inhonestâ & turpi libidine polluunt, vel etiam qui animum libidine prurientem gerunt *Mat. 5. v. 28.* contra jus naturale faciunt. Abeant, qui nobis vagas libidines pro jure naturali venditare volunt: hominis est cum ratione vivere, ratione regi, non beluis impudentiorem esse.

Est etiam juris naturalis effectus *amor honesti*, ut naturaliter nos pudeat & pigeat, inhonestum quid commisisse, ut *l. adoptivus. 14. §. serviles. D. de ritu* dicitur, *in contrahendis matrimoniis naturale jus & pudor inspiciendus est: contra pudorem est autem, filiam uxorem suam ducere.* & ideò veneratione affinitatis privignam aut nurum ducere vetamur, *§. affinitatis. Inst. de nupt.* Est etiam in brutis inclinatio quædam ad honestatem, ut supra *lib. 2. cap. 4.* docuimus, omne jus jubere honestum, & honesti appetitum in omni natura conspici: sed honestas se latiùs extendit quàm ad illam umbram brutorum. Unde Cic. *4. de finib.* ait, *Hoc solum animal natum est pudoris ac verecundiæ particeps, appetensq; conjunctionem hominum, animadvertensq; in omnibus rebus, quas ageret aut diceret, ne quid ab eo fieret, nisi honestè & decorè.* Ideò Imper. *d. tit. Instit. de nupt.* dicit, nos naturali pudore prohiberi à nuptiis adoptivarum matrum, sororum, & filiarum: solaq; affinitatis ratione quasdam ducere non posse. Talis honestas & pudor in natura brutorum non est. Ex hoc naturali inhonesti pudore nascuntur obli-

12. *Honestas.*

obligationum naturalium solutiones, cum viri boni, licet sciant se jure civili ad solutionem cogi non posse, & non iniquas exceptiones habere, tamen ultrò solvunt, ne alienum quid penes se retinuisse videantur. *l. venditor. 13. D. commun. præd. l. frater à fratre. D. de condict. indeb. l. bona fides D. Depositi.* Proficiscuntur hinc donationes, cum petentibus non facile denegamus, aut repulsi rubore perfundimur: hinc solutiones quas pro aliis facimus. *l. 22. l. 40. l. 53. D. de solut.* & quod nos pudet si quid inhoneste fecimus aut locuti sumus, etsi nemo interfuerit.

13. *Educatio liberorum & juniorum.*

Decimus & tertius juris naturalis effectus est *educatio liberorum.* De amore supra diximus, hîc de educatione ipsa loquimur. Habet ea imitationem quandam in brutis. *l. 1. §. jus naturale. D. de just. & jure*, sed tamen hominum propria est. Non enim liberorum educatio in illa externa particula consistit, quam beluæ aliquo modo imitantur, sed nomine liberorum comprehenduntur nepotes, pronepotes, *l. liberorum. D. de verb. sign. l. Iurisconsultus. §. parentes. D. de gradib.* agnati, ut fratrum & sororum liberi. *l. 39. D. de ritu*, item amicorum & concivium filii, & tandem omnes juniores qui nostro auxilio egent, expósititii, parentibus orbi, & similes; hisce jure naturali paterna officia pro viribus præstare tenemur. Ipsum verò educationis officium non eo constat, ut fœtus matribus, usq; dum ipsi sibi victum quærere possint, cohabitent, quemadmodum apud beluas fit, sed ut

juni-

juniores monitionibus & exemplis nostris ad pietatem & honestatem informemus, illorum mores fingamus, virtutes excitemus, & veros homines ex iis efficere studeamus. Hæc est humana educatio, cujus nihil in brutis, nisi minimæ & ignobilioris particulæ in prima nutritione quædam imitatio. Cic. *3. de finib. Ut perspicuum est nos natura à dolore abhorrere, sic apparet à natura ipsa impelli, ut eos quos genuerimus, amemus.* Et *2. de finib. Ratio facit hominem hominum appetentem, cumq; his natura, & sermone, & usu congruentem, ut profectus à charitate domesticorum ac suorum currat longius, & se implicet primum civium, deinde omnium mortalium societati.* Iureconsultus educationem inter humana jura posuit *l. veluti. D. de Iust. & jure.* nam quò pertinet parentibus parêre & educari, eò etiam educare & paterno officio fungi. *v. l. 1. §. taceat. C. de rei ux. act. l. si quis. 5. D. de agnosc. & al. lib.*

Ex iisdem argumentis liquere arbitror amorem parentum esse naturalem. *l. 2. D. de just. & jure.* Parentes intelligimus masculos & fœminas, primo & ulteriori gradu nobis cognatos. *l. 1. 2. & 3. D. de gradib. l. 5. D. de agnosc. & al. lib.* Civiles parentes privatos, qui vocantur parentes adoptivi, & publicos, qui magistratus vocari solent, jus naturale ignorat: & tamen eos naturaliter colimus, non ut parentes, sed ut seniores & benè meritos amicos. 14. *Amor parentum.*

Est item juris naturalis respectus seniorum & præceptorum, nam illi paternè nobis consulunt, 15. *Amor eorum qui parentum loco sunt.*

sulunt, & ætatis autoritate nos ad venerationem commovent. Cic. vocat *observantiam*, quam *lib. 2. de invent.* definit *per quam ætate, aut sapientiâ, aut honore, aut aliqua dignitate antecedentes reveremur & colimus.* Hæc omnia naturaliter accipienda, nam observantia quæ ex civili autoritate oritur quatenus in civili cultu consistit civilis est. Venerationem senectutis legislatores semper præcipiunt, ut *l. 5. D. de Iure immunit. Semper in civitate nostra senectus venerabilis fuit: nam majores nostri penè eundem honorem senibus, quem magistratibus, tribuebant.* Iuven. *sat. 3.*

Credebant hoc grande nefas & morte piandum
Si juvenis vetulo non assurrexerat.

Sic & Lycurgus senes honorare præcepit *Plut. in Lacon. instit. & in Lycurgo*, quod & Paulus facit, *1. Tim. 5.* & Moses, *Levit. 19. v. 32.* Sic jubemur professores honorare, *l. 1. D. de extraord. cognit.* & consiliarios principum. *§ filiusf. 4. Instit. quib. mod. jus pat. pot. toll.* quia naturaliter benè affecti sumus erga eos, qui nobis benè faciunt.

16. Amor patriæ. Sextus & decimus juris naturæ fructus est amor patriæ. *l. 2. D. de just. & jure.* Patria duplex est, naturalis vel civilis, ut Cic. *2. de legib.* inquit, *Ego mehercule omnibus municipibus duas esse censeo patrias, unam naturæ, alteram civitatis, ut Cato, cum esset Tusculi natus, in populi Rom. civitatem susceptus est. Itaq; cum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris.* & paulò post, *nos illam patriam dicimus, ubi nati, & illam qua excepti sumus.* Iureconsulti patriam distinguunt

Digitized by Google

guunt in propriam & communem. *l. si duas. 6. §. 11. D. de excusat. l. Roma. 33. D. ad municip.* Est itaq; juris naturæ amor patriæ naturalis, quia naturaliter diligimus loca in quibus nati & educati sumus. Civilis verò patria amatur à nobis duplici modo, primo civiliter eo desiderio, quo optamus & amplectimur salutem civilis societatis: deinde etiam naturaliter ex gratitudine, ob benemerita quæ in nos contulit. Patria porrò, non tantum locum denotat sed & incolas, quapropter mens nostra hæc est, quod naturaliter singulari quadam affectione moveamur erga illos, in quorum sinu & amplexibus nati & educati sumus; quia videntur nos quasi speciali sangvinis & amicitiæ jure præ reliquis hominibus sibi obstringere. Quod si intimam mentem juris naturæ inspicimus, naturaliter amamus talem habitationem qualem homo habebat ante lapsum, & nos in altera vita sumus habituri, quia ea nostræ naturæ est convenientissima, corpori & animo jucundissima. Sympatriotæ verò seu concives & familiares nostri, à Deo nobis ad vitam secundùm jus naturæ degendam destinati, erant Deus ipse, sancti angeli & justi homines. Hæc est vera patria quam naturaliter amamus, à Deo nobis in initio temporis data *Gen. 2.* & in fine ejusdem reddenda, *Eb. 5. v. 20. Ap. 21.* Beluæ amant loca in quibus nata sunt, quamdiu meliora non norunt: incolarum verò, & animalium eodem ex sangvine secum natorũ, nullo tanguntur desiderio.

Digitized by Google

Decimò & ſeptimò juris naturæ eſt gratitudo: Cic. *2. de invent.* vocat *gratiam*, eamque deſcribit, *quæ in memoria & remuneratione officiorum, & honorum, & amicitiarum obſervantiam tenet.* Ulp. *l. ſed etſi. 25. §. conſuluit D. de hæred. petit.* inquit, *nos naturaliter ad gratitudinē obligari.* Theoph. *Inſtit. de jure nat.* ait ex jure naturæ debitorem gratum eſſe debere illi, cujus beneficio in rebus anguſtis ſit ſublevatus. Iura noſtra ingratos, quia contra jus naturale peccant, juris naturalis beneficiis indignos judicant: pater non cogitur alere filium ingratum. *l. ſi quis. 2. §. idem judex. 11. D. de lib. agnoſc.* ingratitudo eſt cauſa exhæredationis, revocandæ emancipationis, donationis, manumiſsionis &c. quam & Perſæ graviter puniebant, *Xenoph. lib. 1. Cyrip.* Deus ipſe revocat donationem ſuam ob ingratitudinem, contra confratrem commiſſam, *Mat. 18. v. 33.* quia talis injuria ad Deum, communem patrem noſtrū pertinet, & conditio non adimpletur, quando tàm inhumani ſumus contra alios homines. Donat & condonat Deus omnia eâ conditione, ut hominibus viciſsim amorem exhibeamus; remittit ſi remittimus, amat ſi amamus. Quando verò id non fit, ingrati ſumus erga donatorem, & conditionem accepti beneficii non implemus. Ergo vindicat Deus injurias liberorum ſuorum, quia filiorum injuriæ parentibus præbent actionem: quò pertinet, quod Plut. *de frat. amore* docet, parentibus acerbiſsimam injuriam fieri ſi liberi ſeſe mutuò offendant. Eſt

in brutis quędam gratitudinis imitatio, ut Plin. *lib. 8 cap. 16* Gell. *lib. 5. cap. 4.* de leonibus testantur, & de ciconiis elephantisq; nonnulla à Plin. *lib. 8* annotantur. Veruntamen bruta quatenus & cui gratia habenda sit ignorant, solo sensu oculorum adsuescunt illi, à quo boni quid acceperunt. Utrum verò ille ultrò, an jussu alterius, & quo fine ipsis profuerit, dijudicare non possunt: vera ergo gratitudo in brutis esse nequit.

Decimo octavò juris naturæ est æqualitas omnium hominum, puta quoad statum. Ius naturæ omnes uno nomine appellat homines, & dignitatis inæqualitatem ignorat. *l. 3. & 4. D. de Iust. & jure.* Cogitat enim nos natura cognatos, ab eodem primo homine omnes oriundos esse. Hûc referendum est quod Christus *Mat. 18. v. 8. Ioh. 13.* monet, ne nos aliis superbè præferamus, sed humiliemus potiùs, & cogitemus omnes nos unius patris esse filios. *18. Æqualitas status.*

Naturale jus præcipit etiam libertatem. *l. libertas. D. de statu hom. d. l. 4. D. de just. & jure.* Hanc nonnulli homini cum brutis communem putarunt, *ex l. quod enim 3. §. ult. l. naturalem. 5. in princ. D. de acq. rer. dom.* Sed alio modo beluæ dicuntur liberæ, nempe quod corpore non sunt captæ, alio modo libertas prædicatur de homine, videlicet quod sit sui juris. Potest homo in vinculis jacere, qui tamen sit liber, vel liberè circumvagari, cum tamen sit servus. Ad libertatem naturalem spectat, quod naturâ nullæ aliæ *19. Libertas.*

Digitized by Google

feruntur hominibus leges, nisi quas ipsa natura cuiq; ingenerat. Et si ex præscripto juris naturæ viveremus, nullis aliis opus foret constitutionibus, essemus enim justi & perfecti. At justo lex non ponitur, quia non opus est: jura metu mali inventa sunt. Itaq; Ovid. *1. Metam. fab.3.* ait, in aureo seculo nullas leges latas fuisse, quia homines jure naturali fuerint contenti:

Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo
Sponte sua sine lege fidem rectumq; colebat.
Pœna metusq; aberant, nec vincla minacia collo
Ære ligabantur, nec supplex turba timebat
Judicis ora sui, sed erant sine judice tuti.

Et *1. fastor.*

Proq; metu populum sine vi pudor ipse regebat,
Nullius erat justis reddere jura labor.

Atq; ex hisce intelligi potest quid à nobis in societate humana postulet jus naturæ. Sed & de vero bonorum usu nos informat ratio, de quo pauca subjiciemus.

Præcepta juris naturalis externa bona potissimùm attingentia.

CAP. VI.

20. Verus bonorum usus. AD res externas & bona quod attinet, jubeamur & illis uti frui pro ut ratio & amor postulat. Est itaq; juris naturæ temperantia & sobrietas, ne nos ipsos dementemus, donis

Dei

Digitized by Google

Dei abutamur, nostra ingluvie annonæ caritatem promoveamus, aut scandalum præbeamus: *arg. l. 10. §. juris præcepta. D. de Iust. & jure.*

Item ad jus naturæ pertinet Pax, *arg. l. 3. & 5. D. de just. & jure. Mat. 5. v. 5. 9. 22.* ne altercemur de rebus, neve alteri quid eripiamus, vel ut *Exod. 20. v. 17.* præcipitur, ne concupiscamus quæ alterius sunt. Bella ex hominum avaritia & invidia nasci solent, at hæc abominatur amor. Poëtæ dicunt in aureo seculo, cum virtutes adhuc cohabitarent hominibus, nulla bella fuisse, sed omnes secura in pace vixisse. Ovid. *1. Metam:* *21. Pax est juris naturæ.*

Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galea, non ensis erat: sine militis usu
Mollia secura peragebant otia gentes.

Virg. *8. Æneid.* de Saturni & Iovis seculo:

Aureaq; , ut perhibent, illo sub rege fuêre
Secula, sic placida populos in pace regebat:
Deterior donec paulatim & decolor ætas,
Et belli rabies, & amor successit habendi.

Seneca *in Octav.*

tenente regna Saturno poli
Tunc illa virgo numinis magni, Dea
Iustitia, cœlo missa, cum sancta Fide
Terras regebat mitis: humanum genus
Non bella norat, non tubæ fremitus truces,
Non arma: gentes cingere assueverant suas
Muris nec urbes, perviam cunctis iter,
Communis usus omnium rerum fuit.
Et ipsa tellus læta, fœcundos sinus

Digitized by Google

Pandebat ultrò: tam piis felix parens
Et tuta alumnis.

21. Liberalitas. Tandem juris naturæ est bonorum communio. *l. ex hoc jure. D. de Iust. & jure. Mat. 5. v. 42. & 6. v. 3. 19. & seq.* Intelligimus autem per bonorum communionem, non conturbationem & confusionem omnium rerum, (ab ea enim naturaliter abhorremus) sed liberalitatem, seu amicam & humanam communicationem, earum rerum quæ piè, honestè ac decenter peti ac communicari possunt. Ius naturale prius omne meum & tuum non tollit, & si homines in statu innocentiæ hoc solo jure usi fuissent, non potuissent ita vivere, ut à nemine quicquam occuparetur: ipsa communium bonorum apprehensio & usurpatio effecisset meum & tuum. Liberalitatem ergo intelligimus juris naturæ esse, ne putemus nobis solis conditum esse mundum, sed cogitemus nos omnes esse liberos unius patris, & habitationem mundi nobis datam esse, ut ejus fructibus omnes fruamur. Est autem humanitatis & amicitiæ, ut Cic. *in Lelio* docuit, amico nihil invidere, nihil ab eo petere, quod non possit cum gratia dantis impetrari, quod amico inhonestum, noxium, damnosum aut ullo modo molestum esse possit, non optare: quod verò piè, honestè & utiliter communicari possit, amico non denegare, nec semper petitionem ejus expectare, sed ultrò offerre. Talem intelligimus bonorum communionem, non confusionem omnium

rerum

Digitized by Google

rerum inhonestam & absurdam. Nam ut fœda uxorum communio non est juris rationalis, sed bestialis, ita etiam contrectatio rei alicujus, quæ invidiosè, inhonestè vel impiè fit, non est humani juris, sed ex lege peccati. vide hûc Lactant. *lib. 6. instit. cap. 10. 11. & 12.* ubi eruditè explicat quomodo bonis in commune sit utendum. Virg. *1. Georg.* bonorum communionem aureo seculo attribuit, cum inquit:

Ante Iovem nulli subigebant arva coloni:
Nec signare quidem aut partiri limite campum
Fas erat. in medium quærebant, ipsaq; tellus
Omnia liberius nullo poscente ferebat.

Et tandem omnes virtutes.

Possent juris naturalis plures enumerari species, sed hasce abundè sufficere arbitror, ut naturalia à præceptis juris gentium & civilibus distinguere possimus. Observemus modò generale κριτήριον, juris naturalis prioris esse, quicquid per se bonum, expetibile & naturæ conveniens est, quodq; citra lapsum in vita humana fuisset. Plura qui volet Theologorum explicationes legis moralis, Aristotelis Ethica, Ciceronis libros *de finib. de offic. & de amicitia* evolvat. Omnes enim virtutes, quas theologi in explicatione juris moralis, philosophi in ethicis, docent ac requirunt, ad jus naturale pertinent: rationes autem & modi, quibus illæ inviolatæ defendantur, pertinent vel ad jus gentium vel ad civile, ut infra videbimus. Poterit etiam obiter observari cognatio Iurisprudentiæ cum ethica & doctrina legis theologica,

quæ in juris naturalis explicatione omnes occupantur: atque inde Iurisconsulto necessaria est cognitio ethicæ & theologiæ, quod Ulpian. *l. 1. §. 1. & l. 10. D. de Iust. & jure* voluit indicare.



Jura naturalia omnes homines obligare & à Deo sancita esse.

CAP. VII.

Lex naturæ obligat omnes homines.

IUs humanum naturale, ut ipsa docet appellatio, pertinet ad omnes qui homines sunt vel humanam naturam habent, quapropter neminem ab eo, quisquis ille sit, excludimus. Cum ergò quæritur, an majestas (humanam intelligimus) sit subjecta legibus? de legibus naturæ dubitandum non est, cum respectu Dei & naturæ omnes simus æquales, & civilia veritatem naturalem tollere non possint. Obligat itaq; omnes lex naturalis, idq; à tempore conditæ naturæ humanæ, quia non in monte Sinai primum nata, sed primo homini simul cum anima inspirata est, unde sequitur ab illo tempore & ipsum, & omnes ejus posteros, eâdem naturæ lege obligatos fuisse. Si in monte sacro primum adinventa fuisset, ante promulgationem decalogi homines nec rationem, nec ullam legem habuissent, contra quam potuissent peccare, & post ejus publicationem tantum ad Israëlitas pertineret. At sacræ literæ & ipsa

Ab initio naturæ humanæ.

ipsa ratio evincunt, non potuisse primos homines sine lege rationis vivere. Quamvis itaque nostri majores promulgationi decalogi, quæ in monte Sinai facta est *Exod. 20.* non interfuerint, eadem tamen lex naturalis, quæ ibi repetita fuit, ad nos omnes pertinet. Et hoc est quod Paulus *Rom. 1. 2. 3.* docet, perinde esse sive nobis recitata sit lex Mosaica sive non, eandem legem naturaliter omnibus notam esse: eâ tàm ethnicos quàm Iudæos obstringi: omnes sub una lege esse: unâ lege omnium ora obstrui, totumque mundum coram Deo reum fieri. *v. Philon. de vita Mosis. lib. 2.* Solennis autem illa proclamatio & descriptio legis à Deo cur facta sit, idem indicat *cap. 2. v. 20.* nempe ut ecclesia haberet *τὴν μόρφωσιν τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας ἐν τῷ νόμῳ formam scientiæ & veritatis in lege.* Voluit Deus hunc lapidem Lydium dare cœtui suo, ut pii suos errores citiùs agnoscerent, & seipsos in agnitione veritatis confirmarent.

Si ipsa lex moralis ad omnes spectat, ergò etiam ejus sanctio, quæ extat *Exod. 20. v. 5. Ego sum Dominus Deus tuus, Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* Hæc est sanctio legis moralis, non civilis, sed naturalis, quam & ipsa naturalis ratio monstrat, & quotidianis exemplis inculcat. Licet enim cuique intelligere eos qui nec Deum amant nec homines, à Deo & hominibus redamari *Sanctio legis naturalis.*

quæ in juris naturalis explicatione omnes occupantur: atque inde Iurisconsulto necessaria est cognitio ethicæ & theologiæ, quod Ulpian. *l. 1. §. 1. & l. 10. D. de Iust. & jure* voluit indicare.



Jura naturalia omnes homines obligare & à Deo sancita esse.

Cap. VII.

Lex naturæ obligat omnes homines.

IUs humanum naturale, ut ipsa docet appellatio, pertinet ad omnes qui homines sunt vel humanam naturam habent, quapropter neminem ab eo, quisquis ille sit, excludimus. Cum ergò quæritur, an majestas (humanam intelligimus) sit subjecta legibus? de legibus naturæ dubitandum non est, cum respectu Dei & naturæ omnes simus æquales, & civilia veritatem naturalem tollere non posſint. Obligat itaq; omnes lex naturalis, idq; à tempore conditæ naturæ humanæ, quia non in monte Sinai primum nata, sed primo homini simul cum anima inspirata est, unde sequitur ab illo tempore & ipsum, & omnes posteros, eâdem naturæ lege obligatos fuisse. Si in monte sacro primum adinventa fuisset, ante promulgationem decalogi homines nec rationem, nec ullam legem habuissent, contra quam potuissent peccare, & post ejus publicationem tantum ad Israëlitas pertineret. At sacræ literæ & ipsa

Ab initio naturæ humanæ.

ipsa ratio evincunt, non potuisse primos homines sine lege rationis vivere. Quamvis itaque nostri majores promulgationi decalogi, quæ in monte Sinai facta est *Exod. 20.* non interfuerint, eadem tamen lex naturalis, quæ ibi repetita fuit, ad nos omnes pertinet. Et hoc est quod Paulus *Rom. 1. 2. 3.* docet, perinde esse sive nobis recitata sit lex Mosaica sive non, eandem legem naturaliter omnibus notam esse: eâ tàm ethnicos quàm Iudæos obstringi: omnes sub una lege esse: unâ lege omnium ora obstrui, totumque mundum coram Deo reum fieri. *v. Philon. de vita Mosis. lib. 2.* Solennis autem illa proclamatio & descriptio legis à Deo cur facta sit, idem indicat *cap. 2. v. 20.* nempe ut ecclesia haberet τὴν μόρφωσιν τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας ἐν τῷ νόμῳ *formam scientiæ & veritatis in lege.* Voluit Deus hunc lapidem Lydium dare cœtui suo, ut pii suos errores citiùs agnoscerent, & seipsos in agnitione veritatis confirmarent.

Si ipsa lex moralis ad omnes spectat, ergò etiam ejus sanctio, quæ extat *Exod. 20. v. 5. Ego sum Dominus Deus tuus, Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* Hæc est sanctio legis moralis, non civilis, sed naturalis, quam & ipsa naturalis ratio monstrat, & quotidianis exemplis inculcat. Licet enim cuique intelligere eos qui nec Deum amant nec homines, à Deo & hominibus redamari *Sanctio legis naturalis.*

mari non posse, & quidem eò magis odio esse Deo, quò majorem illi honorem, gratitudinem & amorem exhibere debuerant. Qui ergo seipsos excludunt & indignos faciunt pietate, veritate, humanitate, & ut breviter dicam, juris naturæ fructibus, quomodo illis frui possunt? Fruitur quisque eo habitu quem sibi acquirit *Gal. 6. v. 7 8.* pii fruuntur sua pietate, humani humanitate, amantes amore, pacifici pace: è contra morosi fruuntur odio, invidi invidiâ, mendaces mendaciis, & qui Deo inimici sunt ejus inimicitiâ puniuntur. Ideò Xenoph. dicebat *sup. lib. 3. cap. 2.* jura naturalia ita constituta esse, ut pœnam in se continerent, quæ existeret eo ipso, quod homines privarentur utilitate naturalium virtutum. Nam & gentiles viderunt, gravissimas pœnas constitutas esse juris naturæ violatoribus, nec posse quemquam graviùs puniri, quam si consortio bonorum excludatur & tradatur sui similibus, ut fruatur suis vitiis, nempe odio Dei, mendaciis, fraudibus, impudentiâ, invidiâ, rixis pugnisq; & omnibus malis, quæ contra virtutes ac præcepta juris naturæ esse possunt. Quid miserius esse possit, quàm hæc in æterno carcere pati? Ideò etiam Poëta nihil crudelius precatur Tyrannis, quam ut virtutem videant, at suis vitiis extabescant, *Pers. sat. 3.* & qui Plutonis regnum descripserunt, dixêre quemq; ibi exercere artem, quam olim in terra didicerat, eaque frui. *vide Virg. 6. Æneid.*

Qui-

Digitized by Google

Quidam jura naturalia tàm parvi æstimant, ut si vel autoritate suâ ea perrumpere, vel civilium legum abusu circumvenire possint, sibi gratulentur: at cavendũm omnibus sedulò, ne in leges morales impingant, quia severiorem habent judicem quam civiles, & ob majorem delinquentium contumaciam, pœnas multò graviores. Civiles leges non possunt omnia delicta prohibere aut punire, & calumniis fraudibusq; facile possunt eludi: sed cogitandum est, nihil mali posse committi, quod non sit contra jus naturæ, & licet magistratuum pœnis quis elabatur, Deum tamen non posse falli. Cum à Platone quæreretur, an Deus humana curaret, siquidem multis malefacta impunè succederent, inter alia sic respondet: αὕτη τοι δίκη ἐςὶ θεῶν οἳ ὄλυμπον ἔχουσιν, ὦ παῖ καὶ νεανίσκε, ἀμελεῖσθαι δοκῶν ὑπὸ θεῶν. κακίω μὲν γιγνόμενον πρὸς τὰς κακίους ψυχάς, ἀμείνω δὲ πρὸς τὰς ἀμείνους πορευόμενον, ἔν τε ζωῇ καὶ ἐν πᾶσι θανάτοις, πάσχειν τε καὶ ποιεῖν ἃ προσῆκον δρᾶν ἐστι τοῖς προσφερέσι τοὺς προσφερεῖς. ταύτης τῆς δίκης οὔτε σὺ μήποτε, οὔτε εἰ ἄλλος ἀτυχὴς γενόμενος ἐπεύξηται περιγενέσθαι θεῶν· ἣν πασῶν δικῶν διαφερόντως ἔταξάν τε οἱ τάξαντες χρεών τε ἐξευλαβεῖσθαι τὸ παράπαν. οὐ γὰρ ἀμεληθήσῃ ποτὲ ὑπ' αὐτῆς, οὐχ οὕτω σμικρὸς ὢν δύσῃ κατὰ τὸ τῆς γῆς βάθος, οὐδ' ὑψηλὸς γενόμενος, εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναπτήσῃ· τίσεις δὲ αὐτῶν τὴν προσήκουσαν τιμωρίαν, εἴτ' ἐνθάδε μένων, εἴτε καὶ ἐν ᾅδου διαπορευθεὶς, εἴτε καὶ τούτων εἰς ἀγριώτερον ἔτι διακομισθεὶς τόπον. *Hoc Deorum, qui cœlum habitant, ô puer & adolescens qui à Diis negligi putas, judicium est: ut qui pejor sit ad*

In jus naturale non peccandum.

sit ad pejores, qui melior, ad meliores animus, tàm in vita quàm in omni morte proficiscatur, patiaturq; & agat quæ à similibus ad similes fieri oportet. Quare nec tu, nec alius ullus speret confidatq; se adeò felicem fore, ut judicium hoc deorum effugiat atq; exuperet. Nam qui hoc sanxerunt, firmius quàm cætera omnia stabilierunt, ut cavendum omninò sit. Nunquam enim ab illo negligeris, nec si ita parvus sis, ut terra profundum ingrediaris, nec si adeò sublimis fias, ut pennis elatus in cœlum voles: sed convenientia supplicia dabis, sive hic manens, sive ad inferos profectus, sive ad remotiorem aliquem inaccessibilemq; locum translatus. lib. 10. de legib. Et Xenoph. *4. memorab.* δίκην γέ τοι διδόασιν οἱ παραβαίνοντες τοὺς ὑπὸ τῶν θεῶν κειμένους νόμους, ἣν οὐδενὶ τρόπῳ δυνατὸν ἀνθρώπῳ διαφυγεῖν, ὥσπερ τοὺς ὑπ' ἀνθρώπων κειμένους νόμους ἔνιοι παραβαίνοντες διαφεύγουσι τὸ δίκην διδόναι, οἱ μὲν, λανθάνοντες, οἱ δὲ, βιαζόμενοι· *Qui leges divinitus conditas violant, pœnas dant, quas homo nullâ ratione potest effugere, quemadmodum nonnulli, leges latas ab hominibus transgredientes, quo minus pœnas dent, vel latendo, vel vim adhibendo effugiunt.* Hesiod. *in princ. oper.* dicit facile Deum superbos deprimere & pravos punire, & paulò post admonitionem habet ad justitiam exercendam observatione dignam, qua monet contra jus naturæ non esse delinquendum. Ita ergò ethnici quoq; viderunt, sanctionem juris naturæ ad omnes pertinere æqualiter, & omninò periculosissimum esse contra eam peccare. Et notabile est quod quidam theologorum nostrorum docuerunt, etiam Angelos Dei ad obedientiam legis moralis esse obli-

Digitized by Google

obligatos, & illorum quosdam ideò à Deo punitos esse, quod contra legem Dei moralem, h. e. contra Deum ipsum peccarint. Nemo peccat nisi qui contra legem Dei facit, quia ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία. 1. Ioh. 3. v. 4. Si id omnibus probè persuaderi posset, minus altercationum, injuriarum & calumniarum haberemus, & beatissimas nostras resp. experiremur, nam positivæ leges solæ non sufficiunt ad justitiam, & si naturalium fundamento destituantur, facilè degenerant in calumnias & periculosas captiones. Tanti refert jus naturale probè discere & observare, quanti interest in verbis veritatem, in factis fidem præstare. Scientia legum cum despectu juris naturæ conjuncta, est pura malitia, quæ in exercitio fit fraus vel tyrannis. Non esset alienum à nostro studio, de latore naturalium legum & severissimis transgressorum pœnis copiosiùs agere, nam in eo consistit omnis vis & finis jurisprudentiæ, rerumpub. salus, & officium jurisconsulti, ut hominibus persuadeat, ne velint contra jus naturæ delinquere. Quia verò lex Dei nobis quotidiè à theologis acuitur & inculcatur, puto nos eo labore sine cujusquam fraude supersedere, & lectorem ad theologos remittere posse. Oportet verò nos summam juri naturæ conciliare autoritatem, si modò nobis cordi est justitiam docere & discere, non artem litigandi: idq; hoc loco faciendum, cum nullus alius sit in tota

Digitized by Google

tota Iurisprudentia locus, ubi de jure naturæ in genere commodiùs agi posſit.



Jura naturalia eſſe æterna, immutabilia, adeò ut nec à Deo mutari posſint, cum ſint Deus ipſe.

Cap. VIII.

Lex moralis æterna & Deo eſſentialis eſt.

IN recenti memoria fore putamus, quomodo ſuperiùs probaverimus jus naturale ſeu morale eſſe ipſum æquum & bonum: idipſum præcipi ratione humanâ: rationem à Deo datam eſſe: eam cognoſcere legem voluntatis divinæ, ad quam facta ſit: legem verò ac voluntatem Dei, (cum omnia in Deo unum ſint) eſſe ipſam eſſentiam Dei: operæ precium nos facturos arbitror, ſi nunc breviter probaverimus, quemadmodum prima mens non cum homine primum nata ſed ab æterno in Deo eſt, ita nec jus morale cum homine in tempore primum factum, ſed ab æterno eſſentialiter in Deo eſſe, ac proinde prorſùs impoſsibile eſſe, ut mutetur, & periculoſiſsimum, ſi violetur. Et quidem à nonnullis juris oppugnatoribus hodiè eò compellimur, ut jus naturæ, cui jus gentium & civile inædificantur, in Dei eſſentia conſtans ac immutabile eſſe probare cogamur, ſiquidem illi jus in natura nullum eſſe affirmare, & de juſtitia Dei, hoc eſt de Deo ipſo, an ſibi ſemper con-

Digitized by Google

constet, dubitare audent. Probabimus ergò hoc loco jus morale æternum & immutabile esse in essentia Dei, ut eos qui cum jure Deum ipsum negare vel in dubium vocare non metuunt, inferius tantò facilius confutare possimus.

Principiò nemo ignorat, omnia in Deo essentialia esse, & mutationem divinæ essentiæ non dari. Est autem æterna & essentialis voluntas in Deo, quæ vult ac jubet bonum, quod & ipsum est de essentia Dei. Bonum est ipsa vis & mens decalogi seu juris naturæ, ut suprà docuimus: sequitur ergò, Deum ab æterno essentialiter velle id, quod lege naturali jubetur. *Quia est ipsum bonum.*

Deindè id quoq; decantatum est in Ecclesiâ, Deum homini cum anima rationali suam imaginem inspirasse, *Gen.* 2. quam in perfecta agnitione & operatione boni constitisse suprà monuimus. Imago Dei in homine, si non cognovit & probavit idipsum bonum, quod Deo ab æterno placuit, aut vera imago Dei non fuit, aut statuetur mutatio in essentiali voluntate divina, quorum utrumq; falsum. Deus, qui integerrimus, veracissimus, constantissimus, & hominum amantissimus est, nec potuit, nec voluit voluntatem & justitiam suam homini in tempore aliter patefacere, quàm eam in se habuit ab æterno, quia non potest seipsum, amorem quo nos prosequitur, veritatem quam loquitur, & justitiam suam quam operatur, ab- *Quia Deus se talem patefecit.*

T negare

negare *2. Tim. 2. v. 13.* aut mutationem aliquam suæ essentiæ facere *Iac. 1. v. 17.* Quapropter rectè concludimus, qualem Deus se & voluntatem suam revelavit in tempore, talis ipse est essentialiter ab æterno: at Deus se & voluntatem suam in tempore revelavit talem, qualis in lege naturali docetur: ipse ergò talis est ab æterno. In tempore dicimus Deum se revelasse per legem naturalem, nempe cum naturam conderet & hominem ad suam imaginem formaret, *Gen. 2.* quapropter etiam statim unà cum vita apparuit jus naturale in Adamo, quod verba ejus testantur *d. cap. 2.* Postea Deus se sæpius talem manifestavit, *ut Gen. 3. 4. 6. & seq.* inprimis per Mosen, *Exod. 20.* & Christum *Mat. 5. 6. 7.* & per omnes prophetas ac apostolos, imò per omnes Adami posteros *Rom. 1. & 2.* Omnes id fateri cogimur, in lege esse voluntatem Dei, at voluntatem ab essentia ejus non differre credimus: ergò ex *Bar. 4. v. 1.* legem esse æternam Dei sapientiam concludimus.

Quia virtutes divinæ legi attribuuntur.

Præterea omnia quæ de Deo prædicantur, nempe quod sit bonus, veritas, amor, justitia, &c. eadem Deus prædicat de lege, quod bona sit, quod impleatur amore, justitiâ, veritate, &c. Christus *Mat. 5. v. ult.* dicit eos qui legem naturalem complent esse perfectos, quemadmodum pater cœlestis sit perfectus. *1. Ioh. 4. v. 7.* dicitur ἡ ἀγάπη ἐκ τοῦ θεοῦ ἐστι, καὶ πᾶς ὁ ἀγαπῶν ἐκ τοῦ θεοῦ γεγέννηται, καὶ γινώσκει τὸν θεόν· ὁ μὴ ἀγαπῶν, οὐκ ἔγνω τὸν θεόν, ὅτι ὁ θεὸς ἀγάπη ἐστίν. *Charitas ex Deo est,*

& omnis

Digitized by Google

& omnis qui diligit ex Deo natus est & cognoscit Deum. Qui non diligit non novit Deum, quia Deus est charitas. Deus est amor; & lex naturæ est amor: Deus agnoscitur, colitur & placatur amore; etiam lex naturæ.

Sed ut tantò majorem juri naturali autoritatem conciliemus, specialius ostendemus quomodo lex Deus ipse esse dicatur, & quomodo directò ac immediatè in Deum peccent, qui jus naturæ offendunt, ubi duo sunt præmonenda. *Quomodò Deus sit lex ipsa.* Primò, essentiam & virtutes longè alio & sublimiori modo de Deo prædicari quàm de homine. Etsi itaq; nec de justissimo & perfectissimo homine dici possit, quod essentialiter sit ipsa justitia & virtus, tamen id de Deo pronunciari nihil vetat. Secundò, Cum homo eo fine à Deo crearetur, ut hujus mundi imperium obtineret, Deo toto pectore serviret, & plures Dei cultores procrearet; compositus fuit duabus ex partibus essentialibus, corpore nimirum & animâ, ut & elementari hac regione frui, & Deo suum cultum præstare posset. Utraque pars finitæ est potentiæ, quia novi Dii creari non poterant. Cùm itaq; Deus homini regulam vitæ daret, præcepta sua ita formavit, ut à toto homine justitiam requireret talem, quam ille & corpore & animâ præstare potuisset. Ut cum lex Dei inquit, *diem Sabbathi sanctifica, nullum opus in eo facies:* manifestum est Deum in hoc præcepto ad finitam humanam potentiam respexisse. Etsi enim Deus indesinenter & per-

Digitized by Google

petuò adorandus sit, tamen indulgendum erat homini, ut aliquando dormiret, ederet, quiesceret, aliàs corpus ejus contabuisset: non potuisse enim corpus citra hanc refectionem etiam in statu innocentiæ sustentari, exemplo Adami innocentis *Gen. 2.* & Christi, in cujus corpore nulla peccati operatio unquam locum habuit, discimus. Debuit etiam homo hortum colere *Gen. 2. v. 15.* & liberos procreare; *Gen. 1. v. 28.* ergò non debuit semper pronus in adorationem decumbere. Item, debuit edere *Gen. 2. v. 16.* at non debuit indesinenter per omnem vitam edere. Non sunt ita calumnianda Dei præcepta, sed ipsa mens inspicienda, quid legislator voluerit. Mens verò & essentia juris naturalis non consistit in ipso esse hominis, nec in iis in quibus se Deus humanæ conditioni applicavit, sed in eo quod homini sciendum & in omnibus actionibus suis observandum præcipitur. Ut, in modo dictis præceptis homini præcipitur sanctitas & honesta vitæ sustentatio. Cum sabbathi sanctificatio præcipitur, non dicimus sabbathum ita esse de essentia Dei, ut Deus die septima magis sanctus & otiosus sit quam alia; sed quod ipsa placidissima quies & sanctitas, quæ hîc præcipitur Deo sit essentialis: quod autem ad diem septimam attinet, in ea Deus suum præceptum humanæ conditioni applicavit. Sic cum jubemur patrem & matrem colere, non dicimus, quod Deus essentialiter ab æterno patrem & matrem habeat, sed quod

Digitized by Google

quod ipſe amor & beneficiorum dulcedo, quæ hîc præcipitur Deo ſit eſſentialis. Et in ultimo præcepto jubemur nihil mali concupiſcere, hoc de eſſentia divina eſt, non bos, aſinus, uxor &c. quia hæc non ſunt ipſum præceptum, ſed objecta in quæ præceptum dirigitur. Qui calumnias non quærit, facilè intelligere poterit quomodo ipſum quod præcipitur, Deo eſſentiale eſſe dicatur.

Verùm ut de ſingulis præceptis breviter agamus, dicimus primò eſſentialiter & ab æterno in Deo juſtum eſſe, ut ſe ſolum agnoſcat verum Deum, qui ſummam majeſtatem & potentiam habeat, & unicè colendus ſit ab omni quæ in tempore exiſtere poſsit creatura. *Ioh. 17. v. 3. 1. Cor. 8. v. 4. 6. Eph. 4. v. 5. 1. Tim. 2. v. 5. Apoc. 1. v 8. Eſa. 43. v. 10. 11.* Plures deos ſtatuere, vel ſculptile aliquod coli, vel etiam ſummam divinitatem ſculptilibus truncis ac beluis ſimilem putare, tam abſurdum & abominabile viſum fuit Deo ab æterno, ut ne fingi quidem poſsit, ubi imaginatio illa eſſe potuerit? Nam ſi Deus alium ſibi finxiſſet ſuperiorem, ſeipſum abnegaſſet, dehoneſtaſſet & deſtruxiſſet. Eſt autem Deus Mens & Sapientia ipſa, *Rom. 16. v. 27. 1. Tim. 1. v. 17.* qui nullo errore labi poteſt; non potuit ergò ignorare ſe eſſe unicum illud, ſummum, verum & adorabile omnium rerum principium. Unde porrò ſequitur, prorſus impoſſibile eſſe ut primum decalogi præceptum, quod de agnoſcendo & colendo uno, vero, ſūmo

Deus eſt unitas.

Nulli rei ſimilis.

Summa & vera ſapientia.

Digitized by Google

Deo loquitur, aliter quam est conciperetur, vel mutetur aut abrogetur. Hæc lex nulla positiva lege ab hominibus mutari potest, ideò nihil refert, quos Deos ethnicorum legislatores colendos statuerint; veritas, quæ est conformitas rei cum intellectu divino, hominum opinionibus mutari non potuit. Non itaq; hoc primum legis moralis caput propterea mutabile & inconstans opinio est, quod hominum errantium variæ sunt de diis opiniones ac leges positivæ, sed omnes illæ leges, quia cum hac vera naturali & divina veritate non consentiunt, falsæ sunt & opinativæ, jus autem & veritas sibi immutabiliter constant in Deo. Et sic etiam de aliis legibus judicandum, quod veritas & constantia legum naturalium non pendeat à voluntate & opinione hominum, sed à veritate & constantia mentis divinæ. Qui contra hoc primum decalogi verbum aliquid statuunt, nugas agunt & directò peccant in Deum. Unum verum Deum scire, rebus creatis aut sculptis dissimilem, tàm essentiale est in Deo, ut nihil magis. Hæc sive uno sive duobus decalogi præceptis comprehendas, ipsam ad rem parùm attinet, quia omnia decalogi præcepta sibi mutuò insunt. Videmus Psalmos, & alia quædam sacrarum literarum capita non uno modo ab omnibus distingvi, & tamen neminem propterea damnamus. Verùm ad titulorum juris,

de statuis & imaginibus. C. *lib.* 1. *tit.* 27. *& Nemini licere signum Salvatoris Christi humi, vel in silice, vel in marmo-*

Digitized by Google

marmore, aut sculpere aut pingere. C. lib. 1. t. 8. & ad similium quarundam legum explicationem videtur commodius esse, ut hîc duo faciamus capita; primum quod loquatur de uno vero Deo agnoscendo, seu de unitate spiritualis essentiæ Dei, quò pertinent primi tituli Codicis: alterum quod explicet hanc essentiam talem, quæ nulla pictura aut sculptura posit adumbrari. Agnoverunt autem gentiles quoq;, unum summum Deum esse statuendum, eumq; nec fictis nec factis hominum comparandum. *v. Lactant. lib. 1. Instit. cap. 5. & ss. Morn. de verit. rel. Chr. cap. 2. & 3.*

Præcipitur deinde in decalogo sanctitas, quam Deo essentialem esse nemo ignorat. Sanctus est Deus noster *Levit. 11. v. 44. 45. Esa. 6. v. 3. Apoc. 4. v. 8. & 15. v. 4. Iob. 17. v. 11.* & sanctum est nomen ejus ab æterno, *Ps. 99. v. 3. & 111. v. 10. & 138. v. 2. Esa. 57. v. 15. Ezech. 36. v. 21. 22. Luc. 1. v. 49.* Hoc est, Deus semper voluit se agnosci & appellari sanctissimum. Inhonesta & obscœna nomina, qualia sibi cacodæmones imponere solent, ab æterno abominatus est Deus, ut essentiæ suæ contradicentia. Nomen quod essentiam & bonitatem Dei indicare debet, non potest non esse sanctum. Viderunt id ethnicorum nonnulli, & profana illa figmenta futiliaq; mendacia, quæ vulgus de Diis spargere solebat improbarunt, ut apud Platonem, Ciceronem & alios discimus. De nominibus deorum Plato in *lib. de legib. 11.* ait, *Æquum profectò est nomina* *Deus est sanctus, & sanctitas ipsa.*

Digitized by Google

deorum non facile inquinare, nec ea huc atq; illuc devolvere: sed omnia quæ ad Deos pertinent, purè casteq; servare. Hanc legem obſcœnæ conſuetudines & leges quarundam gentium tollere non potuerunt: nec Dei ſanctitas propterea opinione eſt, quod quidam omnis generis libidines à Diis ipſis, vel illorum ordinatione & inſtinctu ab hominibus perpetrari putarunt, quia Dei veritas naturæ infuſa nullo errore tolli poteſt. Qui verò leges nefarias aut facta hominum profana probant, & jus naturæ violant, & ipſum etiam Deum.

Deus eſt beata quies. De ſanctificatione Sabbathi ſupra monuimus, quod Deus ſe in hoc præcepto humanæ conditioni applicarit, ut inprimis die ſeptima reminiſceretur homo creatoris ſui & omnium acceptorum beneficiorum. Præcipitur autem in hac lege ſancta quies, ut totos nos Deo devoveamus. Non ferebat humana conditio, ut ſemper otioſi eſſemus, neq; id jucundum fuiſſet: dati ergò ſunt dies ſex ad conſpectionem, ſeptima ad meditationem & prædicationem operum divinorum. Quod non ita intelligendum, quaſi tantum ſeptima die pietas exercenda, nam meditantur pii in lege Dei die ac nocte. *Pſ. 1. v. 2. Luc. 18. v. 7. 1. Theſ. 5. v. 16.* & Deus indeſinenter venerandus eſt *Luc. 21. v. 36.* ſed quod die ſeptima Deus laudandus ſit in otio, diebus reliquis in negotio. Quod Deus in operibus ſuis continuò agnoſcendus adorandusq; ſit, id etiam ethnici cognoverunt. Plut.

de ani-

de animi tranq. inquit, *Perquam mihi placet illud Diogenis dictum, qui hospitem Lacedæmone videns parare se magno studio ad quandam festivitatem, Quid? ajebat, an non vir probus quemvis diem festum censet? & quidem, si sobriè vivimus admodum illustrem. Est enim sanctissimum templum ac divinissimum hic mundus: in hunc inducitur homo cum nascitur, non manu factorum & immobilium spectator futurus simulacrorum, sed earum quas mens divina sensiles mente sola cernendorum effigies, in se insitam vitæ motusq; habentes facultatem fabricata est. Solem inquam, lunam, sidera, fluvios novam subindè aquam edentes, terram stirpibus animalibusq; alimenta submittentem, quorum sacrorum initiatio atq; institutio perfectissima cum sit vita, profectò par est eam tranquillitatis animi ac lætitiæ esse plenam.* Ergò animi tranquillitas & jucunda oblectatio virtutum est juris naturæ & de essentia Dei, qua se in omni fortuna pii unicè & semper consolantur. Si spiritus regenerati hominis Deum indesinenter meditatur, suspirat & colit, multò magis Deus in æterno suo sabbatho seipsum perpetuò agnoscit & sanctificat. Nec potest id non facere, quia est ipsa mens, ipsa sanctitas, & beatissima quies. Deum quiescere dicimus, non ut Epicurei suos deos desidere, & nullarum rerum desiderio tangi putabant, sed quod Deus, licet sit actus purissimus & omnia gubernet, nulla tamen molestia afficiatur nec in sancta sua quiete turbetur. Quomodo autem illæ phrases S. scripturæ, in quibus de laboribus suis pro genere humano susceptis conqueritur Deus, acci-

Digitized by Google

cipiendæ ſint, nemini ignotum eſſe opinor. Hæc de prima tabula legis moralis ſufficiant, ut videamus ejus præcepta eſſe de ipſa eſſentia Dei, nec poſſe mutari, niſi Deus ſuam unitatem, veritatem, ſanctitatem & beatitudinem deſtruere velit: non poſſe etiam negari vel offendi, niſi directò in Deum peccare & calumnias meditari velimus.

Deus eſt pater. Agemus breviter etiam de altera tabula. Cum Deus ſit fons vitæ *Pſ.36. v.10.* & adorabile principium, quod ab æterno ex ſua eſſentia genuit filium ad imaginem ſuam, *Ioh.1. v.1. 2. Cor. 4. v.4. Coloſſ.1. v.15.* juſtum & eſſentiale fuit Deo ab æterno, ut pater à filio agnoſceretur & diligeretur, idq; λόγος in SS. Trinitate adimplevit. *Ioh. 17.* Multa ex hoc præcepto duci poſſunt Deo eſſentialia, ut quod ſit principium & fons vitæ, genitor, pater & ipſe paternus amor: nam hæc omnia Deo competunt eſſentialiter. Non mutatur hoc jus tyrannorum legibus, ſed omnium legislatorum præcepta, quatenus paternum affectum non habent, prava ſunt & legum nomen non merentur. Qui verò abjecto affectu paterno ſua poteſtate inhumaniter abutuntur, non modò contra mentem noſtrarum legum civilium agunt, ſed etiam Deum per læſionem juris naturalis offendunt.

[illegible] eſt [illegible] Deus eſt vita, *Iohan. 1. v.4. & 14. v.5.* at vita mortem velle nequit, quia ageret contra ſeipſam. Quemadmodum ignis & aqua non poſſunt agere contra ſuam naturam, ſed ignis

Digitized by Google

naturæ suæ vi calefacit, aqua humectat, ita Deus vi suæ essentiæ vivificat & vitam operatur, idq; eò efficacius, quò est potentior & à nemine potest prohiberi. Itaq; Deus mortem nec vult, nec probat, nec operari potest. *Sap. 1. v. 12. & ss. & cap. 2. v. 23. 24.* & vitæ amor, qui in decalogo præcipitur est essentialis Deo. Ad amorem vitæ pertinet non odisse, nemini vitam invidere, non insidiari, non in periculum vitæ ducere &c. quæ omnia sunt in Deo. Quia enim Deus amor ipse est, *1. Ioh. 4. v. 8.* & vita ipsa, necessum est tantam abominationem mortis, odii & fraudum esse in Deo, quanta in ipso est vita & charitas. Omnia verò infinita & essentialia in Deo esse credimus, sequitur itaq; ut infinitam & essentialem mortis odiiq; detestationem in Deo statuamus. Ex hisce iterùm concludimus leges quæ innocentibus insidiantur, quæve duræ & iniquæ sunt, non esse veras leges, nec crudelitatem quorundam hominum efficere, quò minus ipse amor in prima lege voluntatis divinæ semper sibi constet. *Et amor.*

Porrò nemo dubitat, Deum omnem carnis libidinem detestari, & castitatem honestatemq; ipsam esse. Ipsum Epicurum, si Ciceroni & Laertio credimus, carnalium libidinum puduit, & ne ethnici quidem sine magna indignatione lascivas de diis fabulas audire potuerunt. vide Arnob. Lactant. Augustin. & alios, quomodo ipsi gentiles fabulas illas exagitarint. Plato putabat Poëtas qui talia fingerent *Deus est castitas, honestas.*

è civi-

è civitate ejiciendos esse, tanquam deorum calumniatores & publicos hominum corruptores. *2. de repub.* Testimonia S. scripturæ, quibus Deus pravam concupiscentiam reprobat, nemini sunt ignota, nec ulla humana lege effici potest, ut inhonesta & lasciva sint justa.

Deus est liberalitas. Liberalissimus præterea est Deus, nec potest quicquam ab alio desiderare, cum omnia sua sint, & ipse sibi omnium bonorum sit abundantia. Exercet autem Deus liberalitatem suam erga nos, non in eo quod egere non potest, sed cùm quia nemini sine gravissima & justissima causa aufert quod dedit, tùm quia largitur etiam indignis, nec semper aufert, licet plurimas habeat causas, ex quarum unica homo homini omni jure auferre posset. Tantum nos superat liberalitate, longanimitate & amore, ut ferè nunquam suo jure utatur, nisi cum hominum injustitiâ nimiâ ad justitiæ suæ defensionem cogitur. Furta verò oriuntur ex egestate, cupiditate, invidiâ & dolo, quæ omnia sunt contra essentiam amoris, liberalitatis, veritatis & abundantiæ. Haud dubiè contra jus natura & Deum ipsum peccant, qui legum civilium abusu aliena ad se rapiunt, nec ulla positiva lex eos excusabit, quia humanus error Dei & naturæ veritatem immutare nequit.

Deus est veritas. Deus est ipsa veritas, *Rom. 3. v. 4. Ioh. 8. v. 44.* ergo mendacia, falsa testimonia, doli, fraudes, insidiosæ simulationes & similia, non possunt Deo non displicere. Mendacia & fraudes abominan-

ominantur homines, Deus ergo multò magis. *Pythagoras interrogatus quid Deo simile facerent homines, respondit cum veritatem exercent. Magi verò maximum deorum, quem Oromagdem ipsi vocant, corpore quidem asserunt esse luci similem, anima verò veritati. Stob. serm. 9. & 10.*

Deus est ipsa integritas, non concupiscit aliud quàm bonum. Infinita boni cupiditas est in Deo, hinc est quod nihil aliud velit aut probet quàm optimum. Esset indignum Deo qui omnia optima habere potest, aliquid mali concupiscere. *Boni cupiditas.*

Tandem Deus est ipsa constantia, ut nulla sit in eo mutatio. Quemadmodum supra diximus; in Deo omnia unum sunt, essentia, voluntas, potestas, operatio & constantia: quæq; Deus vult à se fieri, essentialiter & efficacissimè vult, & statim operatur. Si ergo Deus semel probaret mortem, dolum, impietates, & similia, ipse statim fieret mors, odium, dolus, mendacium, impietas &c. nec posset alia nisi hæc operari, nisi seipsum iterùm mutare vellet ac destruere. At tam blasphemæ & absurdæ contradictiones à Deo sunt alienissimæ, unde sequitur nec posse nec velle Deum contra se, hoc est, contra legem suam agere, & legem Dei tam diu fore immutabilem, quandiu sibi constabit Deus: item, omnes qui contra legem naturæ peccant, directò peccare contra Deum: & tandem, necessariò statuendum esse aliud principium, ex quo in tempore extiterunt & existunt *Et constantia.*

existunt mala, quæ ab æterno non fuerunt, nec à Deo esse possunt, ut sup. *lib.1. cap.16.* voluimus. Sit ergò hæc summa disputationis nostrę, quod jus naturæ reverâ, primò, essentialiter & immutabiliter sit in Deo, quodq; decalogi vis, mens, voluntas, perfectio, essentia, justitia, sive quocunq; tandem nomine exprimas, sit Deus ipse. Quod confirmatur iis definitionibus legis divinæ quas Chemnit. *in loco de lege cap. 2.* posuit, & ea legis divinæ explicatione quam supra *lib. 1. cap. 4.* tradidimus. Omnes theologi, qui accuratiùs de lege divina scripserunt, fatentur legem moralem esse regulam æternam & immotam mentis divinæ, seu Deum ipsum: nec Calvinus id diffiteri ausus est, *Instit. lib. 4. cap.20. n. 15. lib. 3. cap. 23. n. 2.* quanquam id illi prædestinationis decreto, quod *lib. 3. cap. 21. & seq.* fingit, directò sit contrarium, v. etiam Piccol. *gr. mor. 1c. cap. 26.* Et infinitas in absurditates mergemur nisi hoc statuerimus: blasphemias verò horrendas in Deum evomere cogemur, si eum secum dissidere statuemus. Non malè Plutarchus, ut *lib. 1. cap. 16.* indicavimus, putavit, Stoicos Epicureis absurdiores fuisse, nam Epicurus non negabat esse Deos, & tamen in effectu eos re verâ tollebat, quia statuebat eos nullarum rerum curam agere, quod nihil aliud est, quàm primum motorem & summum gubernatorem non agnoscere: Stoici verò & fatebantur esse deos, & omnia quæ fiunt, fataliter fieri arbitrabantur. Qui horum fatum crediderunt

Necessariò statui Deum esse legem ipsam.

derunt esse aliquid supra Deum, eo ipso negarunt Deum, quod non agnoverunt summum: nam Deum esse & summum non esse, contradictoria sunt. Qui verò fata in potestate Dei esse, & omnia bona malaq; fataliter à Diis fieri putarunt, non modò Deum abnegarunt, quod eum, summum bonum, veritatem & justitiam ipsam non agnoverunt, sed & præterea calumniati sunt, quod eum omnium scelerum autorem statuerunt. In easdem blasphemas absurditates, in abnegationem & calumniam Dei nos præcipitabimur, nisi legem naturæ Deo essentialem esse credemus. Potuissemus supra *libro 1.* copiosiùs docere, quomodo Deus sit unus, bonus, verax, constans, &c. ut ex iis quæ de voluntate Dei dicenda erant, deducerentur: sed quia illa à nemine in dubium vocanda putavimus, & à theologis explicari maluimus, contenti fuimus tribus præsuppositis, quæ lector ibi *cap. 3.* observaverit.

Suboluit hoc etiam ethnicis, quod lex naturæ esset ipse Iuppiter. Ergò ipsi Stoici (ut solent qui errores propugnant) sese refutabant, quod statuebant Deos ἐδὲν ἐνεργοῦντας ὧν ἀπαγορεύειν εἴωθεν ὁ κοινὸς νόμος διὰ πάντων ἐρχόμενος, ὁ αὐτὸς τῷ Διῒ καθηγεμόνι τούτῳ τῆς τῶν ὅλων διοικήσεως ὄντι, hoc est, *nihil eorum, quæ lex communis vetat, agentes, quæ per omnia pervadit, quæ eadem est ac Iuppiter, descriptionis universorum & administrationis imperator. Laert. in Zenone.* Senec. *epist. 95. Dij immortales nullam dicere virtutem, cum omni editi, & pars naturæ eorum est.*

Ethnici viderunt Deum esse legem.

est, esse bonos. Et apud alios philosophos Deus crebro ipsa lex esse statuitur. Sotatus dixit: *νόμος ἐστὶ θεὸς, τοῦτον ἀεὶ πάντοτε τίμα, Deus lex est, hanc omninò semper cole. Stob. serm. 1.* Plut. *ad princip. inerud.* dicit Ius & Fas Iovi non assidere ut quidam finxerint, sed Iovem esse Ius & Fas ipsum, & omnium legum antiquissimam & perfectissimam. Idem evincitur ex iis sententiis quas sup. *lib. 1. cap. 4.* de lege divina, item *cap. 7. 8. & 10.* de cognatione rationis & naturæ humanæ cum Deo audivimus. Cum enim viderent ethnici, amorem vitæ, veri & boni, esse de essentia rationis ac naturæ humanæ, omnia verò humana bona à Deo esse, cogebantur fateri, illa multò perfectiora fore in Diis, quam in hominibus. Quid enim absurdius dici posset, quam Deum fecisse homines veritatem, amorem, justitiam, & similia naturaliter amplectentes, & tamen ipsum omnibus hisce virtutibus destitui, nulloq; earum desiderio tangi. Si sunt de essentia rationis humanæ, multò magis sunt de essentia sapientiæ divinæ. Si Platonis, Arnobii, Lactantii, Augustini, & aliorum qui fabulas gentilium refutarunt, scripta evolvere vellemus, vel etiam libros Cic. *de nat. deor.* percurrere placeret, prolixè & evidentissimè probare possemus, quomodo gentiles virtutes decalogi Deo essentiales esse, seu ultrò & scientes, seu inviti & ignorantes confessi sint: sed relinquimus etiam aliorum industriæ locum, quædam verò ex superioribus colligi possunt. Non est autem

Digitized by Google

autem quasi novum & inusitatum quid mirandum, quod Stoici, Epicurei & alii sibi ipsis toties contradicant, ut modò præclarè de Deo sentiant, modò absurdam aliquam sententiam proferant: nam hoc ita evenire solet, ut Arist. inquit, *dato uno inconvenienti, sequuntur infinita*: omnis error suam contradictionem secum fert, & plures errores secum trahit.

Tanta est porrò præceptorum decalogi, seu virtutum divinarum in Deo affinitas & unitas, ut videantur omnia in se unum esse, & nobis tantum melioris intellectus gratia aliis subinde verbis proponi. Nam ut Christus *Mat. 22. v. 37.* Paulus, *Rom. 13. v. 10.* Iohannes *ep. 1. cap. 4. v. 20.* omnia totius decalogi præcepta hoc unico verbo, AMA, complectuntur, & omnia amori inesse dicunt, *v. sup. lib. 3. cap. 1.* ita etiam cum omnes virtutes (cogimur humanis verbis loqui, quia divina desunt) Deo essentiales esse indicare volumus, uno verbo dicimus quod sit AMOR. Hanc omnium virtutum unitatem indicant ethici, *v.* Plut *de virt. morali, Piccol. gr. mor. 4. cap. 33. 34. 37. & ss.* quam & phrasibus istis innuimus, cum sæpè unam virtutem per aliam commendamus, ut cum veritatem dicimus esse honestam, amorem liberalem, &c. *Decalogi unitas.*

Atque hæc consideratio non est theologica tantum, sed etiam ad studiosos juris pertinet, quia est legis. Lex autem moralis fundamentum est totius jurisprudentiæ, cui leges civiles superimponuntur. Si legem moralem non intellexe- *Quid hæc ad Iurecon-sultos.*

tellexerimus, quousq; nobis in civilibus progredi liceat scire non possumus. Et si hoc dubium relinqueremus, an jus naturale mutabile esset? vel an Deo verè & semper placeret? labefactata esset tota jurisprudentia, nostrumq; jus ibi incertum foret, ubi nos gloriati fueramus esse constantissimum. Ambigeremus, an Deus adhuc in ea voluntate, quam olim patefecit, persisteret? an legem moralem Judæis tantùm in veteri Testamento servandam, nobis verò novo in fœdere abrogandam dedisset? Incerti essemus an omnia furta, adulteria & similia delicta invito Deo fierent, an fures & latrones punire liceret, an verò Deus mutatâ voluntate talia delicta quibusdam impunita esse vellet? Item in legum civilium sanctionibus dubitaremus, an liceret alicubi jus naturale mutare, violare aut tollere? Extiterunt etiam nonnulli qui legē omninò ex Ecclesia proscribendam putarunt: alii eam à malo quodam dœmone confictam opinati sunt: hi omninò plurimum profecissent, si concederemus Deum posse contra legem suam agere, vel aliquid contra jus naturæ factum probare. Nonnulli etiam evincere conati sunt legem non naturâ, sed tantùm opinionibus hominum constare, (de qua opinione inferiùs agemus) hi omninò vicissent. Et sublato vel labefactato jure naturæ, brevi tantus invalesceret juris contemptus ac actum esset de omni publica disciplina. Quis non jus in vi poneret, quis contra rationem & jus

Digitized by Google

jus naturæ agere metueret, si non constaret semper invito Deo fieri, quod fit contra jus naturæ? Nos ipsi, qui jus interpretamur, docemus, discimus & in foro tractamus, cujus Dei aut juris ministri essemus, nesciremus. At cum jus naturæ, quod fundamentum est Iurisprudentiæ, tàm certum, constans & sanctum esse constet quàm Deus ipse est, tùm Iurisprudentiæ nostræ autoritas & certitudo in Deo ipso fundantur, juris hostes inimicitiâ Dei terrentur, Iustitiæ antistites divinitùs animantur & in eo confirmantur, quod sciunt se ministros Dei esse, non hominum sed Dei opus tractare, & jure rationabili sanctissimâ conscientiâ uti posse. Summè itaque hæc necessaria sunt, ad confirmandas conscientias nostras, & solida juris fundamenta ponenda.

Quomodo lex moralis rectè intelligi possit & quando violari aut mutari dicatur.

CAP. IX.

VT in omnibus ferè, vel in excessu vel in defectu peccari solet, ita etiam jus naturæ duplici modo violatur: vel cum illi affingitur aliquid præter mentem ejus, vel cum detrahitur. Quidam naturalia pro civilibus habent, eaq; mutant: alii civilia pro naturalibus vene- *Quomodo jus naturæ rectè intelligatur.*

rantur, & immutabilia censent. Utrinq; peccatur, hinc superstitione, cum quod naturale non est, pro divino suspicimus; illinc inscitiâ, cum naturalia civilibus adæquamus. Qui hæc rectè discernere volet, non tantùm verba legum, sed verborum mentem principaliter inspiciet: verba enim propter mentem sunt, & interpretis officio funguntur, mens verò vita est & anima legis. Sed nec mens legis superstitiosè accipienda, ut nonnulli nimis intelligendo omnem legis intellectum corruperunt, perq; allegorica figmenta & verba & mentem legis veram simul amiserunt: nec nimiùm inhærendum est verbis, alioquin mentem legum non assequemur. Utrobiq; observandum est illud Comici, *ut ne quid nimis*. Iureconsulti dicunt, *Scire leges non est verba earum tenere, sed vim ac potestatem. l. 17. D. de legib.* at verborum aucupes, & qui mentem legum aliter accipiunt quam oportuit, vocant juris calumniatores. *l. 14. 15. 18. 19. 25. 29. & 30. D. de legib. l. ea est. 65. D. de reg. jur. l. penult. D. ad exhib.* Christus appellat hypocritas, & Pharisæos *Mat. 6. 12. & 23.* objurgat graviter, quod verbis legum inhærendo mentem ejus corruperint. Putabant enim quia scriptum esset, *non occides: non mœchaberis: non pejerabis per nomen Dei tui:* iram, invidiam, libidinosos affectus, juramenta vana, quæ per templum & aram, vel per cœlum fierent, non esse peccata: at die Sabbathi perituro homini manum porrigere, vel spicas avellere, esse piaculum ingens,

quia

Digitized by Google

quia scriptum esset, *nullum opus facies die Sabbathi.* Docent autem theologi specialiter de omnibus præceptis quæ absurda secutura sint, & quomodo lex tota peritura esset, si aut verbis nimis insisteremus, aut mentem ejus nimis extenderemus, quæ ex illorum scriptis peti possunt. Nos, quia videmus Iureconsultos interdum intempestivè pungi, quasi juri naturali per leges nostras civiles vis facta sit, una atq; altera quæstione exempli & doctrinæ causâ ostendamus, quomodo mens juris naturæ investiganda & conservanda sit, & quod leges nostræ civiles, si quis iis rectè utatur, naturalibus nihil detrahant.

Ius naturæ vult majus bonum præferri minori.

Generaliter id præmittendum est, jura naturæ non mutari, quando è duobus bonis eligitur majus, ut cum ob salutem & amorem plurium pauciores prætereuntur, quia jus naturæ non jubet hunc tantùm amare qui nos implorat, sed & illos quorum saluti consulitur. Amoris & juris naturæ est, etiam suo damno aliis servire velle *Rom. 9. v. 3. Exod. 32. v. 33.* & tàm alieno gaudio gaudere quàm proprio, At contra jus naturæ est, malle multos lædere quàm pluribus gratificari, *contra officium est*, ait Cic. *1. offic. majus damnum anteponi minori.* Solent homines sua privata incommoda semper putare maxima, & iniquum censent aliorum caussam suæ præponi. At si tùm ipsi jus naturæ quod ab aliis lædi clamitant observarent: si proximos suos sicut seipsos diligerent; si pu-

 blicam

Digitized by Google

blicam salutem æquè ac privatam cordi haberent; si talia exempla in perniciem reipub. tendere, at pereunte republ. de omnibus civibus actum esse, & tanquam corde vulnerato omnia membra necessariò mori intelligerent: si in simili aliorum causa idem quod nunc damnant se probaturos cogitarent; longè aliter de suis incommodis judicarent. Falluntur itaque, qui putant juris naturæ eam esse mentem, ut nos solos super omnes amemus, aut jus civile toties vim facere naturali, quoties majus damnum minori postponit. Deinde & hoc monendum, talium electionum necessitatem non ex ipso jure venire, sed ex factis hominum injustis, vel ex erroribus. Nulla juris species hominem in eam necessitatem trahit, ut cogatur eligere aliquid non absolutè bonum, sed peccata hominum contra voluntatem juris commissa nos in eas angustias detrudunt. Quia itaq; nobis omnia ex voto non succedunt, non possunt omnes humanæ actiones haberi simplices, sed plurimæ earum sunt mixtæ. At in illis defæcato judicio opus est, ut non affectuum impulsu, sed rationis acumine, quid pro quali eligendum sit rectà discernamus, quemadmodum *lib. 1. cap. 13.* docuimus. Sed generalia fortè ita non penetrant, ostendemus itaq; in una atq; altera quæstione specialiter, quomodo jus naturæ investigandum, conservandum, & à civili distingvendum sit.

Lex

Lex divina inquit, *honora patrem tuum & matrem tuam.* Si hæc verba ad literam intelligemus, avi, atavi, magistratus, præceptores, seniores, & si qui sunt alii, qui interdum officii paterni partem suscipiunt, nullo erunt honore digni. Si verò verba illa nimis extenderimus, patribus jubentibus furari & quidvis perpetrare licebit. Neutrum menti legislatoris convenit. Deus vult omnes qui paternè nobis consulunt suspici & grato animo coli, sed ita ne summus omnium pater despiciatur & inobedientiâ offendatur. Patres nostri, si æquum putant parentes à liberis coli, colant ipsi quoque suum patrem, nec jubeant nos cœlestem patrem offendere, cui primus ab omnibus debetur honos *Mat. 10. v. 37. act. 5. v. 29.* Non tollitur hoc præceptum *Mat. 23. v. 9.* ubi vetat Christus quenquam patrem appellare præter Deum, nec cum *d. cap. 10.* Christus jubet se supra parentes diligi, sed explicatur, & nimius honor qui homini non debetur restringitur. Sic & civiles leges hoc præceptum non violant, quando gravissimis quibusdam ex causis inter parentes & liberos accusationes, exhæredationes & similia concedunt, quia hoc fit tantùm ubi ratio, pietas & conscientia id suadent, cum quis se juris naturæ beneficiis reddidit indignum. Arguunt alii jus civile, quasi hoc præceptum ariete hostili percusserit, cum dicit liberos non esse in matris potestate, posse ergò eos interdum matre invitâ matrimonium contrahe-

Quomodo parentes honorandi.

Cur liberi negentur esse in potestate matris.

Digitized by Google

trahere. Magnas hîc mulieres extollunt querelas, quibus nonnulli conterriti, abjecto jure civili tanquam inutili clypeo, statim in aliena castra juris canonici confugerunt, & ne ibi ut ignavi milites excipiantur, necessitatem transitionis suæ ita excusare conantur, quod dicunt in causis conscientiæ Canonicum jus observandum. Quid hoc sit dicere, nondum satis perspicio: an Imperatores nostros & legum civilium autores nec rationem habere dicunt nec conscientiam, ut toties à jure civili recedendum sit, quoties salvam velis habere conscientiam? an nulla nisi matrimoniorum & juramentorum jura (hæc enim fere sola causas conscientiæ facere, nescio quo antiquo errore illis placet) ad conscientiam pertinent? nónne totum jus naturale in omnibus suis articulis æquè attingit conscientiam? Certè naturalia jura, quæ primò & per se conscientiam tangunt, eadem sunt in jure civili & canonico, & in toto mundo. Civilia verò conscientiam tangunt per accidens, cum coincidit contumacia ejus, qui suo magistratui obedire recusat, ut infra dicetur. An ergò conscientia non læditur in aliis juribus naturalibus ut in furtis, in latrociniis, aut cum quis leges sui magistratus probas despicit, & alias præfert deteriores? Sed mitto hæc: ad ipsam quæstionem respondeo, distinguendam esse potestatem ab honore. Honor, gratitudo & amor debentur parentibus jure naturæ, nec ulla civili lege illis denegantur,

Digitized by Google

tur, nisi fortè parentes se juris naturæ beneficiis reddiderint indignos, postulando aliquid contra Deum, rationem, conscientiam, salutem publicam &c. tum enim prævalet quod modo diximus, Deum & salutem totius civitatis præferri privatorum cupiditati. Potestas verò est civile quid, quâ datur vel adimitur alicui imperium in rebus quæ reipubl. præjudicare possunt. Naturalis juris non est, quia jus naturæ omnes homines agnoscit æquales & nullam novit coactionem, ergò nec imperium superioris quo inferiorem cogere possit, Augustin. *de civ. Dei lib. 19. cap. 15.* Tota essentia & gubernatio juris naturæ consistit in amore, & beneficiis spontaneis; coactionem vel increpationem jus naturæ simplex ex se non gignit, sed omnes naturalis juris defensiones primò juris gentium sunt, & ex illo nonnunquam vocantur ad jus civile. Omnes ergò casus, in quibus coactione aliqua opus est contra invitum, pertinent vel ad jus gentium, vel ad civile. Sic parentibus ex jure gentium competit potestas quædam in liberos invitos, quatenus eâ rationabiliter utuntur: at quia experientia docuit, quosdam consilii imbecillitate aut pravitate ea malè uti, & respub. talibus exemplis offendi, imperii paterni approbatio & executio translata fuit ad magistratum. Et parùm refert, sive nostri juris simus sive alieni, sive parens nos habeat in potestate sive magistratus pater publicus, iisdem legibus semper sumus obstricti. Hoc tantùm

intereſt, quod qui in poteſtate habet, poteſt nonnulla jubere aut vetare proprio imperio, quæ alter in poteſtate non habens impetrare debet auxilio magiſtratus. Sed non refert magni, utrinq; eadem æquitas, idem jus ſpectatur: poteſt mater, ſi æquum poſtulat, patriam poteſtatem exercere per patrem publicum & poteſtatem prætoris. Quod autem nulla matria poteſtas conſtituta fuit, quâ liberos inſcio magiſtratu cogere poſſent, cauſæ ſunt graviſsimæ. Eâ enim ratione mulieres contra naturæ ordinem acciperent imperium in maſculos, cum illæ à viris regi debeant *Gen. 3. v. 16. 1. Cor. 11. Eph. 5. l. 1. D. de Senator.* Et incideret eadem poteſtas in uxoratos, ut mariti ex matrum ſuarum arbitrio cogerentur regere ſuas uxores & familias: quam eandem poteſtatem haud dubiè etiam ſocrus exercere vellet in generum. Quid tum patres agerent? Si illi quoq; poteſtatem in liberos haberent, duplici aut quadruplici ſubjicerentur privatæ poteſtati: ſi verò illis imperium omne abrogaremus, ſolæ matres præciperent. Quid ſi matres, defunctis maritis, ad ſecunda vota procederent, an liberos ſuos in poteſtate retinerent ipſæ maritorum poteſtati ſubjectæ? an verò etiam liberos vitrici poteſtati ſubjicerent? Item, ſi quæ viduo nuberet, an poteſtatem matriam in liberos ejus anquireret? Vides, opinor, quàm turpis & periculoſa familiarum & ordinis naturalis ſecutura eſſet conturbatio. Sed multò adhuc intolera-

lerabiliùs eadem poteſtas matria incideret in perſonas publicas, in conſules, in reges & principes. Regerentur reſpub. à mulieribus, & publici patres ſub privatarum matrum eſſent poteſtate: quid eo abſurdius? Rectè ergò matribus denegata fuit poteſtas in liberos, & rectè conſtituti ſunt quidam tollendæ privatæ poteſtatis modi, ut parentes eo abuti non poſſint, & magiſtratus publici imperium, quando id per privatum patrem exerceri non expedit, ad ſe recipere queant. *Inſtit. quib. mod. jus pat. pot. toll.* Qua in re nihil adimitur parentibus, niſi ut paucula illa, quæ alias privatâ autoritate expedire potuiſſent, per magiſtratum impetrare jubeantur. Interim liberi parentibus naturalem honorem & gratitudinem debent, quæ tàm latè ſe extendunt, ut raro quid eveniat, quapropter liberi ob defectum privatæ poteſtatis ad magiſtratum ſint vocandi. Ad conſenſum parentum in liberorum nuptiis præſtandum, dico quod filiusfam. quem pater aut magiſtratus ſui juris nondum fecerunt ſine patris ſui conſenſu uxorem ducere nequeat, niſi cum pater ſuâ poteſtate abutitur, tùm enim implorato magiſtratus auxilio illum agere poteſt, ut quod æquum bonumq; eſt faciat, non obſtante poteſtate privata. *l. cap. 19. D. de ritu.* Quod matris conſenſus hic non requiritur vel non neceſſarius eſſe dicitur, cauſæ hæ ſunt: Quia filius non potuit in duplici privata poteſtate eſſe, ob cauſas ſupra indicatas. Deinde non debuit privata

vara mulieri dari potestas impediendi nuptias in quas maritus, socer, & filius adultus, tres viri consensissent, vel etiam (si fortè patrum nemo sit superstes) in quas solus filius consensisset. Si putat se iniquè lædi, convenire potest magistratum: at privatam tantam potestatem mulieri in familias & viros dare non fuit utile. Præsumuntur viri qui uxores ducere volunt tantùm consilii habere ac mulier, & personas cum quibus contrahunt melius nosse: matres sæpè nesciunt quid consulant suis liberis, quidve velint. Tandem, si in jure naturali læsa est mater, aut si rationabilem honestamq; exceptionem habet contra filii nuptias, haud dubiè maritus ejus in nuptias filii non consentiet, aut si ille obierit poterit dehortari filium: Si matris monita non audierit, auxilio magistratus illum cogere poterit ut obediat. Si verò in jure civili tantum læsa est, nihil habet quod queratur, quia civilia tanti momenti non sunt, ut propter ea lites excitari debeant quando naturalia sunt salva. Nimia obstinatio nec in patre nec in matre probanda est, quia non possunt in vita humana omnia examusim haberi, *summum jus summa injuria*. Ignoscendum aliquando juvenili fervori, & cogitandum nos quoque interdum nostros liberos offendere. Discamus illud Mitionis *ap. Terent. Do, prætermitto, non necessum habeo omnia pro meo jure agere*: & quod Iureconsulti dicunt, *patriam potestatem in pietate consistere non in atrocitate L. Divus. 5. D. de l. Pomp.*

Digitized by Google

Pomp. de parricid. Sed homines nostri, cum aliquantulum juris habent, eò inhumaniter & rigidè uti volunt: cum verò judex humanitatem summo juri præfert, & suadet aliquantulum indulgere amori, tum cœlum terramq; cient clamoribus, & obtestantur se contra jus & fas iniquissimè lædi. Si quis talibus clamoribus se moveri patiatur, ut crediderit jus civile toties abjiciendum, quoties id iniquitatis accusatur ab iniquis litigatoribus, nec naturale nec canonicum ab iis defendere poterit. Filias verò jus noluit sine matrum consensu nubere, quia illarum conditio matribus melius nota esse videtur, nec possunt illæ alienæ familiæ vel officiis publicis tale præjudicium facere ut masculi. Si tamen pater sit superstes, ejus consensus meritò præfertur: aut si mater filiæ suæ honestam conditionem quærere nolit, suaq; potestate iniquè abutatur, conceditur etiam filiabus ut sine matrum consensu nubant. *l. 1. & 18. C. de nupt.* Est hoc universale, ut omnium parentum exceptiones & petitiones si æquæ & bonæ sunt audiantur, sive in potestate habeant sive non. Ius nostrum quæ iniqua & contra bonos mores sunt, pro impossibilibus habet, & iniquis petitionibus liberorum aut parentum nunquam patrocinatur. *l. filius. 15. D. de condit. instit.* Nihil ergò est quod jus naturæ hîc lædi putemus, aut ad canonicum jus transfugiamus: leges civiles multò honestiùs & prudentiùs loquuntur de jure matrimoniali quàm Canoni-

nonicæ, minusq; abludunt à jure Mosaico, nec concedunt liberis, ut se clandestinis sponsaliis & perjuris juramentis contra leges & parentum voluntatem obstringant, omniaque jura prætextu juramentorum subvertant, qua de re non est hîc disserendi locus.

An Deus furta probare possit. Quæritur deinde, an Deus aliquando probaverit furta? *ut Gen. 30. v. 31.* ubi Iacobi artificium suâ benedictione promovere videtur. At respondemus, furtum sine affectu furandi non committi: si verò totam historiam inspiciamus, nullum furandi animum in Iacobo posse deprehendi. Pactiones fecerat pro Labano, & legem contractus sibi ab insidioso homine decies mutari passus est: si furto ditescere animum induxisset, alia fraude potuisset uti. Animus malignus, invidus & insidiosus hîc in Labano apparet, non in Iacobo, ut rectiùs dicas Labanum fuisse impium furem, quàm Iacobum. Nam debebatur Iacobo jure naturæ si non dos, attamen merces aliqua, pro viginti annorum servitute tàm dura, quàm vix vilissimum mancipium morti præferret: at impius Laban, vigilantiâ generi ditatus, eum maluisset occidere, vel cum filiabus suis domo extrudere: quis humanus judex id probaret? Si talis causa coram prætore Romano ageretur, eriperet iniquo homini quantum pro tot laboribus tribui æquum putaret: an propterea furtum aut vim faceret? nullo modo: nec vis nec furtum est æqua postulantibus contra iniquos succur-

Digitized by Google

succurrere. *l. continet. 3. §. 1. D. quod met. ca. l. 1. D. de furt.* Idem de Israëlitis *Exod. 12. v. 35.* Ægyptiorum argentea vasa auferentibus dico. Nullus erat in illis furandi animus, multò minus in Deo, qui quæ sua sunt nemini auferre potest, nec opus habet ut alteri subtrahat quod huic donare cupit. Erat justissima merces laborum, & exigua compensatio multarum atrocissimarum injuriarum, quibus ab Ægyptis erant affecti, & prætereà erat donum: nam Ægyptiorum nemo quid reposcebat, sed donabant ultrò, abirent modò, & pro vita sua apud Deum intercederent. Hisce ergò in causis Deus non probavit furtum sed æquitatem, & quando talia in foro occurrunt, non patimur jus civile accusari quasi naturale offendat, quia mens juris naturæ nunquam fuit talibus delictis patrocinari. Hactenus itaq; nihil affertur, quo Deum aut leges nostras contra jus naturæ aliquid egisse probaretur.



Agitur ulterius de vero juris moralis intellectu, & quæstio de polygamia explicatur.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO. EMANUELE

CAP. X.

VEntilabimus adhuc unam quæstionem haud paulò difficiliorem, quam aggravat nobis eruditorum & piorum quorundam autori-

Digitized by Google

toritas. Sed quia tamen permagni interest juris naturæ verum intellectum habere, & nec patrum opinionibus, nec ignorantium exemplis ab eo seduci, ostendemus quomodo interdum per varia inveteratarum opinionum obstacula penetrare, ea commodâ interpretatione amoliri, & ad veram mentem juris naturæ pervenire oporteat. Sic enim voluntatem juris nativi rectè assequemur, divinam ejus immutabilitatem perspiciemus, & ab omni ejus cavillatione ac oppugnatione abstinere discemus. Proposito nostro non ineptam putavimus quæstionem de polygamia, de illa videbimus, an Deus aliquando contra mentem legis suæ dispensarit, & an leges nostræ civiles huic juri aliquid ademerint?

Cur Deus polygamiam tolerârit? Lex conjugii proponitur *Exod. 20. v. 14.* his verbis, *Non mœchaberis*, quam cum Adamo natam esse testantur ipsa Adami verba *Gen. 2.* & Christi, *Mat. 19. v. 5. 6.* Apparet etiam, quæ mens legis conjugalis ab initio fuerit, nempe *ut duo essent una in carne*; Sic enim Adam *Gen. 2. v. 23.* vel Deus ipse *Mat. 19. v. 5.* legem conjugii proposuisse dicitur. Cur ergò Moses polygamiam concessit? cur Deus illam in patribus toleravit? cur Christus excusat Mosen? *Mat. 19.* & cur nostrum jus civile olim divortia concessit, nunc verò polygamiam capitali pœnâ prohibuit? divortia enim polygamiam subinferunt. Si jus naturæ immutabile est, si est Deus ipse, si contra jus morale nec Deus nec homo agere

Digitized by Google

agere debet, unde hæc inconstantia? Nihil est ut maledictis invehamur in Lamechum, qui polygamiæ autor habetur, *Gen. 4. v. 19.* utrum ille primus duas uxores duxerit an non, parùm ad rem facit, de lege & jure quæritur, non de exemplo. Cur viri sancti, Abraham, Iacob, David, & similes, plures uxores duxerunt? cur Deus illis polygamiam indulsit si contra jus naturæ est, & Deus contra se nihil agere potest? Expressum quidem præceptum nullum extat: nam quod quidam opinantur legem de proxima cognata ducenda *Deut. 25. v. 5.* etiam in uxoratum incidere potuisse, ut nec quicquam certi concludit, ita nec illos qui ante hanc legem à Mose latam plures uxores simul habuerunt attingit. Magis ad rem facere videtur quod Deus sanctis suis polygamiam nunquam exprobravit, & Spiritu Sancto in iis habitavit, quod nunquam fecisset, si uxorum pluralitatem improbasset. Patres enim, quia peccatum illud nunquam agnoverunt vel correxerunt, vixissent in perpetuo peccato, egissent contra Deum, & ita Deo placere aut Spiritus Sancti templa esse non potuissent. Deinde, quod Deus per prophetam *2. Sam. 12. v. 8.* ad David inquit, *dedi tibi domum domini tui, & uxores domini in sinu tuo.* Solet autem Deus in piis etiam exiguos nævos corrigere, quia vult illos esse perfectos. *Mat. 5. v. 47.* Video variè responderi à theologis, & quidem ab iis quorum meritò non spernitur autoritas; neque ego cornicum

Polygamia invaluit consuetudine.

Responsiones aliorum cautè accipiendæ.

Digitized by Google

cum oculos configere gestio, attamen ut Cic. 1. de legib. inquit, *vereor committere ut non benè provisa & diligenter explorata principia ponantur.* Patrum nonnulli, vel quod nihil mali suspicarentur, vel quod humanarum virium non est in omnibus æquè perfectum esse. negligentiùs ad hanc quæstionem responderunt: eorum verba quæ cautâ & commoda interpretatione juvari potuerant, alii sinistrè accipiunt, & juris naturæ mutabilitatem eversionemq; inde moliuntur. Advigilemus itaque, ut opiniones, quas sine magna totius juris fraude recipere non possumus, amoveamus, ne hoc cuniculo fundamenta juris suffodiantur.

Polygamia simpliciter prohibita non fuit.

Ambrosius, *lib. 1. de Abraham, cap. 4.* ait: *Sed consideremus primum, quia Abraham ante legem Moisi & ante Evangelium fuit, nondum interdictum adulterium videbatur. Pœna criminis ex tempore legis est qua crimen inhibuit, nec ante legem ulla rei damnatio est, sed ex lege. Non ergò in legem commisit Abraham, sed legem prævenit. Deus in paradiso conjugium laudaverat, non adulterium damnaverat.* Si hanc responsionem simpliciter pro ut verba sonant admiserimus, necessum erit nos falsa confiteri omnia, quæ supra de juris naturalis essentia & origine disputavimus. Ergò lex moralis non fuerit homini naturalis, nec ad nos, qui ex Israëlitis nati non sumus, pertinuerit: poterit etiã quandocunq; voluerimus abrogari: prævenerint etiam legem Lamech, *Gen. 4. v. 19.* Cain, *ibid. v. 8.* & omnes, qui in diluvio perierunt *Gen. 6.* item Ham

Gen.

Gen. 9. v. 22. Abimelech, *Gen. 20. v. 3.* Pharao, *Exod. 1. v. 16. & 22.* & ut summatim dicam, nemo ante Mosen peccare potuisset. Quàm verò hæc inconvenientia sint, & quàm brevi, hoc dato, tota lex & omnis illi inædificata jurisprudentia collapsura foret, cuivis facile est conjicere. Sed quis Theologorum Ambrosio concesserit, nec legem nec Evangelium ante Abraham fuisse? Hoc puto eum dicere voluisse, polygamiam lege naturæ simpliciter prohibitam non esse, ergò eam potuisse ferri, inprimis ante Mosen & constitutam rempub. Israëlitarum, quod tùm minus fuerit scandalosa.

Viri sancti ex ingenio vulgi non judicandi.

Chrysost. *in Mat. homil. 56.* ait, *non est judicandum de patribus pro nostra ratione: tùm enim licebat, nunc non licet.* At hoc non est solvere quæstionem, sed quærenti silentium imperare, nisi fortè ita interpretabimur, quod dicere voluerit, patres non fuisse viros quales vulgò esse solent, ideoq; illis plus licere potuisse. Quomodo verò patres perfectiores fuerint aliis, infra audiemus.

Polygamiâ auxit cœtum piorum.

Augustinus *lib. 3. de doct. Christ. cap. 12. sufficiendæ prolis causa, erat uxorum plurium simul uni viro habendarum inculpabilis consuetudo.* Et *lib. 6. de civ. Dei cap. 38. eo tempore multiplicandæ posteritatis causâ multas uxores habere nulla lex prohibebat.* Et Ambros. iterum, *d. cap. 4. habes primam Abrahæ defensionem. Secunda illa est, quod non ardore aliquo vagæ succensus libidinis, non petulantis formæ captus decore, ancillæ contubernio conjugalem posthabuit thorum: sed studio quærendæ*

Digitized by Google

rendæ posteritatis & propagandæ sobolis. Adhuc post diluvium raritas erat generis humani: erat enim religionis ne quis non reddidisse debitum videretur naturæ. Deniq; & Lothi sancti filiæ hanc causam quærendæ posteritatis habuerunt, ne genus deficeret humanum, & ideò publici muneris gratia privatam culpam prætexuit. Malumus hoc quoque bonam in partem accipere quàm cavillari, ut patriarchæ nonnunquam studuerint alios sibi amicitiæ vinculo obligare, & se propter reproborum multitudinem amicis atque affinibus stipare: quod item numerum piorum suâ operâ crescere & augeri optârint. Veruntamen hæc solutio principalem nodum non tangit, & relinquit post se scrupulos toti legi æquè periculosos, ut nihilominùs videatur concedi, Deum posse contra mentem legis suæ connivere. At Deo nunquam opus fuit impiis mediis ad propagationem hominum; & si sola prolis cupiditas excusationem violatæ legis præberet, etiam promiscuæ libidines & uxorum communiones possent excusari.

Polygamia non fuit scandalosa.

Aliam responsionem afferunt idem Augustinus *lib. 16. contra Faustin. Quia tunc mos erat, peccatum non erat: nunc autem, quia mos non est, peccatum est. & lib. 22. cont. Faust. cap. 47.* in eandem loquitur sententiam. Et Ambrof. *de polyg. Patrum hoc, quando mos erat, crimen non erat.* Hoc dicere voluerunt, non fuisse tam scandalosam ut nunc foret, si iterùm in usum vocaretur; alioqui prava consuetudo neminem excusat.

Si lex

Digitized by Google

Si lex conjugii purè ceremonialis aut politica esset, subscribere possemus illis, qui putant polygamiam in veteri testamento & republ. Mosaica tantùm fuisse concessam: at Christus disertè contradicit *Matth. 19. v. 4.* & ne apicem quidem legis se deleturum ait *Mat. 5. v. 17.* Est in jure matrimoniali morale quid, quod ab initio valuit & immutabile fuit. *Recentiorum correctiones deteriores.*

An ergò dicemus hunc errorem patribus specialiter condonatum, quia gratiâ Dei excidere non potuerint? Ne hoc quidem: quia Deus respectum personarum in sua justitia non habet, nec potest contra se agere.

Multò minus verum esse potest quod quidam opinantur, Deum uxorum multitudinem tantùm civiliter & externè permisisse, at re verâ improbasse: nam Deus non agit hypocriticè, nec habitat in talibus Pseudosanctis, qui similes sunt sepulchris dealbatis, *Mat. 23. v. 27.* Afferenda ergò erit alia responsio, quâ sanctos patres, quos ob polygamiam damnare non possumus, excusemus, & legis moralis immutabilitatem confirmemus.

Diximus supra, mentem legum spectandam, non verba. Verba legis *Exod. 20.* sunt: *non mœchaberis:* si hæc ut sonant acceperimus, fornicationes simplices & aliæ fœdiores libidines non erunt peccata, quod falsum. Explicatio huic legi *Mat. 19. Gen. 2.* addita, quatenus hûc pertinet hæc est, *erunt duo una in carne.* Si hanc quoq; ad literam interpretari voluerimus, non licebit *Mens legis conjugialis quærenda.*

 priore

Digitized by Google

priore conjuge ob adulterium repudiatâ alteram ducere, nec secundæ nuptiæ fuerint concedendæ, quia Deo omnes vivunt *Luc. 20. v. 38.* Penitiùs ergò introspicienda lex est, ut totam ejus mentem assequamur. Vera mens legis mihi hæc esse videtur, ut cum sexu muliebri piè, sanctè, honestè, sine publico privatóve scandalo, amicè & castè vivamus, uxores non propter libidinem exercendam, sed sancto amore ducamus, ut sint adjutoria nostra & casta suscipiendæ sobolis organa. Quæ sit forma, quis finis conjugii, explicavimus supra *cap. 5.* nempe rationabilis, amica & pia societas, casta cohabitatio & generis humani propagatio. Ad hunc finē assequendum via compendiosissima & tutissima est per monogamiam, vix enim est ut amicitia & castitas inter plures æquè observari possit. Delectat plerosq; varietas, & moventur sensus per objecta, ipsæq; æmulationes ad invidiam & libidinem plurimum possunt. Qui tamen eundem finem in polygamia assequi possit, observaverit ille quidem quantum aliàs humanarum virium est, legis finem & mentem, attamen periculosiori ambulabit via. Si verò patres in sua polygamia tam piè, amicè, honestè & castè vixerint ut alii in monogamia, cur non liceat nobis affirmare, illos legem Dei æquè observasse polygamos, atque eam observassent monogami, & Deum illis nihil singulare contra legem indulsisse?

Sancti patres menti legis humaniter satisfecerunt.

[illegible]

Ac de pietate illorum neminem dubitaturum

rum arbitror, quia Deus impios pro suis non agnoscit, & nobis sermo non est de impiorum conjugiis, sed de Abrahamo, Iacobo, Davide & similibus, qui verè & rationabiliter contrahunt matrimonia ut sup. *cap. 5.* diximus. Quod concorditer & amicè vixerint, testatur sacra historia. Non enim uxorum contemptu, sed rogatu earum cum ancillis consueverunt Abraham & Iacob. Fuisse quasdam inter eas æmulationes non est dubium, *Gen. 21. & 30.* at nullæ tales altercationes quæ mutuum amorem extingverent, nec legimus maritos ad verbera processisse. Fribuscula verò exigua, quibus etiam monogamia non caret, imperfectioni humanæ condonari possunt. Nec fuit illo tempore inhonesta aut scandalosa polygamia, quia jam olim ita sensim invaluerat, ut nemo eâ offenderetur. At de castitate omnis oritur dubitatio, videtur enim castitas esse causa monogamiæ, & multitudo uxorum ob solam carnis libidinem esse prohibita, ergò in Deum castissimum peccare polygamos quia magis libidinosi sint quàm monogami. Sed ex puris præsumptionibus & possibilibus nulla necessaria sequitur conclusio. Non sunt necessariò castiores qui unam uxorem ducunt, nec qui plures ducunt, ideò sunt incontinentiores, sed probabiliter & contingenter. Omnes autem præsumptiones, quæ de probabilibus & contingentibus sunt, veritati apparenti applicari & cedere æquum est. Suspiciones illæ sinistræ de

Concordiâ conjugali.

Vitâ honestâ.

Et castitate.

Patres gravantur pravis præsumptionibus.

Digitized by Google

libidine patrum polygamorum, nascuntur ex vulgari hominum ingenio, quod plurimi uxores ducunt ob solam incontinentiam, non ex pio amore. At non oportet sanctos patres ex ingenio vulgi & ex lascivorum juvenculorum cupiditatibus æstimare, sed cogitandum nos loqui de viris perspectæ pietatis, humanitatis & gravitatis. Auget malam suspicionem quod hodiè polygamia est prohibita, & quod neminem videmus sibi multas uxores optare, nisi hominem nullius precii & legum contemptorem: ergò concludunt illi, tales etiam fuisse patres. Sed meminisse oportet, illo tempore uxorum pluralitatem nullâ civili lege prohibitam, nec cuiquam scandalosam fuisse: non duxerunt ergò patres sancti plures uxores in despectum legum, sed legi naturæ quantum pietas, humanitas & castitas ferre poterat, se accommodare studuerunt. Nostri homines nituntur in vetitum, & putant patriarchas idem fecisse, ergò illos quoque fuisse homines nihili. At si polygamia hodiè foret concessa, & nostris oculis intueremur illa mala, quæ patribus ex multitudine uxorum & liberorum obtigisse verisimile est, fortè vix patientissimi & ditissimi viri exorari possent, ut plures ducerent. Et sic de patribus cogitandum est, quod magna humanitas, longanimitas, patientia, & cordis integritas illos permoverit, non libido. Consideremus quæso vitam illorum, & nulla ibi singularis apparebit incontinentia. Abraham in

Respondetur ad illas præsumptiones.

 tanta

Digitized by Google

tanta omnium rerum abundantia, & magna occasione rei venereæ, dulcissimam prolem usque ad annum octuagesimum sextū expectat, quo tempore omnis carnis pruritus & juvenilis calor extinctus esse solet, tùm demum ancillæ suæ noctem indulget consilio & rogatu uxoris suæ, manente interim conjugali amore, *Gen. 16.* Magna ejus viri integritas, humanitas & patientia ex historia sacra nota est. Iacob suam sponsam septem annis ambiebat, castus in ardentissimo amore, quem propter dolum Labani exuere nec potuit nec debuit. Si jure suo uti voluisset expellere poterat Leam, sed apparet magna ejus patientia, quod illam licet minus dilectam retinet, assuetus Labani injurias mussitare. Cum ancillis verò consuescit rogatu conjugum, prolem ancillarum, quia ex charissimo marito concepta esset, pro sua se agnosci turas spondentium, quod & faciebant. Liberos enim earum tanquam ex sese natos exosculabantur, & Deo gratias agebant, quod petitionibus clemens annuisset. David verò potentiam suam confirmare voluit amicis & affinibus, ob solam incontinentiam plures non duxit, quia ejus longanimitas, humanitas & pietas describitur in sacris paginis. Quod si interdum hallucinati sunt sancti patres, & si occurrunt quædam quæ libidini imputari possint, mirandum non est, homines enim fuerunt; sed nos hoc tantum obtinere volumus, non fuisse eos ideò incontinentiores aliis, quod

plures uxores habuerunt. Si patriarcharum pectora religiosa & sancta fuisse fateri cogimur, concedamus etiam eos secundùm legem carnis non vixisse, nam qui carnaliter vivunt Deo placere non possunt. Ut itaq; una conjux neminem necessariò facit castum, ita nec plures uxores necessariò arguunt dissolutum hominem. Potest quis unam habere conjugem, vel nullam etiam, & tamen esse incontinentissimus, nam externa illa præsumptio castitatis, quæ ab uxorum numero sumitur, lubrica probatio est. Multi ob solam libidinem uxores ducunt, ut quasi perpetuam meretricem alant domi, quos ego sanctiores & castiores esse Abrahamo non crediderim. Hieron. *ad cap. 5. epist. ad Ephes.* inquit, *Sicut non omnis congregatio hæreticorum Christi Ecclesia dici potest, nec caput eorum Christus: sic non omne matrimonium, quo non viro suo secundum præcepta Christi uxor jungitur, ritè conjugium appellari potest, sed magis adulterium.* Quasi dicat, non omnes propterea rectè & verè contrahere matrimonium, quòd unam ducant, sed qui piè, castè & rationabiliter contrahunt, ut homines decet. Quidam in matrimonii fine spectant jus bestiale & desiderium carnis, alii verò contrahunt jure humano: ex his illi tantùm verè contrahunt conjugium qui rationem & finem humanum spectant, non qui beluinum, ut sup. *cap. 5.* docuimus. Paulus *1. Cor. 7. v. 19.* inquit; *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei.* & *Rom. 2. v. 28. non est*

Judæus,

Digitized by Google

Iudaus, qui coram hominibus Iudaus est, nec circumcisio est quæ fit in carne: sed qui in abscondito est, Iudæus est, & circumcisio cordis, quæ fit in spiritu, est vera circumcisio. Possibile ergò est, vel contingens, ut quis cum una uxore castiùs vivat, quàm alius cum pluribus. Omnibus in rebus, quas sola cupiditas sine natura fecit necessarias, sola ferè licentia satiat, ut Plut. *in lib. de sanit. tuenda* testatur, & Martial. ad amicam scribit, nolle se, quia liceat, velle si negaretur. Et sic manet quod dicimus, castitatem esse de essentia legis naturalis ac de natura Dei, & Deum contra legem suam nunquam agere. Vidit Deus in patribus castos cordis affectus, & legem spiritus legi carnis prædominantem, ergò contra decalogum nihil egit, quando illis polygamiam indulsit, & concedere potuit ut plures essent una caro, quanquam amicitiæ & castitatis servandæ compendiosior ac tutior modus fuerat, si tantùm duo viverent una in carne. *Deus propter patres contra se non egit.*

Factum verò patrum nobis imitandum non arbitror, quia non opus est ut publicum scandalum suscitemus, Deum tentemus, & nos periculo castitatis mutuæq; concordiæ exponamus. Deus piis condonat errorem, at contumacibus hypocritis dolum non condonat, ut videmus in Abimelech, qui ignorantiâ facti Abrahami uxorem detinebat, cui Deus culpam deprecanti respondet, se errorem condonare, at si eam reddere noluerit, occisurum. *Gen. 20. v. 6.* Lactant. *lib. 6. cap. 13.* ait, *ignoscitur iis, qui ad* *Cur polygami hodiè puniantur.*

pecca-

peccatum imprudenter incauteq; labuntur : veniam non habet, qui sciens peccat. Ideo & nostri magistratus contra legem Dei non faciunt, cum hodiè polygamos tam severè puniunt, quia non posset illa sine magno peccato & scandalo iterum invalescere. Magna est inter nos & Iacobum, nostra & illius tempora dissimilitudo. Erat in illo pius & mansuetus amor; nostri pravâ & ferâ pruriunt libidine: quod illi sancto indulsêre amori, hoc nostri fœdæ postulant lasciviæ : illi nemini erant scandalo: tu, si pius es, nemini scandalo esse voles. Nostræ familiæ & politiæ discerperentur litibus ac querelis, si pluralitatem uxorum introduci pateremur : vivamus ergò ita, ne quid publici privative mali excitemus. Si quis est qui id facere nolit, & putet se nostris legibus insultare posse, privati ganeonis sanguine magistratus autoritatem & publicam salutem conservare non dubitemus. Nemo opinetur nos libidinosorum causam tueri voluisse, sanctum amorem patrum excusare animus fuit, non incontinentibus patrocinari. Cum neminem necessitas cogat plures uxores habere, sed quisq; unâ contentus esse possit, non video cur quis plures simul habere velit, nisi propter scandalum publicum & in legum contemptum.

Hanc verò sanctorum patrum apologiam monstravit nobis Augustin. *lib. 3. de doctr. Christ. cap. 18. & 5. sequentib.* ubi quæstionem de polygamia dextrè explicat, quemadmodum lector ibi

ibi videre potest. Plura vide apud Arnisæum *de jure connubior. cap. 4.*

Ad gradus cognationis quid respondendum sit, ex prædictis patet. Respectu Dei omnes sumus fratres & sorores, sed Deus pudorem & reverentiam sangvinis naturalem in nobis conservari voluit; ergò successu temporis aliquot gradus prohibuit. Adam duxit quasi filiam suam, uxorem ex suo fœmore natam: ejus liberi duxêre suas sorores, quod concedere potuit Deus, quia citra impudentem lasciviam factum fuit. Sed cum malicia & impudentia hominum cresceret, voluit Deus eos religionis metu à commixtione, quam liberi furtim inter se exercere poterant, absterrere, & simul ad amicitiam cum aliis familiis faciendam compellere. Quod ergò ab initio pietati, necessitati, & castitati indulgeri poterat, postea cum scandalosum & periculosum fieret, prohibendum fuit. Moses jussit fratris viduam ducere *Mat. 22. v. 24.* & quidem sub pœna publicæ infamiæ, *Deut. 25. v. 5. & ss.* At Iohannes id Herodi vitio vertit, *Mat. 14. v. 4.* quia non respexerat eum finem, quem Moses *d. cap. 25.* vide etiam Augustin. *lib. 15. de civ. Dei cap. 16.* *Prohibitio graduum unde?*

Divortia verò Moses per se nunquam probavit, sed ob evitationem majorum malorum prohibere non potuit, *Mat. 19. v. 8.* Sic & nostræ leges interdum concedunt divortia, ut evitent deteriora mala. Finis legis conjugalis & omnium aliarum legum, est pietas, amor, castitas, *Divortia cur concessa?*

ſtitas, honeſtas & utilitas, primùm publica vel plurium, deinde privata vel ſingulorum; hûc ſemper reſpiciendum. Peccant qui divortii cauſam præbent, peccant qui ſcandalum excitant, at qui mala prohibere non poſſunt, & ideò è duobus pluribúſve malis eligunt minus, non peccant. Sed video me longiùs evagatum quam putâram, & puto nos oſtendiſſe, quomodo in quæſtionibus obſcurioribus vera mens juris naturæ ſit inveſtiganda, ne eam temerè lædamus, vel à Deo & legibus noſtris læſam eſſe contra veritatem aſſeramus.



Quod etiam ethnici & Jureconſulti Romani jus naturæ ſtatuerint eſſe immutabile.

Cap. XI.

Cum juris naturæ eſſentiam in ratione & divinitate agnoviſſent ethnici, & rationales hominum animas deorumq; virtutes perpetuas eſſe crederent, non dubitârunt etiam jus naturale immutabile ſtatuere. Quia enim, ut ſupra vidimus, naturæ jus de eſſentia rationis, rationem verò nobis cum Diis communem, eamq; ſummam in Iove legem & Iovem ipſum eſſe fatebantur, non poterant jus naturale mutabile pônere, niſi etiam Iovem mutabilem facere voluiſſent. Inde ergò illæ de juris

nativi

Digitized by Google

nativi immutabilitate assertiones, quas superius inspersas non opus est hîc repetere. Iureconsulti naturalis juris constantiam sæpissimè præsupponunt, & expressè de ea loquuntur *l. penult. D. de Iust. & jure. Ius naturale semper æquum & bonum est.* & *l. 10. ibid. Iustitia est constans & perpetua voluntas jus suum cuiq; tribuendi. l. jura sangvinis. 8. l. quod attinet. 32. D. de reg. jur.* Explicatiùs loquitur Imp. *§. penult. Inst. de Iure nat. sed naturalia quidem jura, quæ apud omnes gentes peræquè observantur, divina quadam providentia constituta, semper firma atq; immutabilia permanent.* Sic & Seneca *ep. 66.* dicit rationem esse immutabilem, & Aristot. *5. eth. 10. al. 7.* docet naturæ jus non mutari. Quod verò *l. Ius civile. 6. D. de Iust. & jure* dicitur interdum à jure naturali recedi, & quod Arist. *d. cap. 7.* putat jus naturæ apud Deos quidem purè immutabile esse, at apud homines interdum mutari, quomodo intelligendum sit, supra *cap. 9.* explicavimus, nempe quod interdum cogamur majora mala minoribus postponere, quo ipso jus naturæ re verâ non mutamus sed sequimur, ut *d. cap. 9.* docuimus & *d. l. 6.* innuitur. Sed audiamus nunc sententiam Ciceronis, quâ omnia, quæ superius de jure naturæ docuimus, breviter complectitur. Eam ex *lib. de repub. 3.* citat Lactant. *lib. 6. div. instit. cap. 8.* his verbis. *Est quidem vera lex recta ratio naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando à fraude deterreat: quæ tamen neq; probos frustra jubet aut vetat; nec impro-*

Ius naturæ immutabile statuitur in legibus nostris.

Summa præcedentium verbis Cic. proposita.

improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi nec obrogari fas est, neq; derogari ex hac aliquid licet, neq; tota abrogari potest. Nec verò aut per senatum aut per populum solvi hâc lege possumus: neq; est quærendus explanator aut interpres ejus alius. Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac: sed & omnes gentes, & omni tempore una lex & sempiterna, & immutabilis continebit: unusq; erit communis quasi magister & imperator omnium, Deus. Ille legis hujus inventor, disceptator, lator: cui qui non parebit, ipse se fugiet, & naturam hominis aspernabitur; atq; hoc ipso luet maximas pœnas, etiamsi cætera supplicia, quæ putantur, effugerit. Præclara verba, & miranda ab homine ethnico, quibus Dei justitiam & futurum judicium; hominum naturam, corruptionem & pœnas testatur. Ergò Lactant. *d. cap. 8.* ad ea sic inquit: *Quis Sacramentum Dei sciens, tàm significanter enarrare legem Dei posset, quam ille homo, longè à veritatis notitia remotus, expreßit? Ego verò eos, qui vera imprudenter loquuntur, sic habendos puto, tanquam divinent spiritu aliquo instincti.* Plura pro immutabilitate juris naturæ argumenta & testimonia ex superioribus hauriri possunt, & apud scriptores passim sunt obvia.



Summum hominis bonum omnium confeßione consistere in agnitione & fruitione juris naturalis: hunc esse totius philosophiæ & jurisprudentiæ finem: juris studium ergò meritò magni fieri.

CAP.

CAP. XII.

CUm omnis humana ratio, omnes quas ratio gignit artes & ſcientiæ in bonum ferantur, & ſummi boni inquiſitio, teſte Ariſt. *1. eth. 1.* ad politicos ſeu Iuriſconſultos pertineat, ut ſup. *lib. 1. cap. 2.* indicavimus; & præterea ad noſtri opuſculi argumentum ſpectet, principia juris & philoſophorum ſcripta ex quibus ea hauriuntur, commendare: non alienum fuerit ab inſtituto noſtro, ſi oſtenderimus in plena cognitione & fruitione illius, quod modò explicuimus, & circa quod omnem Iuriſprudentiam occupari diximus, juris naturalis, unamini omnium eruditorum confeſsione conſiſtere ſummum bonum. Nam ita verus philoſophiæ finis & ſcriptorum philoſophicorum uſus monſtrabitur; Iuriſprudentiæ ſtudium honorabitur, & inprimis jus naturale; in quo conſiſtit finis ſtudii noſtri, dulceſcet ac commendabitur. At ne longiùs evagemur, adſtringemus nos ad libros Cic. *de finib.* ex illis præcipuorum philoſophorum opiniones breviſsimè proponemus: ſperamus id ſatis fore, ut quomodo ſtudioſis juris philoſophorum ſcripta legenda & cui uſui applicanda ſint monſtremus, & ut aliorum induſtriam ad ulteriorem inveſtigationem excitemus.

Iuriſconſultos occupari circa ſummum bonū, quod eſt in jure natura.

Principiò nemini ignorare licet decantatum illud omnium philoſophorum Γνῶθι σεαυτὸν, cujus præcepti tanta erat autoritas, ut humanum captum

Cognitio ſui ipſius eſt ſummum bonum.

Digitized by Google

captum superare, soliq; sapientissimo Deo acceptum referri posse videretur. *v. Stob. serm. 19.* Mens praecepti erat, ut disceremus nosmet nosse, hoc est, ut animum & corpus nostrum omnisq; naturae perfectionem in nobis nossemus, qui statuebatur unicus & summus finis, ad quem omnis philosophia anhelaret, ut testatur Cic. *5. de finib.* Idque res ipsa docet: nam cum priores philosophię partes aut lingvarum commercia tradunt, aut rationem acuunt, vel etiam quomodo omnia numero, pondere & mensurâ constent, ostendunt, haec omnia faciunt propter hominem, ob quem omnia haec, & in quo omnia. Homo naturae compendium & miraculum est, in quo apparent omnia quae sub coelo sunt & quae supra, quemadmodum etiam *lib. 2. cap. 5.* naturam in homine suam perfectionem assecutam esse audivimus. Quid enim est in universa natura, quod nos vel admiratione percellere, vel jucunditate delectare posit, & non superetur in homine? Non evagabimur in amplissimum hunc dicendi campum, ut explicemus quomodo humanum corpus omnes campos & colles superet, quomodo omnia elementa per corpus diffusa sint, quomodo ratio coeli lucem vincat & velocitatem. Tantùm id breviter dicimus, stupenda esse omnia, quae sensibus percipi possunt, sed hominem supra omnia, cum quia omnia sunt propter hunc, tum quia in illo, & perfectiora. Necessum est esse nobilissimum ob quod sunt omnia,

omnia; & quod à Deo in omnia accepit imperium. Sed præterea in cognitione hominis est consideratio animæ, quarum cognitionem & usum nobis partes philosophiæ superiores tradunt, ut virtutes animarum nostrarum nosse discamus, nempe quod naturaliter facti & instituti simus ad pietatem, veritatem, justitiam, amorem & reliquas virtutes omnes. Cum ergò tàm divinas animi virtutes, tàm præclara dona sensuum, & artificiosissimam corporis, talium virtutum hospitis ac ministri convenientissimi, structuram consideramus, abripimur in admirationem & inquisitionem tanti artificis, vel certè, ut Paulus *Act. 17. v. 27. Rom. 1. v. 20.* & Christus *Mat. 6. v. 26. 27.* docent, abripi debemus, ut magna cum veneratione & gratitudine animi, hunc ut principium ac causam omnium illorum bonorum adoremus & colamus, quemadmodum Christus & Paulus *d. locis* nobis eum finem sensuum & rationis monstrârunt. Hoc putabant antiqui esse seipsum nosse, nempe nosse res in mundo & hanc mundi habitationem ob hominem constitutam; nosse materiam & formam suam, corpus & animam; nosse efficientem & finem, nempe Deum omnia illa propter nostrum bonum & suam gloriam benignissimè largientem, & per rationalem animam ideò in nobis habitantem, ut gauderet nobiscum, si tota hac rerum universitate & præsentiâ Dei divinarumq; virtutum rationabiliter cum delectatione in Deo frueremur.

Digitized by Google

Hic statuebatur finis & apex totius philosophiæ, naturæ, rationis humanæ, atque etiam ipsius creationis Dei. Summus iste finis est in jure naturæ, quo docemur unde res omnes, quo fine, quomodo iis sit utendum? quis homo? qualis à Deo sit constitutus & propter quid? qualis item sit Deus, quomodo à nobis agnoscendus & colendus? Hæc omnia in lege rationis & jure naturæ esse, ex supradictis liquere speramus. Si ergò ultimus totius philosophiæ finis & summum hominis bonum est, seipsum per cognitionem juris naturæ nosse, sequitur etiam Iureconsultos; ut veros philosophos. *l. 1. D. de Iust. & jure.* circa summum hominis bonum occupari, atq; illud in jure naturali docere.

Cognitio nostri est in jure naturæ.

Consentiunt deinde philosophi omnes, è natura vivere esse summum bonum; nec posse summum bonum statui, nisi in tali quod sit secundùm naturam. Ideò apud Cic. *1. de finib.* Epicurei disputant, eam in qua summum bonum Epicurus ponat voluptatem, esse secundùm naturam, & Epicurum suam de summo bono opinionem quasi exaudita voce naturæ didicisse ac tradidisse. Non negat Cicero summum bonum secundùm naturam esse debere, ergò *lib. 2. de finib.* Academicos & peripateticos philosophos in eo consentire docet, cum ait: *Ex quo nata est sententia veterum Academicorum & Peripateticorum, ut finem bonorum dicerent secundùm naturam vivere, id est, virtute adhibitâ frui primis à natura datis.*

Summum bonum secundùm naturam est.

datis. Consentiunt Stoici, quorum causam cum Cato *lib. 3. de finib.* suscepisset, & summum bonum in virtute consistere obtinere vellet, primùm id persuadere studet, virtutem esse secundùm naturam, *virtuti*, inquit, *hoc proprium est earum rerum, quæ secundùm naturam sint, habere delectum*, & inferiùs: *Initiis igitur ita constitutis, ut ea quæ secundùm naturam sunt, ipsa propter se sumenda sint, contrariaq; item rejicienda: primum est officium, (id enim appello καθῆκον) ut se conservet in naturæ statu: deinceps, ut ea teneat quæ secundùm naturam sint, pellatq; contraria.* Et paulò post; *Cum illa quæ officia esse dixi, proficiscantur ab initiis naturæ, ad ea hæc referri necesse est: ut rectè dici possit, omnia officia eò referri, ut adipiscamur principia naturæ.* Et cum docuisset ad obtinendum summum bonum opus esse sapientiâ, putat sibi probandum esse quod etiam sapientia (vel, ut nos suprà docuimus, ratio) sit secundùm naturam. *Cum autem*, inquit, *omnia officia à principiis naturæ proficiscantur, ab iisdem necesse est proficisci ipsam sapientiam.* & iterum: *Circumscriptis igitur iis sententiis quas posui, & iis quæ similes earum sunt, relinquitur ut summum bonum sit, vivere scientiam adhibentem earum rerum, quæ naturâ eveniant, seligentem quæ secundùm naturam, & si quæ etiam contra naturam sint, rejicientem, id est, convenienter congruenterq; naturæ vivere.* Et paulò inferiùs iterum concludit: *Ego assentior Diogeni, qui bonum definierit id quod esset naturâ absolutum.* vide etiam Laërt. *in Zenone*, ubi Stoicorum de summo bono sententia enarratur, & Senec. *ep. 66.* ubi expressè docet

 sum-

Digitized by Google

summum bonum esse secundùm naturam & rationem vivere. Peripateticorum opinionem repetit Piso *in 5. de finib.* ejusq; summam his verbis complectitur: *Ex quo intelligi debet, homini id esse in bonis ultimum, secundùm naturam vivere: quod ita interpretemur, vivere ex hominis natura undiq; perfecta & nihil requirente.* Eadem est opinio Arist. *in 1. Ethic.* & aliorum philosophorum, ex quorum opinione supra posuimus legem rationis esse homini naturalem, *lib. 1. cap. 7. 9.* eam consentire cum voluntate Dei, *cap. 8.* & cum Deo communem esse, *cap. 10.* Item quod ea jubeat bonum *lib. 2. cap. 3.* seu virtutes hominis naturæ convenientes *lib. 3. cap. 2. & seq.* & Deo essentiales, *cap. 8.* hæc enim omnia cohærent & sese mutuò confirmant. Nec verò res aliter se habere potest: cum enim summum bonum necessariò ponatur tale, quod omnes unicè & per se appetunt, natura autem contra seipsam nihil appetere possit, sequitur summum bonum in eo ponendum, quod maximè sit secundùm naturam, & quo omnes naturæ appetitus unicè ac finaliter diriguntur. At nihil magis est secundùm naturam quam jus naturæ: hûc omnis ratio, hûc appetitus, voluntates & habitus virtutum contendunt, hoc optamus, hoc suspiramus, hoc laudibus ad cœlum efferimus, in hoc essentiam, beatitudinem, & perfectionem Dei statuimus, in hoc solo acquiescimus. In juris naturæ fruitione ergò consensu omnium philosophorum est summum bonum: & Juris-

At nihil magis est secundùm naturam quam jus naturæ.

Iurisprudentia circa summum bonum est occupata.

Præterea nec in hoc dissident Philosophi, summum bonum ponendum esse tale quod per se expetatur, ut Cic. *1. de finib.* inquit: *Quærimus quid sit extremum, quid ultimum bonorum: quod omnium philosophorum sententiâ tale debet esse, ut ad id omnia referri oporteat, ipsum autem nusquam.* Et Arist. *in 1. Eth.* docuit non posse summum bonum, nisi in ultimo fine statui quem omnia appetant, cum ipse propter se tantùm expetatur. Tale quid est jus naturale: nam cognitione Dei & naturæ, omnibusq; divini & humani amoris fructibus perfrui, omnibus divinis virtutibus ornatum coruscare, est summo æternæ vitæ ac gloriæ bono cum Deo & beatis gaudere. Ipsa divinitas in eo acquiescit, quid homo ampliùs optare posset? Ex quo iterum videmus juris naturæ perfectionem & Iurisprudentiæ præstantiam.

Summum bonum per se expetitur.

Ius naturæ per se expeti.

In hoc solo non consonant Philosophi, quod jus naturæ ejusq; virtutes non omnes uno nomine expresserunt. Nam ut cuiq; fructus aliquis juris naturalis maximè arrisit, ita se in ejus considerationem penitiùs immersit, & cum tandem omnium virtutum concursum una in radice perspiceret, putavit se invenisse verum illud caput in quo omnes sint virtutes, ergò reliquas virtutes omnes retulit ad id caput & nomen, quod maximè amplexus fuit. Qui mansuetiori & molliori fuerunt pectore, suaviora

Philosophi de summo bono magis dissonant quam dissentiant.

Digitized by Google

exosculati sunt nomina, severioribus placuerunt duriora: planè ut in vita humana sæpè videmus eandem sententiam à pluribus commemoratam, ob styli, ordinis, verborum & affectuum varietatem non eandem videri.

Summum bonum Epicureorum.

Epicurei summum bonum statuebant *in voluptate*: at quam voluptatem intelligerent, explicat nobis Torquatus apud Cic. *1. de finib.* nempe rationabilem & homine dignam: ideò inquit: *Consequuntur magni dolores, qui ratione voluptatem sequi nesciunt.* & mox: *At verò eos accusamus & justo odio dignißimos ducimus, qui blanditiis præsentium voluptatum deliniti atq; corrupti, quos dolores, quas molestias excepturi sint, occæcati cupiditate non provident, similiq; sunt in culpa, qui officia deserunt mollitiâ animi, id est, laborum & dolorum fugâ.* Et paulò post iterum ait: *Sapientia est adhibenda, quæ & terroribus cupiditatibusq; detractis, & omnium falsarum opinionum temeritate direptâ, certißimam se nobis ducem præbeat ad voluptatem.* Requirit ergò Epicurus voluptatem quæ ratione regatur & sapientiâ, quæque vacet pravâ cupiditate, ut iterùm ibi docet Torquatus, cum ait: *Cupiditates sunt insatiabiles, quæ non modò singulos homines, sed universas familias evertunt, totam etiam labefactant sæpè rempub. Ex cupiditatibus odia, dißidia, discordiæ, seditiones, bella nascuntur. Nec hæ sese foris solùm jactant, nec tantùm in alios cæco impetu incurrunt: sed intus etiam in animis inclusæ inter se dißident atq; discordant. Ex quo vitam amarißimam necesse est effici, ut sapiens solum, amputata circumcisaq; inanitate omni, & errore, naturæ finibus conten-*

contentus, sine ægritudine possit & sine metu vivere. Vides Epicurum omnem cupiditatem penitus damnare, tanquam fontem omnium quæ in nobis & extra nos existere possunt malorum, & requirere voluptatem quæ sapientiâ, temperantiâ, fortitudine & justitiâ sit ornata, quæ sit honesta, flos, fructus & finis omnium virtutum, ut Torquatus ibidem de singulis copiose disserit. Et cum sciret quæ turpis opinio Epicureis affingeretur, dicit de talibus voluptatibus Epicurum nunquam esse locutum: *clamat Epicurus, is quem vos nimis voluptatibus deditum esse dicitis, non posse jucundè vivi, nisi sapienter, honestè, justeq; vivatur: nec sapienter, honestè, justè, nisi jucundè.* Exigit præterea Epicurus in voluptate humanitatem & beneficentiam, ut neminem offendat, sed omnes homines & imprimis viros bonos ardentissimè diligat: *Omnium rerum,* inquit, *quas ad beatè vivendum sapientia comparaverit, nihil esse majus amicitiâ, nihil uberius, nihil jucundius.* & inferius: *eodem modo sapiens erit affectus erga amicum, quo in seipsum,* & paulò post: *sunt qui dicunt fœdus quoddam esse sapientum, ut ne minus amicos quidem quam seipsos diligant.* Hoc itaque bonum Epicurus sua lingvâ vocavit ἡδονὴν latini *voluptatem* nuncupant, ut Cic. *2. de finib.* docet. Et quamvis Latini eo verbo etiam lætitiam animi, cum quid volupe est, & jucunditatem quæ rationabiliter percipitur indicent, videntur tamen vim Græci non in totum assequi. Illud certum est, Epicurum nunquam intellexisse eam carnis tit[illegible]ionem & belui-

Digitized by Google

boluinam delectationem sensuum, quæ vulgò voluptas vocatur. Ideò Torquatus *d. lib.* 1. voluptatis appellationem sæpiùs & variè explicat, eamq; interpretatur *animi pacem, tranquillitatem, animi tranquillitatem, quietem, jucunditatem*; Item *in fine d. libri placatam, tranquillam, quietam & beatam vitam*. In tali voluptate putat Epicurus constituendum esse summum bonum, quia sit secundùm naturam, & unicus hominum finis, ob quem virtutes omnes expetantur & exerceantur, quo adepto nihil amplius appeti possit, cum nec Deus ipse supra beatitudinem quid expetendum sciat, & æterno cruciatu nihil dari queat miserius. *Ad ea*, inquit, *cum accedit ut neq; divinum numen horreat, nec præteritas voluptates effluere patiatur, earumq; assiduâ recordatione lætetur, quid est quod huic possit, quod melius sit, accedere? Statue contra, aliquem confectum tantis animi corporisq; doloribus, quanti in hominem maximi cadere possunt, nullâ spe propositâ, fore levius aliquando, nullâ præteritâ nec præsenti, nec expectatâ voluptate: quid eo miseriùs dici aut fingi potest?* Hæc Epicuri & eruditorum illius sectæ virorum de summo bono erat sententia, ex qua certè nihil aliud colligere possum, quam quod statuerint summum bonum esse, si toti, corpore & animâ, jure naturæ in æterno gaudio & vita beata cum Deo & beatis perfrueremur, hoc est, si beati essemus. Suspectam fecit Epicuri sententiam quod corporis voluptates non exclusit à summo bono, ergò visus est Veneri, Baccho & Cereri primas deferre: at ille

ſatis explicârat, quam voluptatem intelligeret, ut ea ſuſpicione prægravandus non fuiſſet. Corpus verò & gaudia corporis à tali voluptate excludere non debuit, quia corpus eſt eſſentialis pars hominis, quæ plurimum poteſt ad auctionem gaudii vel doloris. Nam quandiu gaudium vel dolor extra corpus ſunt, ſola expectatione percipiuntur, per fidem, ſpem, deſiderium, conſcientiam vel timorem; at quando dolores ſunt in corpore, tum facultas ſenſitiva & vegetativa compatiuntur ſimul, ipſumq; corpus eſt quaſi carcer doloris, ex quo non licet effugere. Docent id inprimis exempla ægrotantium, quibus ulcera aut membra ſecanda ſunt: dum metuunt dolores, triſtitiâ affliguntur, at cum lacerationem carnis ſentiunt, clamant: & tamen dici poſſet rationem hîc non affligi, ſed potius delectari & recreari à medico, ſpe ſalutis & ceſſationis omnium dolorum. Sed etſi ratio ſit ſupra ſenſus & ſæpè contra ſenſus conſulat, per ſenſitivam & vegetativam facultatem tamen corpori inſita, innata, innexa & unita eſt, ut ad impoſsibilitatem uſq; difficile ſit, dolente corpore & ſenſibus, ſolam rationalem animæ facultatem non affligi. Cum autem accedunt dolores facultati ratiocinativæ propriæ, mala conſcientia & liberationis deſperatio, tum neceſſum eſt hominem eſſe in plenitudine cruciatuum, & in ſummo malo. Ergò concludebat Epicurus illum è contra in plenitudine beatitudinis & in ſummo

bono

Digitized by Google

bono esse, qui & corpore & anima eâ, quam ipse intelligi volebat, voluptate in æternum frueretur. Longè superavit Stoicos Epicurus, nam illi summum bonum in virtute statuebant, eoque homines frui posse putabant etsi corpus omnibus cruciatibus subjaceret. At summum bonum debuit statui secundùm naturam, non rationis tantùm, sed totius hominis, quia actiones sunt totius compositi, ut docuit Arist. *1. de an. t. 64.* Plotin. *en. 1. lib. 1.* corpus autem est pars homini essentialis, & virtutes morales, quæ in parte animæ bruta hærent, ac sine corporis auxilio exerceri non possunt, æquè sunt de natura atq; virtutes mentis, & impossibile est, corpore & sensibus dolore ejulantibus, animum solùm exultare, & se summo in bono positum esse opinari. Quicquid homini competit, etsi alterutri parti primò competat, tamen toti homini competere statuendum est, alioquin pars hominis falsò sumitur pro toto, & ponitur quid competere homini ut non homini, cum una pars hominem non constituat. Anima & corpus naturaliter omnes actiones & passiones humanas habent communes, quod nullo exemplo theologico aut philosophico potest infringi. Deus enim hominem ita condidit, ut anima & corpus constituant unum totum: ergò quod utriusq; partis non est, hominis non est; cum una pars non sit homo. Hoc Stoici non considerârunt, qui hominis partem essentialem à bono humano exclu-

excludi posse putârunt; Epicurus in eo meliori ratione usus est, qui putavit humana bona ad totum hominem pervenire debere. Quod autem Epicurea secta posteà pessimè audire cœpit, culpa penes quosdam degeneres fuit, qui magno Epicuri nomine, & sectæ illius auctoritate ad beluinas corporis voluptates excusandas abusi sunt, & virtutes rationis, quas Epicurus in sua voluptate unicè requirebat, ab ea excluserunt. Qui verò ipsi Epicuro & eruditis ejus sectatoribus (quorum permultos habuit) beluinam istam opinionem & vitam, quæ Epicureis vulgò opprobratur, objiciunt, *illi profectò, inquit Laërt. in vita Epicuri, insaniunt*, & Epicuri mentem nunquam perceperunt. Ipse Seneca *in lib. de beata vita cap. 13.* testatur *Epicurum sancta & recta præcipere, & nequaquam flagitiorum magistrum esse, immeritoq; malè audire:* En præclarum de Epicuro testimonium ab homine Stoico, ex eo loco quo ipse contra vulgus Epicureum disputavit. Idem Seneca sententias Epicuri sæpissimè laudat in suis epistolis, & *ep.18.* testatur Epicurum tàm frugaliter vixisse, ut ne totum assem quidem singulis diebus absumpserit, quod confirmat Laërt. *d. loco. v. Piccol. gr. mor. 9.* Ex hac itaq; vera Epicuri opinione colligimus, illum summum bonum in plena juris naturalis fruitione posuisse, quia in eo sunt omnia quæ Epicurus in summo fine desiderat. Voluptatis autem seu τῆς ἡδονῆς appellatio Epicurum maximè demul-

Summum bonum Epicuro jus natura.

demulsit, ut gratiosissima & dulcissima, quapropter illâ omnia complecti voluit.

Stoicorum summum bonum.

Sufficiant illa de Epicureorum sententia; videamus, quomodo etiam alii philosophi summum bonum in jure naturæ ponant. Stoicorum sententia erat, finem ultimum *in virtute* statuendum, quam apud Cic. *3. de finibus* defendendam suscipit severus Cato, his ferè argumentis. Quia virtus sit honesta & bona: nullum autem dari verum bonum nisi quod simul sit honestum, summum bonum ergò, cum verè bonum esse debeat, necessariò ponendum esse tale quod maximè sit honestum. *Consectaria*, inquit, *me Stoicorum, brevia & acuta delectant. Concluduntur igitur eorum argumenta sic: quod est bonum omne laudabile est: quod autem laudabile est, omne honestum est: bonum igitur quod est, honestum est.* Probat deinde virtutem secundùm naturam esse, quia quærat ea, quæ sint naturalia, *virtuti*, inquit, *hoc proprium est, earum rerum quæ secundùm naturam sint, habere delectum.* Inprimis verò dicit contineri virtute dona animi, quæ maximè sint secundùm naturam humanam, ut sapientiam. Hanc iterum ostendit secundùm naturam esse & omnia in se complecti. *Cum autem*, inquit iterum Cato, *omnia officia à principiis naturæ proficiscantur, ab iisdem necesse est proficisci ipsam sapientiam.* & paulò post; *Sola sapientia in se tota conversa est.* & iterùm: *Sapientia enim & animi magnitudinem complectitur, & justitiam, & ut omnia, quæ homini accidant, infra se esse judicet.* Reliqua Stoicorum argu-

argumenta inde peti possunt. Amplectebantur hanc opinionem viri severiores, (ut ferè omnes Stoici tristiores & morosiores fuêre) qui putabant nomen & suspicionem voluptatis à se longè abesse debere. At in eo vehementer errârunt, quod opinati sunt virtutes & facultates animi ad corpus nihil attinere, & summum bonum in solo animo consistere posse, ut in omnibus miseriis & cruciatibus corporis homo tamen possit beatissimus esse, si modo animo suo virtutibus frueretur & delectaretur, *v. Senec. epist. 66. 71. 92.* Id verò impossibile est: quo enim modo animus in summo bono delectari potest, quando corpus, animi hospes & agnata pars, est in cruciatu? non potest animus perpetuò patiens, tranquillus, & secundùm virtutum præscripta compositus esse, quando videt sibi in miserrimo corpore esse habitandum. Cur nemo citiùs desperabat & interficiebat se quàm Stoicus, si summum bonum est solius animi, & secundùm naturam esse poterat, dolores corporis & qui eos inferre vellet, non odisse ac fugere? Absurdum est præterea summum bonum secundùm naturam statuendum fateri, & alteram essentialem humanæ naturæ partem ab eo excludere: perinde quasi dicas in Deo exultare posse animas in corporibus æterno cruciatui damnatis habitantes; facultates animæ vivo in corpore divelli, rationemque à sensibus sano in homine perpetuò avocari posse; Deum amare, ejusq; justitiæ admiratione se conso-

Digitized by Google

consolari ac compescere posse, qui sibi æternos ab eo metuant cruciatus. Tale bonum non est naturale, quia naturam hominis discerpit, & omnes essentiales hominis partes, in quibus percipiendum erat bonum, (ratione solâ secundùm Stoicorum opinionem exceptâ) summo malo excruciat. Cum autem natura à sui direptione & cruciatu abhorreat, non possumus non metuere tale bonum, & tàm pessimi boni largitorem odisse, quicquid etiam dissimulemus aut fingamus, ut Seneca *4. de benef. cap. 19.* ait: *Deos nemo sanus timet. Furor est enim metuere salutaria. Nec quisquam amat quod timet.* Est enim Stoicum bonum externa tantùm specie bonum, & fingitur magni animi atque fortissimi viri esse, ut qui rationem perfectè in potestate habeat; qui eam omnibus sensibus opponere possit; qui solâ sapientiâ suâ sensus perpetuò compescere queat, ne sentiant quod sentiunt; qui potestatem vitæ beatæ vel miseræ in seipso habeat; qui possit sibi etiam in exquisitissimo & crudelissimo corporis dolore de vita & virtute tanquam de summo bono suo gratulari. Sed in rei veritate & intimo recessu hoc bonum verè appelles summum malum, nec est magni, sed efferati & insani animi nullis affectibus moveri & naturalem sui ipsius suorumq; amicorum amorem abnegare, ut Plut. *lib. de consolat. ad Apoll.* rectè judicavit. Et mirareris Stoicos tàm crudelem opinionem amplecti potuisse, nisi id sæpiùs eveniret ut multi ex falsis

suis

Digitized by Google

ſuis præſuppoſitis, in quibus ſe primò à veritate declinare credere nolunt, tandem in ultima abſurda illiſi, quia præmiſſa omnia certiſsima ſibi perſuaſerunt, errores ſuos agnoſcere non poſsint, atq; eos vi præſuppoſitorum ſuorum pertinaciùs quàm rationabiliùs defendere cogantur. Ut Anaxagoras nivem atram ſtatuere coactus eſt, & Epicurei tandem cogebantur Deos negare, & mundos infinitos ex atomis ſuis exſtruere, cum tamen ipſi ſæpè ſibi contradicerent, & ſe nihil minus quàm hoc velle proteſtarentur, concluſionem tamen ex ſuis præmiſsis negare non poterant; ita Stoici ex ſuis præſuppoſitis cogebantur defendere, id à quo aliàs abhorrebant, & pro ſummo bono amplecti quo nihil inhumanius fingi poterat. Magnifica verò illorum verba & pertinacia erroris, id quod re verâ falſum & crudele erat edulcare non poterant. Multi etiam in ultima deſperatione ſe ſimulant fortes, & grandia crepitant verba ex efferatione deſperationis. Ut ignavi milites quando imprudentiùs progreſsi ſunt, & jam undique circumventi pugnare coguntur, laudant mortis contemptum eoque ſe coràm commilitonibus ſuis jactant, ſuoq; duci ſelectiſsimi milites videri volunt, cum interim præcordia horrore mortis rigeant, & verba vultusque ſubinde prodant timorem, ipſique nil mallent quàm obvoluto capite iſtinc avolare, ſi poſſent: Ita videas ſæpius eos qui ſe properantiùs per falſa opinionum principia in quæſtio-

nes difficiles immisêre, iteratis vicibus nunc hoc, nunc illud tentare, & tandem, quando nullus patet exitus, desperatione indignabundâ in aliquid ferri, quo tanquam arrepto telo, quia necessario ergò optimo, pugnent, non ut qui spem aliquam salutis fovent, sed ut qui rabidi in vulnera & mortem ruere, quàm se victos fateri malunt. Talem se in desperatione salutis patriæ depingit Æneas, *2. Æn. Virg.*

Arma amens capio, nec sat rationis in armis,
Sed glomerare manum bello, & concurrere in arcem
Cum sociis ardent animi, furor iraq; mentem
Præcipitant, pulchrumq; mori succurrit in armis.

Et paulò post iterum statuit:

—— moriamur, & in media arma ruamus,
Una salus victis, nullam sperare salutem.

Stoicorum bonum esse in jure natura. Cæterùm quicquid Stoici errarint, apparet tamen eos summum bonum ponendum putasse in iis quæ sint secundùm naturam, & in virtutibus quas in jure naturali esse suprà probavimus, quod etiam Laërt. *in Zenone,* ubi Stoicorum opiniones commemorat, ostendit. Concludimus ergò nec Stoicos negare posse summum bonum esse in fruitione juris naturalis.

Summum bonum peripateticorum. Peripateticos non longè à Stoicis recedere Cicero *in 3. 4. & 5. de finib.* aliquoties monuit, ut eos putet verbis tantùm dissentire, non re ipsâ. Arist. verò *1. Ethic.* summum bonum posuit in fœlicitate, ad fœlicitatem in plena possessione ac fruitione virtutum animi ac corporis collo-

cat.

Digitized by Google

cat. Mihi videntur Peripatetici propiùs abesse ab Epicureis quam à Stoicis. Nam quam Epicurus vocavit voluptatem, Aristoteles fœlicitatem, idem est finis: beatitudinem uterque intelligit, Aristoteles autem generaliori & minus scandalosa usus esse videtur appellatione. Sed quæro quâ in re consistat Peripateticorum summa fœlicitas? quid respondeat Aristoteles, audivimus: Est autem nihil aliud quam si dixisset in fruitione juris naturalis.

Plato putavit summum bonum esse, in cognitione & imitatione Dei virtutibus frui, August. *de civ. Dei lib. 8. c. 9.* vide Plotin. *en. 1. lib. 4.* ubi ostendit in intellectu & praxi virtutum consistere vitam beatam.

De aliorum philosoph. opinionib.

Hæ fuère præcipuæ philosophorum sectæ, ex quibus Epicurea pessimè audivit, quanquam pessima non esset. Solum enim voluptatis nomen, opinionem Epicuri suspectam reddidit & malè audire fecit, inprimis apud Latinos. Fuitq; haud dubiè valdè scandalosum summum bonum in voluptate ponendum docere, cum facilè potuerit conjici quam voluptatem indomita plebs esset intellectura. Sæpè probam sententiam unica vocula ut formosam faciem una cicatrix deturpat, quæ cum primum communi contemptu depressa est, tum metus, communis error & contradictio officiunt, quò minus erigi possit. Nos verò, quos non decet ex vulgi erroribus pendere, philosophorum mentem & consonantiam ex eo deprehendimus,

quod unanimiter omnes easdem virtutes ad summum bonum obtinendum requisivêre. Et ita nobis virtutum decalogi naturalis notitia, amor, unitas, & intrinseca conformitas confirmantur. Ad hæc capita opiniones omnium reliquorum philosophorum, quorum Cic. *2. de finib. & alibi passim* mentionem facit, referri possunt, quod copiosiùs persequi nunc non est opus. *vide Augustin. de civ. Dei lib. 19.*

Philosophorum errores.

Est autem in singulis opinionibus aliquid quod reprehendere possis, quia philosophi, cum luce verbi divini destituerentur, ad plenam summi boni cognitionem adspirare non potuerunt. Multa etiam ipsi philosophi sibi invicem objecerunt, in quibus sese mutuo non satis intellexerunt, aut verbis tantûm discreparunt. Fuêre etiam omnibus in sectis aliqui, qui suorum præceptorum opiniones malè intellectas pejus interpretarentur, & pessimè audire facerent. Nam quis ignorat quam impii, rudes & impudentes tenebriones inter philosophos numerari voluerint? horum vitia nihil ad philosophiam ipsam attinent. Satis sit nobis ostendisse philosophos, licet gentilibus in tenebris errarint, tamen vi rationis dulcedinem & præstantiam juris naturæ non potuisse non sentire ac fateri tantam, quin in eo summum bonum ponendum esse testarentur.

Jurisprudentia dignitas.

Magna verò Jurisprudentiæ laus est quod philosophi omnes fatentur scientiâ & fruitione juris naturæ, tanquam possessione summi boni

nihil

nihil sublimius, præstantius aut utilius esse, & illud studium, quod in summo hominum bono indagando atque obtinendo occupatum est, summum esse, id veros philosophos summæq; eruditionis ac dignitatis viros maximè decere, nec à principum autoritate alienum esse. Sic enim *1. de finib.* Cic. *Quid est in vita tantoperè quærendum, quam cum omnia in philosophia, tum id quod his libris quæritur, quis sit finis, quod extremum, quod ultimum, quò sint omnia benè vivendi, recteq; faciendi consilia referenda? quid sequatur natura ut summum in rebus expetendis? quid fugiat ut extremum malorum? qua de re cum sit inter doctißimos magna dissensio, quis alienum putet ejus esse dignitatis, quam mihi quisq; tribuit, quid in omni munere vitæ optimum & verißimum sit exquirere?* In cognitione & possessione summi boni omnis philosophiæ & humanæ sapientiæ finem contineri idem docet *lib. 2. de finib.* ubi ait: *Omnis summa philosophiæ ad beatè vivendum refertur, idq; unum expetentes homines, se ad hoc studium contulerunt.* & *5. de finib. Qui de summo bono dissentit, de tota philosophiæ ratione dissentit.* ibiq; paulò post: *hoc constituto in philosophia constituta sunt omnia. Nam cæteris in rebus sive prætermissum, sive ignoratũ est quidpiam, non plus incommodi est quam quanti quæq; earum rerum est, in quibus neglectum est aliquid: summum autem bonum si ignoretur, vivendi rationem ignorari necesse est, ex quo tantus error consequitur, ut quem in portum se recipiant, scire non poßint. Cognitis autem rerum finibus, cum intelligitur quid sit & bonorum extremum & malorum, inventa vitæ via est, conformatioq; omnium officio-*

officiorum. Et Seneca *epist. 31.* docet illud studium quod circa jus naturæ cognoscendum atq; possidendum occupatum est, anhelare ad summum bonum, idq; si assequamur nos similes reddere Deo, ut quasi Deus ipse in nobis habitet per animum nostrum divinis virtutibus exornatum. *Perfecta virtus,* inquit, *est æqualitas ac tenor vitæ per omnia consonans sibi: quod non potest esse, nisi rerum scientia contingat, & ars per quam divina & humana noscantur. Hoc est summum bonum, quod si occupas, incipis deorum esse socius, non supplex. Quomodo, inquis, istò pervenitur? Non per Apennium Grajúmve montem, nec per deserta Candaviæ; nec syrtes tibi nec Scylla aut Charybdis adeundæ sunt: tutum iter est, jucundum est, ad quod natura te instruxit. Dedit tibi illa, quæ si non deserueris, par Deo surges. Parem autem Deo pecunia non faciet; Deus nihil habet, prætexta non faciet; Deus nudus. Fama non faciet, nec ostentatio tui & in populos nominis dimissa notitia; nemo novit Deum, multi de illo malè existimant, & impunè. Non turba servorum lecticam tuam per itinera urbana & peregrina portantium: Deus ille maximus potentissimusq; ipse vehit omnia. Ne forma quidem & vires beatum te facere possunt: nihil horum non patitur vetustatem. Quærendum est ergò quod non fiat in dies deterius; cui non possit obstari: quo nil melius possit optari. Quid hoc est? animus: sed hic rectus, bonus, magnus. Quid aliud voces hunc quam Deum in humano corpore hospitantem?* Vides quomodo omnia hominum studia, ut meras avaritiæ vel ambitionis vanitates, præ divinarum humanarumq; rerum notitia, quæ Iurispru-

risprudentia est, contemnat, & quam in ea summum bonum, sui agnitionem, & Dei societatem ponat, dum animum virtutibus legis naturæ expolitum super omnia extollit. Ex hisce intelligitur magna Iurisprudentiæ dignitas, quâ antecellit. Medicina certè ab hoc fine longiùs abest: Philosophia verò, cum ad summum gradum ascendit, suumque usum per ethica & politica præcepta, (quæ summa putavit Aristot. *1. Ethic.*) in vitam humanam effudit, fructum tandem in Iurisprudentia assequitur. Hæc ethicæ & politicæ doctrinæ autoritatem & publicam parendi necessitatem tribuit: hæc regimen vitæ capessit, & philosophica præcepta in usum vocat: hæc theologiæ viam præparat, dum vitia contra jus naturæ insurgentia armatâ manu cohercet: ut nihil verius dici potuerit ab Ulpiano, quam Iureconsultos esse Iustitiæ sacerdotes, & veros philosophos *L. 1. D. de Iust. & jure.* ipsamq; Iurisprudentiam esse *rerum divinarum atq; humanarum notitiam, justi atque injusti scientiam. L. 10. D. eod. tit.*

A sola theologia superatur duplici modo, primò, quod illa pleniorem & intimiorem præstat juris naturæ intellectum, quàm hodiè vi rationis jurisprudentia sola exhibere potest. Deinde quia aperit & præmonstrat nobis aliam tutiorem ad summum bonum obtinendum viam in Christo, quandoquidem lex peccati

Digitized by Google

non patitur, ut per legem naturæ ad ſummum bonum per nos ipſos adſpiremus.

Qui plura de ſummo hominis bono volet, ea ex Senecæ *lib. de beata vita* & ex Piccolom. *gr. mor. 9. & 10.* haurire, omniaq; in jure naturæ eſſe, probare poterit. Nam quod ibi Piccol. diſſerit, quomodo ſummum bonum in politias introduci poſsit, nihil aliud eſt quam quomodo jus naturæ in vita humana poſsit conſervari. Hoc fine adepto conticeſcunt ethica, politica & juriſprudentia, quæ nunc in eo aſſequendo omnes defatigantur.



PRIN-

Digitized by Google



PRINCIPIORUM IURIS

LIBER QUARTUS

In quo agitur de jure naturali posteriore, quod gentium jus vocatur.

Cur non utamur solo jure naturali priori?

CAP. I.



Aturale jus *lib. 2. cap. 9.* in prius & posterius divisimus, & prius, quod simpliciter naturale vocatur, libro tertio absolvimus: sequitur nunc ut de jure naturali posteriore, quod communiter *jus gentium* dicitur agamus. Sed priusquam illi admoveamus manum, juvat quærere, anné inanem operam impendamus plura jura tradituri? Cum enim tanta sit juris naturalis præstantia & perfectio ut superiori libro apparuit, quid opus est plura jura comminisci & perfectissimo quid addere? Putant nonnulli jura gentium & positiva non tan- *An præter jus naturæ opus sit alio.*

tantùm ut inania commenta, sed etiam ut nociva impedimenta juris naturalis abolenda esse, ut solo dulcissimo & perfectissimo jure naturæ frueremur. Introduci ergò postulant omnium rerum communionem, promiscuum mulierum usum, jubent tolli magistratus & ordinationes humanas: ita putant maximè ex Dei & juris naturæ voluntate vitam pulcherrimam agi. *vide Piccolom. gr. mor. 2. cap. ult.* Invenias etiam nostris in ecclesiis qui jura gentium & civilia vel imprudentiùs vel occultiùs oppugnent, & ægerrimè ferant sibi non licere omnibus rebus frui ut communibus, se ad contractus & legum civilium observationem, interdum ad bella & alia juri naturali simplicissimo ignota, compelli. Tum itaq; jus naturæ priùs ita commendant, ut gentium & civile haud obscurè despiciant: idq; non eo sensu ut major naturalis juris dignitas præferatur, sed ut omnia reliqua jura tanquam vana & iniqua commenta damnentur. De jure civili agemus libro sequenti, ejus necessitatem, usum & finem ibi demonstrabimus, nunc tantùm generaliter solo jure naturali nos in hac vita contentos esse non posse ostendemus.

Optandum sanè erat ut omnes homines solo naturæ jure regerentur, tum enim vitā verè humanam ageremus & beatissimas societates haberemus, nulla bella aut prætoria remedia metuentes, ut Lactant. *lib. 5. instit. cap. 8.* inquit: *Quam beatus esset, quamq; aureus rerum humanarum*

status

status, si per totum orbem mansuetudo, & pietas, & pax, & innocentia, & æquitas, & temperantia, & fides moraretur? Deniq; ad regendos homines non opus esset tam multis & tam variis legibus, cum ad perfectam innocentiam Dei lex una sufficeret: neq; carceribus, neq; gladiis præsidum, neq; terrore pœnarum, cum præceptorum cœlestium salubritas, humanis pectoribus infusa, ultrò ad justitiæ opera homines erudiret. In quam sententiam etiam Boët. *lib. 3. consol. phil. met. 7.*

O fœlix hominum genus,
Si vestros animos amor,
Quo cœlum regitur, regat.

Cur pluribus opus sit juribus.

At sperandum non est impetrari posse, ut nostri homines secundum præscriptum juris naturæ sponte vivere velint. Causa ex operatione legis peccati manat duplex: prima, quod pauci jus naturæ intelligunt, cum pietas & justitia ferè nemini sit cordi: altera, quod homines justum ultrò facere nolunt. Nam si dicas jure naturæ omnia esse communia, vulgus nostrum indè colligere vult, ergò nec furta nec adulteria posse committi, non secus ac Epicureum vulgus opinabatur, si voluptas secundùm naturam & summum bonum esset, ergò libidinem carnis reprehendi non posse. Alii dissimulant se jus naturæ videre, & calumniosas ejus interpretationes meditantur, multò minus facere volunt quod justum est, sed suis cupiditatibus & erroribus omnia ponderari cupiunt. Sunt quidem jure naturæ omnia communia, verum non ut per injurias & libidines

omnia

omnia commisceantur, quia jus naturæ honestum & utile ex natura non tollit. Culpa ergò non est penes jus gentium aut civilé, quod dulcissimo jure naturali ex voto nostro non fruimur, sed penes legem peccati. Hanc meliori, si potes, ratione oppugna & tolle, quam Theologi verbo Dei & minis infernalium suppliciorum, nos juris gentium ac civilis sanctionibus atque pœnis: Solo enim huic fini omnia reliqua jura servire jam ostendemus.



Jus naturale posterius, quod jus gentium vocatur, cur introductum?

Cap. II.

Efficiens & finis juris gentium.

POstquam igitur experientia docuit, in corruptione humanæ naturæ legem peccati contra jus naturæ invalescere, & maximam hominum parté jus ingenitum nec intelligere nec usurpare velle, necessum fuit contra ingruentem calamitatem salutaria excogitari remedia. Erant quidem, ut diximus, jure naturæ priori omnia communia, at non per dolum, verum per liberalitatem & amicitiam, non per libidinem, sed per pium honestumq; amorem. Hæc enim erat mens juris naturæ quam supra explicavimus, ut piè, honestè, amicè & rationabiliter viveremus, nec cuiquam faceremus quod nobis fieri nollemus. Sed quamprimum homi-

hominum numerus auctus esset, & lex peccati haberet quem offendere posset, operationem suam exercuit, maximè & evidentissimè in iis qui pietatis & rationis usum remiserunt. Tum avaritia liberalitati, libido humanitati, πλεονεξία amori terminos moverût, tum homines omnibus injuriis se mutuò affligere cœperût. Sed cû nemo quas alteri faciebat ipse pati vellet injurias, & ratio ipsa doceret *alienum esse à justitia ad quam nati sumus, detrahere quid de aliquo quod tibi assumas*, ut Cic. *3. de finib.* loquitur, & genus humanum periturum si hisce malis non occurreretur: coacti fuerunt homines fraudes consilio, vim vi prohibere. Nec pii & insontes tantùm remedia contra pravos quæsiverunt, ut putes jura gentium in ecclesia tantùm excogitata esse, sed ab impiis etiam & depravatis ipsis natura, cùm rationis vi, tùm salutis desiderio eadem expressit. Tanta enim est vis rationis, tanta salutis dulcedo, ut nec in desperatis possit omninò extingui: tanta injustitiæ abominatio, ut cogamur eam ipsi reprehendere & punire quam scimus à nobis sæpiùs perpetrari. Hoc est quod Imperat. *§. 2. Inst. de jure nat.* ait: *jus gentium peperit usus & necessitas*, Theophilus, χρεία καὶ ἀνάγκη. Nam cum omnibus hominibus insitum esset jus naturæ, idq; iisdem malis ubique affligeretur, eædem etiam causæ omnibus hominibus jus gentium pepererunt; nempe usus seu ratio & necessitas. Ratio ubique usu edocta

Iura gentium extorsit natura.

Digitized by Google

edocta mala irrumpentia vidit, & necessitas coëgit remedia pro salute quærere.

Jura gentium apud omnes homines in usu.

Ut autem non omnes populi æquè acuti & politi sunt, ita nec omnes jure gentium æquè benè utuntur, & tamen nihilominus jus gentium apud omnes populos est, ut & naturale & civile ab omnibus gentibus usurpatur, licet non æqualiter aptetur. Manent semper generalia & notiora, etsi specialia in quibus applicandi artificium consistit ignorentur. Quod ergò præter jus naturale plura introducta sunt jura, causa duplex est, *inscitia & malitia*, seu juris naturalis *ignoratio*, quod quivis ex sua cupiditate plùs aut minùs in eo statuere vellet, & *violatio*, quod nemo sponte ab injuriis abstineret. Utramq; causam indicat nobis Plato 11. *de legib.*

Propter malos mores bonæ leges.

Σμικρὸν γένος ἀνθρώπων, καὶ φύσει ὀλίγον, καὶ ἄκρᾳ τροφῇ τετραμμένην ὅταν εἰς χρείας τε καὶ ἐπιθυμίας τινῶν ἐμπίπτῃ, καρτερεῖν πρὸς τὸ μέτριον δυνατόν ἐστι, καὶ ὅταν ἐξῇ χρήματα λαβεῖν πολλὰ, νήφει, καὶ πρότερον αἱρεῖται τοῦ πολλοῦ τὸ τοῦ μέτρου ἐχόμενον, τὰ δὲ τῶν ἀνθρώπων πλήθη πᾶν τοὐναντίον ἔχει τούτοις, δεόμενά τε ἀμέτρως δεῖται, καὶ ἐξὸν κερδαίνειν τὰ μέτρια, ἀπλήστως αἱρεῖται κερδαίνειν. *Pauci admodum naturâ homines, & ij quidem optimâ educatione præditi, quando egestate cupiditateq; rerum aliquarum afficiuntur, ita continere se possunt, ut moderatè se gerant, & cum liceat magnam pecuniam capere, modica contenti sint, mediocritatemq; excessui anteponant. Vulgus autem contra facit omninò. Immoderata enim cupit: & cum mediocriter lucrari liceat, inexplebili lucri cupiditate vexatur. Et 9. de legibus.* Νόμους ἀνθρώπους

θρώποις ἀναγκαῖον τίθεσθαι, καὶ ζῆν κατὰ νόμους, ἢ μηδὲν διαφέρειν τῶν πάντῃ ἀγριωτάτων θηρίων, ἡ δὲ αἰτία τούτων, ἥδε, ὅτι φύσις ἀνθρώπων οὐδενὸς ἱκανὴ φύεσθαι ὥστε γνῶναί τε τὰ συμφέροντα ἀνθρώποις εἰς πολιτείαν, καὶ γνοῦσα τὸ βέλτιστον ἀεὶ δύνασθαί τε καὶ ἐθέλειν πράττειν. *Necesse est leges hominibus ferre, ut secundum leges vivant. Nam si absq; his viverent, nihilo à feris atrocissimis discreparent. Cujus rei causa est, quia nullius hominis ingenium ita natura institutum est, ut quæ ad publicum humanæ vitæ bonum conferunt, sufficienter cognoscat, &, si cognovit, ut optimum id quod novit semper agere possit ac velit.* Ideo ergo jus gentium conservamus, ideo leges civiles ferimus, ne jus naturale amittamus, nam hi sunt muri quibus naturæ jus cingimus. Qui verò jura gentium & civilia abjiciunt, & quemq; suo ingenio vivere sinunt, jus naturæ simul abolent, & nullo prorsùs jure humano utuntur, sed in beluinam vitam transeunt, vel potius se totos legi peccati tradunt.

Ius gentium propter naturale est.



An jus naturale posterius differat à priori, & quomodo?

CAP. III.

IUs naturæ posterius à priori differre suprà *lib. 2. cap. 9.* ostendimus, idq; adhuc manifestius apparebit, si effectus juris gentium, de quibus mox acturi sumus, cum effectibus juris naturæ

Ius gentis quid differat à naturali.

naturæ prioris, de quibus *lib.3.* dictum est, conferemus. Differunt autem hæc jura primo efficiente, sed non in totum, nam utrumq; ex ratione humana nascitur, naturale ex rationis naturali luce & credula integritate tantum, gentium verò ex doli suspicione & cautione prudenti. Deinde differunt aliquantulum materia & objecto quia juris prioris objectum est imago Dei, posterioris verò objectum est jus naturæ prius. Præterea differunt formâ, & fine. Forma juris naturalis prioris est *amor*, & finis ejus est *justitia* seu imago Dei: forma juris naturalis posterioris est *defensio* seu injuriæ prohibitio: finis ejus est *conservatio juris naturalis.* Est quidem Iustitia quoque juris gentium finis, sed remotior, quem assequitur in jure naturali conservato, at finis propior, quem ipsum jus gentium ex sese assequitur, est defensio juris naturalis.

Vulgaris distinctio rejecta.

Putant nonnulli jus naturale & gentium ita differre, quod homo aliquando consideretur ut animal, aliàs verò ut homo: Si consideretur ut animal, competere illi jus naturale prius, at secundo modo illi convenire jus gentium. Sed hoc nihil est, & redolet errorem eorum qui putant homini cum brutis jus quoddam rationale esse commune, quem *lib. 3.* refutavimus. Homo nunquam consideratur ut animal tantum cum de jure aliquo rationali quæritur, sed ut animal rationale, cum verò id tantùm spectatur in homine quod cum brutis commune habet,

tum

tum non potest illi tribui aliqua juris humani seu rationalis species, siquidem omnia humana jura constant ratione & per rationem solam competunt. Quibusdam placuit jus naturale à jure gentium ita distinguere, ut dicerent jus naturæ prius esse rationis, posterius ratiocinationis, quod ita accipiendum quasi jus prius per rationem ipsam simpliciter innatum notiones primas nobiscum natas imitetur, posterius verò per excitatam vim rationis ad exemplum notionum secundarum adinventum esse dicatur, alioquin falsum est. Nam & in jure naturæ priori est quædam ratiocinatio, ut cum ex consideratione rerum creatarum Deum naturaliter cognoscimus & colimus, vel cum omnes qui paternè nobis consulunt, paterno honore afficiendos colligimus. sed talis ratiocinatio, qualis in jure gentium ex collatione boni & mali pro malorum depulsione exquiritur, in jure naturæ priori non est, quia illud est simplicius & minus suspicax mali, jus verò gentium est prudentius & minus credulum, ut *lib. 1. cap. 10.* innuimus. Si in jure naturali priori tantùm est ratio at non ratiocinatio, citra lapsum tantùm ratione usi fuissemus at nulla ratiocinatione, quod juxta absurdum atque ridiculum est dicere; ratiocinatio itaque non est specifica jurium naturalium differentia.





De appellatione juris gentium.

CAP. IV.

Jus gentium cur non vocetur jus positivum.

VT ratio appellationis constet, explicandum cur jus quod nunc tractamus vocetur naturale posterius vel gentium? Ut *lib. 1. cap. 10. lib. 2. cap. 8. & 9.* docuimus, totum jus primò rectè dividitur in naturale & positivum. Naturale est quod ipsâ naturâ inest; ut ex superioribus liquet, Positivum quod ab hominibus constitutum & naturali appositum est, ut *libro seq.* dicetur. Non vocatur autem positivum omne quod quoquo modo ab hominibus inventum est, sed quod publicè compositum & promulgatum fuit, quodque cum in nostra republ. approbatur induit nomen juris civilis, ut item inferius explicabitur. Si positivum quis vocare velit, quicquid non simpliciter innatum; sed aliquo modo per ratiocinationem collectum & compositum sit, etiam jus gentium possit positivum vocari, sed eam appellationem nos non introducemus, quia nec Aristotelem nec alium quenquam positivum jus ita accepisse meminimus. Nam quod Cic. *1. de legib.* putat jura naturalia efficere ut omnes homines unius civitatis habendi sint, hûc non pertinet: civitatem enim aliter ibi accipit, nempe totum mundum, non civilem aliquam societatem quam aliàs civitatem vocamus, &

docere

docere vult nos jure naturali omnes ita obstringi, ut civilibus legibus omnes cives obligantur: inde verò jura gentium positivis annumeranda esse colligi nequit. Sunt tamen hæc omnium gentium decreta quasi intermedium quid, inter purè naturale & merè positivum, ut ex collatione omnium juris specierum apparere poterit, sed ea hic nondum institui potest, cum una tantùm species juris hactenus sit explicata. Vocamus ergò jus quod nunc in manibus habemus *naturale*, quia in nullo publico hominum conventu compositum & publicatum, nec in civili societate primum monstratum est, sed ipsa naturalis ratio statim ab initio, quamprimum contra jus naturæ prius agi cœptum esset, hæc præcepta docuit & expressit. *Posterius* vocatur, ad differentiam prioris: ut enim antè jus civile, ita post jus naturale prius natum fuit. Rectè verò à Iureconsultis etiam *jus gentium* dicitur, non ratione objecti, nam ita omnia jura essent gentium, cum omnes populi naturalia & sua civilia jura habeant, sed ex fine. Ut enim naturale jus vocatur quod essentiam & conservationem naturæ tantùm respicit; civile, quod salutem civilis societatis simul considerat & propter illam natum est: sic vocatur jus gentium quod ad omnium gentium salutem & emolumentum dirigitur, & solo hoc fine fuit adinventum. Vel etiam ex causa efficiente ac formali proxima, ex qua omnia jura suam specialem appellationem sortiuntur. Ut enim

Cur hoc jus vocetur naturale?

Cur posterius?

Cur jus gentium dicatur?

 natu-

Digitized by Google

naturale vocamus quod natura ipsa attulit, civile quod civilis conversatio peperit, senatusconsultum quod consilio senatus factum sit: sic vocatur jus gentium cui diversæ gentes causam dederunt, & ob quod homines in gentes discesserunt. Si lapsus non esset homo, solo jure naturali uteremur, & amore regeremur, nec in varias familias & gentes discessissemus, quia omnes in una Adami viveremus familia. Sed cum peccatum injurias & mortem introduxisset, extincto communi omnium patre desiimus in una esse familia, & varias in gentes discessimus, ut nos cum proximis agnatis & gentilibus nostris ab aliorum injuriis meliùs defendere, & hoc jure expeditiùs uti possemus. Hæc gentium diversitas peperit bella & contractus, & quæ illis adhærent, nempe rerum distinctiones, occupationes, acquisitiones, dominia & similia, quæ jure naturæ priori eo modo in vita humana non fuissent, & jam ante jus civile fuerant omnibus gentibus recepta. Cum itaque hujus juris causâ homines ab initio in gentes discesserint, & ut jura dominiorum, contractuum & bellorum inter omnes gentes nascerentur, prima occasio & causa fuerit diversitas gentium & familiarum, omnesq; gentes hæc jura ad sui conservationem receperint, non incongruè jura gentium appellata fuêre. *Gens appellatur*, inquit Festus, *quæ ex multis familiis conficitur, gentilis dicitur ex eodem genere ortus, & is qui simili nomine appellatur; ut ait Cincius, gentiles mihi sunt qui*

meo

meo nomine appellantur. Cornel. Fronto, *Natio solum patrium quærit, gens seriem majorum.*

Iura gentium etiam interdum significant jura gentilitia seu familiæ, ut apud Liv. *lib. 4. in pr.* de connubiis patrum & plebis, *C. Canuleius tribunus plebis rogationem tulit, quâ contaminari sangvinem suum patres, confundiq; jura gentium rebantur* : & Marcianus noster, *nonnunquam jus etiam pro necessitudine dicimus, veluti, est mihi jus cognationis vel affinitatis. l. ult. D. de Iust. & jure. v. l. 1. D. de probat. Budæ. ad l. 2. vers. vindicias filiæ. D. de Orig. jur. ubi de gente & gentilibus aliquid monuit. Anton. Augustin. de gentib. Roman.* quæ usurpatio confirmat quidem quod diximus, jura gentium ex multiplicatione familiarum nata & appellata esse, sed aliàs hûc non pertinet, quia non de unius familiæ aut gentis, sed de omnium gentium jure agimus. *Alia juris gentium usurpatio.*

Alii jus gentium à naturali ista distinguunt, ut naturale primævum vel simplex, hoc verò secundarium vel compositum appellent. Primævi appellatio vix ferri potest, cum nullum unquam extiterit ævum, in quo homines solo jure naturali priori usi fuissent. De aliis appellationibus minùs sum sollicitus, *re intellecta*, ait Cic. *3. de finib. in verborum usu faciles esse debemus*, & de Salustio Gell. *lib. 10. cap. 20*, refert, quamvis fuerit proprietatum in verbis retinentissimus, tamen aliquando consuetudini concessisse. *Primævum jus an sit?*

Digitized by Google

Jus gentium quid, & quotuplex, & an rectè constituatur species juris naturalis?

CAP. V.

Juris gentium definitio.

IUs gentium quid sit ex capite præcedenti intelligi poterat, sed afferamus ejus definitionem quam nobis leges nostræ suppeditant. Ea est *in l. omnes. 9. D. de just. & jure.* ubi Cajus, *Quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peræquè custoditur, vocaturq; jus gentium, quasi quo jure omnes gentes utantur.* Iisdem verbis usus est Imp. *§. 1. Instit. de jure nat.* Constituit ait, ut significet non esse jus simpliciter & primo innatum, sed ratione omnium gentium excogitatum & constitutum. Quæ juris naturæ prioris sunt simpliciter inesse dicuntur, ut in definitione libertatis, *libertas est naturalis facultas &c. Instit. de jure person.* at quæ ex constituto hominum sunt dicuntur constituta esse, ut cum servitus dicitur esse *constitutio juris gentium.* Cajus quidem duas tantùm juris species fecit, & modò dictâ unâ descriptione tàm naturale quàm gentium jus est complexus, videtur tamen ea juri gentium magis convenire quam naturali. Definiri alias sic posset, quod sit *dictamen rationis pro conservatione juris naturalis omnibus gentibus commune.*

Albert.

Digitized by Google

Albert. Bolognet. *de lege jure & æquit. cap. 24. & seq.* putat etiam jus gentium in primarium & secundarium dividi posse, prout alii dividere solent jus naturale: & primarium jus gentium putat esse illud quod alias naturale vocatur, secundarium verò quod juris gentium nomine significatur. Argumento hoc utitur, quod jus gentium dicitur servos pro nullis habere *l. quod attinet. 32. l. servitutem 209. D. de reg. jur. §. 1. Instit. de his qui sui.* adeò ut nec dominium habere possint, *Instit. per quas pers. cu. acq.* nec stipulari queant, *§. 6. Instit. de inut. stip.* nec possessionem habere putentur, *l. 24. l. 49. §. 1. D. de acq. vel amit. possess.* & tamen naturalis ratio, quæ jus gentium vocatur *§. 1. Instit. de jure nat.* introduxit ut servus sibi dominum ad fidem promissi servandam (quod inter omnes gentes æquum est, *l. 1. D. de pact.* nec ullâ humanâ ratione mutari potest) naturaliter obligare posait, *l. si quod dominus. 64. l. 13. 14. D. de condict. indeb.* Putat ergò duplex jus gentium constituendum esse, aliud naturale quod agnoscit servos in contractibus, aliud quod non agnoscit, qua de re plura ex dicto ejus libello peti possunt. Nos hanc quæstionem *lib. 2. cap. 5. & 9.* decisam arbitramur, ubi docuimus jus naturale & gentium interdum confundi, & sæpè sub alterutra appellatione utramque speciem juris humani naturalis tàm priorem quàm posteriorem significari, ut & Ulpian. fecit *l. 1. §. ult. D. de just. & jure.* & Cajus in dicta juris naturalis sive gentiū definitione.

An jus gentium duplex sit.

Perinde ergò est sive dicam, jus humanum naturale est vel naturale vel gentium : sive dicam, jus gentium (quod item naturale & humanum vocatur) vel est naturale vel gentium : quia idem est naturale humanum jus de quo utrobiq; loquor, quodq; duas in species subdivido. Confirmat autem hæc quæstio opinionem nostram, quod *lib. 2. cap. 8.* docuimus Ulpianum *in l. 1. D. de Iust. & jure* juris naturalis & gentium appellationes aliter quàm vulgò fieri solet accepisse, & *§. ult.* per jus gentium significasse eam juris humani speciem quam aliâs vocamus naturalem, eamq; promiscuam usurpationem in jure non esse inusitatam, *lib. 2. cap. ult.*

An præstet duas juris species facere, an tres?

Si quis nunc quærat, utrum rectiùs tres faciamus primas juris humani species, naturale videlicet, gentium & civile; an verò duas tantùm, naturale vel gentium & positivum, ita ut naturale iterum subdividamus in naturale & gentium? puto permagni non referre. Naturale jus nobis insitum & innatum est simpliciter, civile ex cohabitatione & ordine civili nascitur, jus gentiũ est quasi intermedium, quod de utroq; participat : de naturali, quia naturali ratione etiam extra civiles societates docetur, de civili, quia perinde ut civilis ratio naturalem imitatur ut cives unius urbis coordinet & à læsione defendat, ita etiam jus gentium naturalem rationem sequitur, ut nos omnes unius orbis cives per mutua commercia & contractus efficiat & componat : ut jus civile societates,

Digitized by Google

tates, familias, gentes & aliquot contractus ordinat, ita etiam jus gentium. Unde Cato apud Cicer. *3. de finib* ex mente Chrysippi statuit jus naturale respectu omnium hominum esse quasi civile unius societatis. Rectiùs tamen videntur duæ constitui primæ juris species, ut naturale subdividatur in naturale & gentium, idq; ita secuti sumus, quia videbatur menti jurisconsultorum convenientius, ad docendum accommodatius, & in dividendo artificiosius esse, ne nobis Cic. *2. de finib.* objiceret, *divisit ineleganter, duo enim genera quæ erant, fecit tria: hoc non est dividere sed frangere rem, vitiosum enim est in dividendo partem in genere numerare.*

Reprehendendum verò non est, quod appellatio generis etiam uni speciei tribuitur, ut cum naturale jus dividitur in naturale & gentium, adoptio in adoptionem & arrogationem: hoc enim fit vocabulorum defectu, cum una tantùm species peculiare nomen est sortita, ut Pompon *l. 2. de orig. jur.* de interpretationibus prudentum testatur, eas ideò retinuisse nomen commune ut *jus civile* vocarentur, quia specialem appellationem non fuerint adeptæ. Habebantur illæ prudentum responsiones pro ipsa mente legum civilium quas interpretabantur, ergò etiam illud nomen obtinuêre cum specialius non haberent. Nec absurdum est in logicis, unam eandemq; rem diverso respectu pro genere & specie haberi. Si quis ex hac promiscua appellatione confusionem metuit, potest *Licere nomen generis tribuere speciei.*

Digitized by Google

jus humanum dividere in naturale & positivum, & naturale subdistinguere in prius & posterius, vel in simplex & compositum, vel aliquo simili modo, nos interim iis vocabulis quæ usus recepit, erimus contenti.



Quanam sit interior forma & vis juris gentium.

CAP. VI.

Forma juris gentium.

INtima juris gentium voluntas, vis & forma est conservatio juris naturalis, ut ex prædictis colligi potest: duo verò sunt modi, quibus pro jure naturali pugnat. Primò verum juris naturalis intellectum, contra eos qui id nimiùm extendunt vel coarctant, suggerit & conservat: Secundò præstat remedia quibus calumniantium iniquitates expellamus, ut Imp. *in præfat. instit.* loquitur, hoc est, monstrat nobis quibus consiliis juris naturæ violatio præcaveri & quibus mediis depelli possit. Non omnes jus naturæ æquè intelligunt vel intelligere volunt, quia plurimi ingenia sua non excitant & in veritate indaganda sunt ignavi ut *lib. 1. cap. 9.* docuimus, nec omnibus juxta notum est quomodo mala ingruentia commodè prohiberi possint. Quod ergò quibusdam minus perspectum erat, hoc quasi universali prudentiorum hominum concilio habito monstravit, & tandem

dem per usum & necessitatem, qui ferè omnium hominum magistri sunt, omnibus persuasit jus gentium. Ut ita juris gentium fructus sit naturalis juris explicatio & defensio, quæ vel consilio togato fit vel armato. Utrumq; complexus est Horat. *lib. 1. sat. 3.* cum inquit:

Oppida cœperunt munire & condere leges,
Neu quis fur esset, neu latro, neu quis adulter.
Iura metu mali inventa fateare necesse est,
Tempora si fastosq; velis evolvere mundi.
Nec natura potest justo secernere iniquum,
Dividit ut bona diversis, fugienda petendis.
Nec vincet ratio hoc, tantundem ut peccet, idemq;,
Qui teneros caules alieni fregerit horti
Et qui nocturnus divum sacralegerit. Adsit
Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas:
Ne scutica dignum horribili sectere flagello.

Non sunt hæc aliena à jure naturali vel civili, nam omnes juris species inter se mutuas operas tradunt, & jura naturalia civiliaq; æque respiciunt prohibitionem injustitiæ ut jus gentium, non tamen eo modo. Naturale enim jus mala prohibet amore, civile jus civilibus mediis, nempe per leges & personas publicè constitutas, at jus gentium quasi medium obtinet inter utrumq;. Ratione utitur non purè civili, & tamen in conversatione humana per usum & necessitatem monstratâ: nec ex mero amore fluunt consilia juris gentium, sed aliquo modo ex suspicione & metu mali. Media quibus jus gentium utitur aliquo modo sunt naturalia, quate-

Distinguitur à naturali & civili.

Ius gentium naturali & civili cognatum.

quatenùs videlicet jus naturæ prius omne meum & tuum non tollit, ſunt etiam quodam modo præter jus naturæ prius, quia illud ſolo amore & beneficiis ſe conſervat, hoc etiam contractibus & armis. Eadem ſuo modo videntur imitari civilia media, quia ſunt publica & copioſioris ſocietatis hominum, nec tamen ſunt civilia, quia communia ſunt etiam cum illis qui nec noſtram nec aliam propriam habent civilem ſocietatem, & expediri poſſunt etiam ſine perſonis & legibus civiliter ad id conſtitutis. Et ideò ſupra diximus jus gentium eſſe intermedium inter naturale & poſitivum, omniaq; jura ſibi invicem quaſi inſita & innexa eſſe. Difficile eſt interdum diſpicere ad quam ſpeciem juris quodq; primò pertineat, & ſæpè evenit, imò ferè in omnibus legibus id accidit, ut omnia jura confluant & *finis* legis ſit juris naturalis, *medium* juris gentium, at *modus* executionis ſit juris civilis. Hæc verò nos perturbare non debent, quò minus ſtatuamus juris naturalis interpretationem & defenſionem, quæ per contractus & bella fit, eſſe juris gentium. Dabimus operam ut in ſubſequentibus oſtendamus, quomodo in contractibus naturalia & civilia diſcerni poſsint, & quàm facile naturalia civilium nomen induere ſoleant.



De præ-

Digitized by Google



De præceptis juris gentium generalia.

CAP. VII.

MAgna cognatio & affinitas specierum juris controversum fecit apud interpretes, quænam præcepta ad quamq; juris speciem primò & propriè pertinerent? & inprimis conturbavêre illos mixtæ leges, ut quasi in trivio hæsitarent, cum una in lege aliquid pluribus juris speciebus conveniens deprehenderent. De naturalibus ergò præceptis superiori libro egimus, nunc scita juris gentium propositurі simul ostendemus, quod, quomodo, & quatenus ea à puris naturalibus ac civilibus differant, hoc enim intermedio fundo examussim dimenso, de finibus juris naturalis & civilis minor erit contentio. Quia etiam nonnulli præposteri juris naturalis defensores, opinantur jura gentium & civilia naturali vim atque injuriam facere, quod tanquam peregrini advenæ campum juri naturæ à Deo datum per homines limitare postulent, annitemur unâ operâ simul ostendere nullam naturæ per jura gentium & positiva fieri injuriam, sed ea amicissimè & suavissimè cohabitare: jus gentium quidem (si ita comparare licet) ut uxorem condominam, civile verò ut filium aut ministrum frugi.

In præceptis juris gent. quid observandum.

Eorum officium & finis.

frugi. Naturale jus patri comparamus, quia id gignit omnia jura & imperium exercet in jus gentium ac civile, coliturq; ab iis ob paternum affectum. Ius gentium veneratur naturale sed condominatur civili, & subit interdum, nempe cum civilia media non adsunt, civilia officia, ut Aristot. *in polit.* dixit pauperes uxoribus pro servis uti. At civile seu positivum jus est quasi filius, servus & instrumentum utriusq; juris naturalis, quo voluntatem suam applicant & exequuntur. De civili in libro seq. specialius quædam monebuntur : nunc quomodo jus gentium officium suum obeat & juri naturali serviat declarabimus.

Eorum autoritas. Quâ conditione, quâ lege jus gentium in sacra & autoritatem juris naturalis receptum sit ex superioribus liquet, nempe ut serviat juri naturæ à Deo constituto. Habet ergò autoritatem suam à Deo, per jus naturæ prius. Quomodo eâ utatur, & quomodo cognoscantur præcepta juris gentium pro jure naturali data, indicandum.

Generalis nota juris gentium. Generaliter dici posset, juris gentium esse quibus homines omnes aut plurimi propter naturalem honestatem atq; utilitatem conservandam utuntur, quæq; omninò non, aut alio essent modo, si cum bonis tantùm vivere liceret : sed hæc juris gentium nota ambigua & non omnibus satis conspicua fore videtur. Admonendi enim sumus, non omnia quorum usus apud alias gentes est esse juris gentium, cum

cùm & aliæ gentes naturali, suoque civili jure ûtantur, & facile fieri posſit ut plurib. in re-bus pub. eadem lex civilis feratur, quæ tamen propterea non fit juris gentium, sed manet civilis. Verbi causa: Ex nostris civilibus legibus adulteri puniuntur gladio, & testamenta solennia requirunt septem testes: in hisce legibus modus pœnæ & numerus testium purè civilis est, ut ex libro posteriori manifestiùs apparebit: Iam si omnes omnium gentium respublicæ hunc modum pœnæ in adulteriis,& eundem numerum testium in testamentis observare statuerent, tamen non fierent leges juris gentium, sed unicuiq; civitati essent leges civiles, quod Imperat. *§. sed jus quidem. 2. Instit. de jure nat.* non obscurè docet, & nos infra copiosiùs declarabimus. Fallax ergò nota est si dicamus quæ apud omnes gentes observantur & juris naturalis non sunt, sunt juris gentium: nam potest eadem lex civilis in multis rebusp. recepta esse, ut sint juris civilis. Rectiùs videmur hanc generalem regulam daturi, si dicamus juris gentium esse *quicquid pro defensione juris naturalis est, sine civili medio.* Etiam civilia sunt pro conservatione juris naturæ, sed per media civiliter constituta, omnia enim civilia ipsam civilis societatis conservationem respiciunt simul: at jura gentium nullam civilem societatem spectant, nec civili ex ordine fluunt, sed à ratione simpliciter pro juris ingenti conservatione suppeditantur, licet postea etiam civili

ratione

Digitized by Google

ratione ad ſocietatem politicam applicentur. Sed producamus exempla ſpecialiora, quibus res fiat manifeſtior, ea erunt triplicia, prout homo tria habet in quibus lædi poteſt, animum, corpus, & res ſeu bona: in hiſce propugnandis quomodo jus gentium officio ſuo fungatur oſtendemus, quæ erit quaſi exterioris formæ juris gentium depictio.



Præcepta juris gentium primam legis Moſaicæ tabulam & animum hominis potiſſimùm reſpicientia.

CAP. VIII.

Defenſio eſt juris gentium.

CUm juris gentium officium, finis & qualitas ſit defendere jus naturæ, primò generaliter dicimus, juris gentium eſſe defenſionem naturalis honeſti & utilis omnem, quæ fit citra medium civile. Ea autem vel eſt togata vel armata: & ut jus naturæ cùm univerſaliter tùm particulariter in ſingulis præceptis oſtenditur, ita etiam defenſio vel univerſaliter vel particulariter circa ſingula præcepta docetur & applicatur.

Præcepta morum ſunt juris gentium.

Ad univerſalem juris naturæ defenſionem referimus primò præcepta morum, quæ fiunt cum mali reprehenſione & diſſuaſione ſeria ac ſevera, quâ uti ſolemus erga liberos, uxores, ſervos & alios concives noſtros. Hûc illa ethicorum

Digitized by Google

corum ſcripta & poëtarum ſatyræ, quibus impietates, bella injuſta, fraudes & alia mala deteſtantur. Iureconſulti hæc paſsim attingunt *D. quod met. ca. Item, de condict. ob turp. ca. Item, de pœnis*, pertinent huc aliquot præfationes novarum legum Iuſtiniani, in quibus ſæpe pravitatem morum reprehendit. Ipſe amor honeſti ac boni juris naturæ eſt, at increpatio mali quæ fit ob boni autoritatem conſervandam eſt juris gentium, quia apud omnes populos eſt in uſu. Ius naturæ prius ſeveras increpationes & correctiones morum non novit, quia bonum ſua ſponte amplectitur, at ſatyræ & objurgationes præſupponunt delictum. Quando autem per publicam perſonam vitia arguuntur, ut cum cenſor aut præceptor publicus ratione officii ſui publici pravos increpat, dehortatur aut punit, tum dicitur eſſe juris civilis: eſt verò tum juris civilis mixti, quia amor boni eſt & manet juris naturæ; increpatio mali eſt juris gentium; at modus ille, nempe ut reprehenſio fiat per perſonam publicè ad id conſtitutam, eſt juris poſitivi. Quæ talia ſunt vocantur civilia mixta, ut libro ſeq. docebitur.

Accedit huic ſuſpicio & cauta declinatio mali, ut metuamus & evitemus mala quæ animo aut corpori noſtro imminent. Non eſt ea juris naturæ prioris, quia id nihil mali extimeſcit aut ſuſpicatur: nec eſt juris civilis, niſi cum fit per conſilia & auxilia perſonarum publicarum, ut ſenatorum & magiſtratuum: & tamen juris *Declinatio mali.*

est, etiam cum per nos ipsos vel amicorum auxilio fit, unde sequitur esse juris gentium.

Deprecatio & reconciliatio.

Adhæret illi deprecatio mali, cum malum nobis imminens deprecando avertimus. *l. 2. D. de his qui sui. C. de sent. pass. & restit. C. de his qui ad ecclesi. confug. It. de his qui ad stat. conf.* Ideò etiam reconciliationes & amicorum intercessiones ad jus gentium sunt referendæ.

Auxilia defensionum omnia.

Huic subjungi potest imploratio, præparatio & præstatio auxilii contra injurias, nam & illa est inventum juris gentium generale, quod ratio & natura docuit pro jure naturæ defendendo, ut ex sequentibus apparebit.

Humanitatis conservatio.

Diximus suprà, *libro 3.* juris naturæ generale præceptum esse amorem: quicquid ergò vel à nobis solis vel auxilio amicorum nostrorum sine publico civili adjumento per defensione ingeniti humani amoris fit, id omne est juris gentium.

Religionis defensio.

Ad primum prioris tabulæ Mosaicæ præceptum jus gentium officium suum facit, scandali & impietatis reprehensione ac pœnâ: cum impios Dei contemptores à nobis facessere jubemus cogimúsve sine auxilio civili, ut cum Hagar & Ismael ejiciuntur *Gen. 21.* vel cum Rahel idola patris sui furatur ac perdit *Gen. 31.* aut Elias pseudoprophetas mactat *1. Reg. 18 v. 40.* Non erant hæ personæ civiliter constitutæ ut decalogum tuerentur, & tamen justum erat quod agebant, quia erat pro conservatione juris naturæ.

Eidem

Digitized by Google

Eidem tabulæ jus gentium ſervit idolorum abolitione *Gen. 35. 1. Sam. 7. v. 3.* Quoties autem reges & perſonæ publicæ civili ſuâ poteſtate idola everterunt, *ut David. 1. Paral. 14. v. 12. Aſa. 2. Paral. 15. v. 16. Ioſia, 2 Reg. 23. v. 14. & alij plures,* tum fit juris civilis mixti, propter modum abolitionis civilem, ut ex prædictis intelligitur. *Idolorum everſio.*

Huic ſuccedit veritatis defenſio, cum quis non ratione publici officii, ſed ultrò, ſolo veritatis amore errores & mendacia oppugnat. Hûc omnes mendacii, adulationis, doli & ſimulationum deteſtationes, quarum pleni ſunt omnium bonorum autorum libri. Modi autem, quibus mendacia publicè puniuntur, ſunt juris civilis, *ut l. eleganter. 7. §. ult. cum l. ſeq. D. de dolo malo. l. de ætate. 11. §. ſi cum eſſet. 3. D. de interrogat. l. electio. 26. §. neq; heredi. 5. D. de noxalib. act. l. ſi dubitet. 11. §. ita demum. D. de fidejuſſorib. & mand.* *Falſi oppugnatio.*

Reſpicit etiam primam tabulam profanitatis averſatio, quando cum impiis religionis noſtræ contemptoribus nihil commercii habere volumus, *Pſ. 1.* eosq; à nobis diſcedere jubemus, *Gen. 21. v. 9. 1. Tim. 5. v. 22.* Imperator Iuſtinianus civili remedio impietatem hominum prohibere voluit, quod antiquas leges de ſacris & ſacerdotibus gentilium loquentes ſuſtulit, quarum haud dubiè magnus fuit cumulus, ut ex multis indiciis ac reliquiis legum & ex lib. 2. Cic. *de legib.* colligi poteſt. Idem fecêre alii nonnulli Imperatores, qui impios homines templis & urbe ejecerunt, ut tituli *C. de hæreticis, de Apo-* *Profani averſatio.*

ſtatu, & de Paganis, teſtantur. Hi enim priores Codicis tituli de vera religione Chriſtiana loquentes, tabulæ primæ Moſaicæ ſerviunt, & repoſiti ſunt à Iuſtiniano in locum antiquarum, quæ de gentilium ſuperſtitionibus & falſis religionibus loquebantur.

Ex hiſce intelligi poteſt quomodo jus gentium juri naturæ circa primam tabulam serviat, noſtroſq; animos ab offenſione vindicet. Obſervaverit etiam lector, quam facile juris gentium remedia in civilia degenerent, de quo inferiùs plura.



Juris gentium præcepta ad ſecundam legis Moſaicæ tabulam & inprimis ad perſonas ipſas reſpicientia.

CAP. IX.

IN homine & ſecunda juris Moſaici tabula conſiderantur Perſonæ, Res, & quæ ex mutuis contractibus naſcuntur Actiones & Accuſationes. De perſonis primò, & quidem quatenùs ipſum corpus perſonæ ſimul conſideratur: ſolum enim animum in priori capite reſpeximus.

Ius gentium prohibet læſionem corporis. Ius gentium reprehendit & damnat omnes læſiones corporis, ut cum quis ſibi manus violentas infert, ſuámve valetudinem vino, Venere, ingluvie aut ignaviâ corrumpit. Stoici non erubu-

erubuêre laudare eos, qui seipsos interfecissent, *Senec. epist. 70.* quid mirum? crudelitatem quam in Deo probabant in seipsis reprehendere non poterant. At Plato *lib. 9. de legib. & in Phædone.* Macrob. *in somn. Scip. lib. 1. cap. 13.* docent Deo cum homicidis nihil commune esse, & cadadavera eorum, qui sibi vitam abrûperunt, putant omni infamiâ afficienda esse, ut alii absterreantur. Darius *apud Curt. lib. 5.* ait: *Ego hic legem fati mei expecto. Forsitan mireris quod vitam non finiam, alieno scelere quàm meo mori malo.* De abusu veneris, vini & cibi, varia apud autores extant præcepta, quæ omnia ad jus gentium referenda sunt, quia omnium ferè gentium legibus sunt communia, & sæpè sine civili remedio homines à talibus delictis abstrahuntur. At quando per publicam personam prohibentur aut puniuntur, ut cum censor, judex vel legislator de talibus leges fert, & delinquentes per carnificem punit, ille modus prohibitionis ac pœnæ est civilis. *l. 3. D. de bon. eor. qui ante sent. mort. sibi consc.*

Desperatio salutis non tantùm animum sed & corpus hominis affligit, totumq; hominem in summum malum præcipitat, quapropter illam maluimus ad hoc caput referre quam ad præcedens. Ejus igitur prohibitio & detestatio est juris gentium, non juris naturæ prioris, quia id Deo diffidentem nescit; nec juris civilis, quia sæpissimè fit sine auxilio civili, ut Plut. *in libro de superstitione* execratur & miserrimos *Et desperationem.*

pronunciat omnes, qui Deo diffidunt. Desperatio est malum *cupiditati boni* de qua *lib. 3. cap. 4.* egimus, oppositum, quod jus naturæ ignorat, jus gentium seriò ut summum malum dissuadet ac prohibet.

Et pœnas constituit lædentibus.

Constituit etiam jus gentium pœnas in eos qui seipsos vel alios contra naturalem amorem lædunt, ut in verba contumeliosa, in plagas & vulnera, in homicidia, &c. Nam quod puniri debeant talia delicta, jus gentium docet, modos autem pœnarum examinat & constituit jus civile. Ubi autem civitas nulla est, ipsa ratio usurpat modum pœnæ quem invenit, vel quem aliorum consuetudo & exemplum monstrat.

Modi aliquot consociationum sunt juris gentium.

Ut mutua affectio hominum conservetur, jus gentium modos aliquot consociationum excogitavit, & naturam societatis amantem adjuvit ingeniosis quibusdam commentis, ne lex peccati societates dissolvere posset. Cum itaq; ratio observasset, affectionem maximè calere & durabiliorem esse erga eos, qui nos in gradu consanguinitatis proximè attingunt, leges conjugii posuit & modos quibus homines à vagis libidinibus abstrahi possent, excogitavit. Ita leges, præcepta & consuetudines, quibus gentes pro conservatione conjugii contra promiscuas commixtiones utuntur, sunt juris gentium.

Et eorum modorum ceremoniæ.

Huic fini serviunt ceremoniæ variæ, ut quod societates conjugales ab iis quorum interest petuntur, quod publicè contrahuntur per has & illas ceremonias, in conspectu & præsentia ali-

quot

Digitized by Google

quot testium fide dignorum, item quod non licet cuiq; eas dissolvere, & si forte violatæ fuerint, ut delinquentes puniantur. Hæc sunt arcana & salutaria remedia quæ ratio pro conservatione humanę societatis & affectionis excogitavit, ex quibus matrimoniorum & familiarum jura externa apud omnes gentes fluunt. Possent matrimonia rectè contrahi nemine cõscio, possent etiam sponsalia vel completa matrimonia ex causa gravi & probabili nullis arbitris intervenientibus dissolvi: at ratio vidit id non esse utile, & societatibus fore periculosum: requirit ergò externa testimonia, & ceremonias aliquot quæ clàm adhiberi non possint, ut consensum parentum, testimonium & gratulationem amicorum, traditionem publicam & similia, non quod ea sint de essentia & necessitate societatis naturali, sed quod de probatione rationabili. Sunt quædam physicè necessaria, quæ jus naturæ proximè attingit: quædam œconomicè, ethicè aut politicè, ad quæ jura gentium & politica simul respiciunt. Et quia omnia quæ rationi conveniunt suo modo naturalia sunt, (siquidem omnis ratio secundùm naturam & ex luce naturali est) hæc quoq; suo modo naturalia dici possunt, nempe remotè, quod naturæ bonum tandem respiciant & promoveant. Hinc evenit, ut externæ quædam ceremoniæ se juri naturæ ita applicent & agglutinent, ut naturalium essentiam induere videantur. Putârunt nonnulli consensum parentum, in nuptiis

Ut ceremonia nuptiales.

Quomodo illa necessaria & juris naturæ sint.

Consensus parentum

pronunciat omnes, qui Deo diffidunt. Desperatio est malum *cupiditati boni* de qua *lib. 3. cap. 4.* egimus, oppositum, quod jus naturæ ignorat, jus gentium seriò ut summum malum dissuadet ac prohibet.

Et pœnas constituit lædentibus.

Constituit etiam jus gentium pœnas in eos qui seipsos vel alios contra naturalem amorem lædunt, ut in verba contumeliosa, in plagas & vulnera, in homicidia, &c. Nam quod puniri debeant talia delicta, jus gentium docet, modos autem pœnarum examinat & constituit jus civile. Ubi autem civitas nulla est, ipsa ratio usurpat modum pœnæ quem invenit, vel quem aliorum consuetudo & exemplum monstrat.

Modi aliquot consociationum sunt juris gentium.

Ut mutua affectio hominum conservetur, jus gentium modos aliquot consociationum excogitavit, & naturam societatis amantem adjuvit ingeniosis quibusdam commentis, ne lex peccati societates dissolvere posset. Cum itaq; ratio observasset, affectionem maximè calere & durabiliorem esse erga eos, qui nos in gradu consanguinitatis proximè attingunt, leges conjugii posuit & modos quibus homines à vagis libidinibus abstrahi possent, excogitavit. Ita leges, præcepta & consuetudines, quibus gentes pro conservatione conjugii contra promiscuas commixtiones utuntur, sunt juris gentium.

Et eorum modorum ceremoniæ.

Huic fini serviunt ceremoniæ variæ, ut quod societates conjugales ab iis quorum interest petuntur, quod publicè contrahuntur per has & illas ceremonias, in conspectu & præsentia aliquot

quot testium fide dignorum, item quod non licet cuiq; eas dissolvere, & si forte violatæ fuerint, ut delinquentes puniantur. Hæc sunt arcana & salutaria remedia quæ ratio pro conservatione humanæ societatis & affectionis excogitavit, ex quibus matrimoniorum & familiarum jura externa apud omnes gentes fluunt. Possent matrimonia rectè contrahi nemine cōscio, possent etiam sponsalia vel completa matrimonia ex causa gravi & probabili nullis arbitris intervenientibus dissolvi: at ratio vidit id non esse utile, & societatibus fore periculosum: requirit ergò externa testimonia, & ceremonias aliquot quæ clàm adhiberi non possint, ut consensum parentum, testimonium & gratulationem amicorum, traditionem publicam & similia, non quod ea sint de essentia & necessitate societatis naturali, sed quod de probatione rationabili. Sunt quædam physicè necessaria, quæ jus naturæ proximè attingit: quædam œconomicè, ethicè aut politicè, ad quæ jura gentium & politica simul respiciunt. Et quia omnia quæ rationi conveniunt suo modo naturalia sunt, (siquidem omnis ratio secundùm naturam & ex luce naturali est) hæc quoq; suo modo naturalia dici possunt, nempe remotè, quod naturæ bonum tandem respiciant & promoveant. Hinc evenit, ut externæ quædam ceremoniæ se juri naturæ ita applicent & agglutinent, ut naturalium essentiam induere videantur. Putârunt nonnulli consensum parentum, in nuptiis

Ut ceremonia nuptiales.

Quomodo illa necessaria & juris natura sint.

Consensus parentum

ar nuptiis liberorum, est juris gentium.

ptiis liberorum, esse juris naturæ prioris: sed eâ ratione parentibus mortuis, absentibus aut furiosis, liberi non possent matrimonium contrahere ob impedimentum immutabilis juris naturæ & defectum naturalis requisiti quod erroneum est. Parentum consensus est rationabile requisitum externum, quod ratio necessitate ethicâ & œconomicâ, ob conservationem familiarum & bonorum morum conjugio essentiale fecit, & naturalibus conjugii requisitis per debitam parentibus gratitudinem ita assimilavit, ut naturalis necessitatis naturam imitari videatur. Esau matrimonium habuit, & tamen uxores duxit sine consensu patris sui *Gen. 28. v. 9.* Iacob habet generalem consensum sui patris, *d. cap. 28. v. 2.* at cum uxores duceret illum non consuluit. *Gen. 29.* & sic hodiè parentes sæpè permittunt liberis, ut sibi uxores despondeant, aut si pacti jam sint, gratulabundi consentiunt, multi etiam benè ac prudenter ex voto parentum ipsis insciis contrahunt, unde liquet consensum parentum à jure gentium necessitate rationabili ethicâ & œconomicâ esse introductum, non jure naturali. Hi modi cum civiliter approbari, præcipi, & per civilia quædam media applicari solent, fiunt juris civilis mixti, ut inferiùs explicabitur.

Patria coactio est juris gentiū.

Ad jus gentium pertinet coactio patria, quam apud omnes gentes in usu esse videmus. Est verò & hæc ipsa de salutaribus & arcanis consiliis, quę ratio pro humanarum societatum & offi-

Digitized by Google

& officiorum charitatis conservatione suppeditavit, ut liberi cogantur parentibus obedire, illorum disciplinæ se subjicere, eorumq; consilia in contrahendis nuptiis sequi. Ita parentes possunt liberis & bonis suis uti tanquam mediis, quibus sibi & suæ posteritati amicos parent & obstringant. Ius naturale priùs nullam inter homines facit differentiam, nec repugnationem quandam liberorum suspicatur, ergò nec potestatem patriam novit, sed tantum amorem erga omnes homines summum. Huic amori de jure gentium accedit & assimilat se paternum imperium, quod totum in pietate consistit *l. Divus. D. de lege Pomp. parricid.* & tamen coactionem quandam reluctantis in se continet. Sed modi quibus exercetur coactio patria, omnes ferè à jure civili circumscripti, & certis solennitatibus aucti exornatiq; sunt, ideò Imp. noster *Inst. de patr. pot.* ait, potestatem patriam juris civilis esse, & nullos populos talem habere in liberos potestatem atq; cives Romani: *talem*, inquit, hoc est ita formatam & circumscriptam. Est autem juris civilis mixti, nam origo ejus ex naturali amore & providentia paterna est; ratio & inventio ex jure gentium; modus exercendi & imperii paterni publica ratificatio ex jure civili. Quædam etiam patria potestas tota civilis est, ut quæ exercetur in adoptatos & arrogatos, item quam patres publici seu magistratus exercent in subjectos, talis enim potestas ex civili ordine & publicis

 legi-

legibus naſcitur. Quod autem nonnulli patres liberos ſuos mactârunt, diabolis immolârunt, *Levit. 18. v. 21. Pſ. 106. v. 37. Macrob. 1. Saturn. 7.* abjecerunt, *Terent. in Heaut. act. 4. ſc. 1.* vel vendiderunt *C. de patrib. qui fil. diſtr.* patriæ poteſtatis non eſt, ſed inhumanæ crudelitatis, & nullius juris eſſe poteſt, quia eſt contra rationem & jus naturæ, quod alia jura non oppugnant. Ergò etiam Conſtantinus *l. 2. C. d. tit.* venditionem liberorum non conceſsit niſi unico hoc caſu cum pater ob extremam paupertatem liberos alere nequit, ut tum potiùs vendat filii operas & jus detinendi pro nutritione, quàm illum fame enecet. Sed hic caſus incidit in actiones mixtas, in quibus minus malum majori præferre naturali ratione cogimur. *lib. 1. cap. 13.* Et univerſaliter omnis parentum inhumanitas eſt contra jus, quapropter eam jus civile tantò faciliùs tollere vel limitare poteſt.

Poteſtas maritalis. Iiſdem ex fontibus ſcaturit autoritas maritalis, quæ omnibus gentibus utiliſsima eſt ad conjugii vinculum, amicitiæ & ſocietatis fœdus, ipſumq; honeſtum conſervandum, monſtrata à Deo *Gen. 3. v 16.* Ius quidem naturæ ipſâ vi rationis conjugii finem & verum uſum præſcripſerat, ſed cum eum homines ultrò obſervaturi non eſſent, & tàm promiſcuo concubitu, quàm mutatione conjugis frequenti amicitiæ vincula, (quæ familiari conſuetudine & officiis non vulgatis ſuſtinentur) ſolvere tentarent, vidit Deus & ratio perutile fore, ſi conjugi in conjugem,

Digitized by Google

jugem, & inprimis marito tanquam prudentiori & fortiori in uxorem daretur aliquod jus, quo uxorem secum manere & sibi obedire cogere posset. Recepta itaq; apud omnes gentes est potestas maritalis, *Tiraq. in l. connub. gl. 1, part. 1.* cujus fructus quotidiè percipiuntur non vulgares. Consistit verò potestas illa non in eo, ut naturalem amorem deleat, quemadmodum tyranni nonnulli contra omne jus suâ autoritate abutuntur, sed ut conservet consilio & autoritate. Quia verò metuendum erat, ne mariti sibi nimiùm potestatis & licentiæ arrogarent, jus civile per leges & patres publicos præscripsit certos modos, quibus ea exercenda esset, & ita etiam potestas maritalis facta est juris civilis, *Tiraq. d. cap. 1.* nempe mixti, ut facilè intelligitur.

Diximus etiam juris naturæ prioris esse castitatem, *lib. 3. cap. 5.* pro ejus conservatione jus gentium nonnulla adinvenit remedia. Et primò potestas patria ac maritalis perquam utilis est ad liberos & uxores à libidinibus prohibendas. Sed præter hæc invenit jus gentium pœnas aliquot contra libidines, ut increpationes, multas, verbera, ejectiones, infamiam, & tandem ipsam mortem. Nam quod illicitæ libidines puniri debeant, jus gentium persuadet, jus civile verò tantùm constituit & publicè probat modos pœnarum, ne nimiâ indulgentiâ vel atrocitate peccetur. Quidam populi barbari extra civiles societates vivunt, & modos *Castitatis conservatio.*

pœna-

pœnarum publicè constitutos non habent; nonnunquam etiam in civilibus societatibus delicta quædam pœnam publicis legibus constitutam non habent, sed retinent eam, quam cuiq; justitiæ defensori vel ratio vel exemplum & consuetudo concivium monstrat, eamq; per privatas personas applicari sinimus, tales ergò pœnæ pure juris gentium sunt. Ut cum paterfam. filiam vel uxorem ob impudens aliquod delictum verberat, hujus pœnæ inventio & executio est juris gentium: si per personam publicam puniretur, modus pœnæ esset juris civilis.

Honesti defensio. Pro conservatione honesti jus gentium introduxit pœnas aliquot impudentiæ, ut infamiam, ejectionem, verbera, nonnunquam etiam mortem. Nam ut publicè malè audiat, qui contra decorum deliquit, ex legibus civilibus non est: multi ob pravos mores, ob verba quædam suspecta, ob attentatum aliquod, vel etiam ob factum jure permissum, alieno tamen loco & tempore perpetratum, vituperantur, in quibus casibus infamia est ex jure gentium, & infligitur modo juris gentium nempe per judicium omnium rectè sentientium hominum. *L. infamem. 7. D. de publ. jud. l. Athletas. 4. §. ult. D. de his qui not. inf.* Quando verò ex civili quodam indecoro per publicam personam infamia inuritur, tum est juris civilis: plurimæ autem infamandi causæ & viæ sunt juris gentium. Sic cum impudenti scurræ nostrâ conversatione & amici-

amicitiâ interdicimus, remedio juris gentium pro naturali honesto utimur. Huic interdum accedunt verbera & tela mortifera, ut in defensione pudicitiæ, de qua paulò post dicemus.

Nascitur ex jure gentium quædam tutela, inprimis agnatorum & cognatorum *§. impuberes. 6. Instit. de Attil. tut. Gen. 12. v. 5.* nam ratio ipsa dictat, orphanos & eorum bona debere potiùs in agnatorum tutela esse, quàm sub extraneorum inspectione. Quædam verò tutelæ, & modi nonnulli deferendi tutelas mere juris civilis sunt, quapropter Imperator, ut de toto jure tutelæ loqueretur *§. 1. Instit. de tutel.* inquit tutelam esse juris civilis, quod de jure civili mixto intelligendum, ut omnes modos & species tutelæ contingat. *Tutela impuberum.*

Similiter ex jure gentium est quædam cura puberum, nempe furiosorum, decrepitorum, viduarum & aliarum personarum quæ suis negotiis non sufficiunt. Et videtur exigua differentia fore inter tutelas & curas, nisi civilibus modis distinguerentur: una enim ratione sustinentur, nempe quod æquum sit agnatorum auxiliis sublevari, qui sibi ipsis consulere non possunt. *Cura puberum.*

Pro amore patriæ jus gentium hoc introduxit, quod omnibus gentibus persuasit peregrinos non facilè recipere, & inquilinos advenis semper præferre. *Prælatio sympatriotarum.*

Pro gratitudine naturali conservanda faciunt correctiones ingratorum & increpationes, qua- *Ingratorum correctio.*

quarum apud Philophos satis multæ in ingratos; infamia, quâ ferè apud omnes gentes laborant ingrati; & aliæ quædam pœnæ apud varios populos contra ingratos usitatæ.

Prælationis injustæ prohibitio.

Æqualitatem status & libertatem jus gentium ita conservare studuit, quod servitutes nullas probat, nisi ex certis quibusdam & rationabilibus causis, & quod injustam aliorum depressionem bello prohibere docuit, ut infrà dicetur. Hæc sunt juris gentium præcepta ad ea naturæ jura, quæ *lib. 3. cap. 5.* tradidimus respicientia, de quibus singulis prolixè agi posset, nisi nobis propositum esset ea tantùm, quæ ad intellectum juris necessaria putavimus, breviter attingere.



Præcepta juris gentium defensionem armatam continentia.

CAP. X.

DE togata nostri animi & corporis defensione satis dictum esto, videamus eos defensionum modos, quæ cum telo fieri solent: consilia enim non semper sufficiunt ad improborum prohibitionem, nonnunquam vi opus est & armatâ manu.

Defensio armata est juris gentium.

Pertinet ergò ad jus gentium defensio violenta seu armata. Defensionem in jure vocamus cum quis ab injuria se tuetur, offensionem,

cum

tum quis contra jus & æquum læditur. Cum autem violentam defensionem probamus, vim intelligimus licitam & necessariam, quæ omni jure concessa esse dicitur. Cur eam juris naturæ prioris esse negemus, ex prædictis constare poterit, nempe quia jus prius sincero omnium hominum amore offensionem nullam novit, nec defensionem ergò. Citra peccatum & offensio & defensio ignorarentur, at natis è malitia hominum offensionibus, ratio docuit defensionibus uti.

Defensionem quidam ad jus naturæ prius retulerunt, decepti eo quod autores, ut sæpè dictum est, jus naturale prius à posteriori non semper tàm exactè distinguunt, ut Cajus, *l. itaq. 4. D. ad l. Aquil.* Ulpianus, *l. 1. §. vim vi. 27. D. de vi & vi arm.* Florentin. *l. ut vim, 3. D. de Iust. & jure*, quemadmodum & Cicero confudit *pro Milone*, cum inquit, *Est enim hæc judices non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti sed facti; non instituti, sed imbuti sumus: ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis.* At si defensio est juris prioris, statuendum erit in eo esse offensionis metum & experientiam: deinde omnes defensionis species erunt juris naturalis, ut bella & quæ inde sequuntur servitutes, quas leges nostræ juri naturæ contrarias esse statuunt. Oportuerit etiam ad jus naturæ referre defensiones bonorum,

Non juris priorir.

norum; quæ fiunt per contractus & modos acquirendi, quod negat *l. 5. D de just. & jure*: & totum jus naturæ posterius cum priori confundendum erit, siquidem id totum in defensione naturalis æqui consistit.

Defensio nulla in brutis.

Alii defensionem ideò ad jus naturæ transferunt, quod simile quid appareat in brutis *l. 1. §. 4. & seqq. D. si quadrup.* quod & Cicero confirmare putatur *1. offic.* cum ait: *Omni generi animantium à natura tributum est, ut se, vitam, corpusq; tueatur, & declinet quæ nocitura videantur.* Et *2. de finib.* *Omne animal, simul ut ortum est, & seipsum & omnes suas partes diligit, duasq; res, quæ maximæ sunt, inprimis amplectitur, animum & corpus, deinde utriusq; partes.* Et *3. de finib. in pr.* ubi inquit: *simul atq; natum sit animal ipsum sibi conciliari & commendari ad se conservandum, & ad suum statum, & ad ea quæ conservantia sunt ejus status deligenda: alienari autem ab interitu, iisq; rebus quæ interitum videantur afferre.* Sed defensio non externam pugnam in jure significat, qualis est in brutis, verum rationabilem sui juris ab injuria conservationem, *l. non videtur. 52. D. de reg. jur. l. sed hæ. 35. §. defendere. l. 36. D. de procurat.* quapropter & nos defensionis verbo totum officium juris gentium complexi sumus. Et ne verborum captatione elabi velle videamur, dicimus in beluis nihil esse quod defensio, vel tuitio, vel propugnatio juris, vel alio tali modo appellari possit, quia beluæ quando & à quo lædantur non intelligunt. Ut si fortè ob pauperiem factam jussu domini per ministrum

verbe-

Digitized by Google

verberentur, putant se à ministro lædi, & in hunc feruntur, ignaræ se suâ culpâ & domini jussu vapulare. Iudicant ergò tantùm externis sensibus, & cæco impetu irruunt in id quod, dolorem infligit, ut canis in fustem vel in lapidem. Cum itaq; nesciant beluæ quo animo, quâ causâ, cujus jussu contrectentur, utrum is qui manum injicit iis benè an malè velit, non possunt intelligere quando & contra quem se ab injusta læsione defendere debeant. Duo sunt, ut in omnibus actionibus, ita etiam in defensione consideranda, animus & externus applicandi modus. Animus in omnibus actionibus præstantissima pars est, quia ab eo motus principium, regula & qualitas totius actionis proficiscitur, ut meritò forma actionum esse dicatur: modus externus & externa actionis forma, quasi pars accidentalis & instrumentalis est, quæ ex animo æstimatur. Ea fit aut verbis, ut in retorsionibus injuriarum, in excusationibus & omnibus responsionibus, aut facto externo: factum verò externum non semper consistit in pugna nostra, sed sæpè etiam in terrore, minis & aliis impedimentis, quæ adversario nostro vel ipsi vel per amicos nostros objicimus, interdum verò ipsi ad repugnationem descendere cogimur. Hujus externæ & ultimæ, atq; ita minimæ defensionis particulæ similitudo quædam est in beluis, animus verò depellendi injuriam in illis non est, quia quid injuria sit, non intelligunt. Quod autē externa pugna
 ad es-
Digitized by Google

ad essentiam defensionis parum faciat, eaque tota potiùs ex animo defendentis æstimanda sit, inde liquere potest, quod agitatio illa membrorum utriq;, tàm offendenti quàm defendenti est communis. Si omnis, qui pugnat se defendit, etiam latro se defendit, quando invadit ut offendat, & magistratus, quando delinquentes punit, justitiam simul defendit & offendit, quod fieri nequit. Cum itaq; offensio & defensio ex jure & animo æstimanda sit, juris verò intellectus in beluas non cadat, sequitur nec injuriæ illationem, sive ea offensio, sive alio modo vocetur, nec depulsionem, quam defensionem vocamus, cum brutis esse communem.

Defensio vocatur vindicatio, seu Vitio. Defensionem Cicero vocat vindicationem, eamq; *lib. 2. de invent.* definit, *per quam vim & contumeliam defendendo aut ulciscendo propulsamus, à nobis & à nostris, qui nobis cari esse debent, & per quam peccata punimus.* Hæc omnia præmissæ nostræ explicationi conveniunt: id tantùm monemus, Ciceronem per ultionem non intelligere ultionem facti, quæ jure divino, *Rom. 12. v. 19. Mat. 5. v. 38.* & humano *l. 1. C. unde vi. l. ut vim. D. de Iust. & jure* prohibetur, sed ultionem juris legitimam, quam probat jus divinum *Rom. 13. v. 4.* & humanum. *C. quando lic. unic. sine jud. se vindic. l. 1. C. pro quib. ca. ser. pro præm. lib. accip. l. qui cùm major. 14. §. 6. D. de bon. libert. d. l. ut vim. 3. D. de Iust. & jure, & alibi innumeris locis.* Omnis autem defensio, cum civilibus mediis applicatur, fit juris civilis mixti, ut ex prædictis satis liquet, qua-

propter

Digitized by Google

propter nonnunquam etiam defensio ad jus civile refertur, ut cum dicitur omnia jura concedere ut vis vi repellatur *l. scientiam. 45. §. 4. D. ad l. Aquil.* Cum species juris naturalis, à Cicerone *2. de invent.* enumeratas, libro priori explicandas proponeremus, diximus vindicationem ad jus naturæ prius non pertinere, ideoq; ad jus gentium reservandam esse, *lib. 3. cap. 2.* de quo, an rectè factum sit, lector nunc poterit judicare.

Priusquam verò hinc abeamus ipsa nobis defensio defendenda erit, cui nonnulli arma extorquere conantur. Dicunt itaque hîc manifestam vim pati jus naturæ à jure gentium, quod homines armet & animet in aliorum perniciem: cum enim proximum quemq; sicut seipsum diligere oporteat, & jus naturæ immutabile sit, nullâ ratione justum esse posse ut aliquem lædamus, ne quidem pro salutis nostræ defensione. Abutuntur quibusdam sacræ scripturæ locis, *ut Mat. 5. v. 38. Rom. 12. v. 14. 19. & seq. 1 Cor. 4. v. 12. & 6. v. 7. 1. Thess. 5. v. 15.* & aliis argumentis ex jure naturæ priori petitis. Damnant deinde vindictæ nomine omnes defensionum species, duella, bella, judicia, disceptationes & querelas, & ex pravo quorundam horum remediorum abusu argumenta sumunt quibus opinionem suam exornent, aliosq; horum mediorum defensores impietatis & injustitiæ accusent. At si propter abusum rei ejusdem etiam usum tollere, omniaq; bona & mala

An defensio sit contra jus naturæ.

 secum

secum commixta juxta habere volumus, omnia jura simul erunt abjicienda, & peribit nobis totum jus salvâ injustitiâ. Nec quicquam aliud ex hac opinione sequitur, quàm quod jubemur sublatis juris præsidiis, nos improbis raptoribus & latronibus objicere ipsiq; fures & latrones fieri. Si enim hoc dederimus omnem omninò defensionem à Deo improbari, actum erit non modò de gentium & civili, sed etiam de naturali jure, & victrix impietas sublato omni pœnæ metu liberè in innocentes grassabitur. Cogemur omnium hominum, nostrorum liberorum, servorum & peregrinorum injurias ferre, mussitare, tacendo provocare, pietatem & naturalem nostri sangvinis amorem extingvere, & ne Dei quidem auxilium (siquidem & hæc defensionis species est) contra scelestos implorare, quo nihil fingi potest absurdius aut periculosius. Videmus ergò eos qui omnes defensiones improbant, non modò jura gentium & civilia (ut ipsi opinantur) oppugnare, sed & naturalibus, quæ à se defendi gloriabantur, summam injuriam facere, illiusq; impiæ injustitiæ cujus nos accusant, neminem magis quàm ipsos reos esse. Refellunt horum errorem Theologi nostri, & docent non omnem defensionem, sive illa per judicia sive per arma fiat, à Deo improbari, sed eam tantùm vindictam quæ fit ad offensionem, qua de re sufficienter & eruditè scripsit Chemnitius *in loco de vindicta*, quò benevolum lectorem remitto. Confirmant

enim

enim talia saniorum theologorum scripta nostram Iurisprudentiam, nobisq; tela igniunt quibus juris calumniatores prosternamus. Ut ergò theologi docent, non esse contra pietatem se defendere, ita nos, mutatâ modò phrasi, dicimus defensionem non esse contra jus naturæ. Omnis offensio contra amorem & jus naturæ est, at defensio, quatenùs est vera defensio, tantùm contra injuriam & ejus autorem pugnat, ut cogatur desistere & injuriis abstinere. Confligimus cum aliquo legibus, ne contra jus naturæ lædamur, & ut bona nostra nobis relinquantur. Pugnamus armatâ manu ne nobis vita, libertas & alia bona nostra contra jus naturæ eripiantur. Magnum harum rerum abusum esse non diffitemur, sed ille ex jure non est, & multo esset crudelior si nullis remediis contraveniremus: imputentur ergò mala illa non juri nostro, sed legi peccati. Qui vetant se defendere, jubent sui ipsius furem & latronem esse.

Iuri naturæ defensionem etiam Deum admittere.

Obscuriùs aliquando loquuntur, sed tamen in effectu idem volunt qui illum errorem fovent, quem superioribus libris aliquoties refutavimus: nempe qui putant Deum contra decalogum agere posse, & quoties id faciat, modestè cum magna gratiarum actione acquiescendum, cum ne hiscere quidem fas esse possit. Ut si Deus, qui Amor est, alicui contra jus naturæ, hoc est contra amorem & seipsum, ex puro suo beneplacito, quia sic libeat, quod dedit

eripiat & excruciet, nefas esse dicunt id ægrè ferrè, sed gratias potiùs agendas esse quam maximas quod nobis vitam & temporalia bona dederit, eaq; non omnia simul eripuerit, hoc est, quod dederit, quo nobis ægrè facere posset. Illi quidem jubent nos Deum & nos ipsos abnegare: Deum ita, quod illum non agnoscere veracem, constantem, semper & ubique sibi similem ac purè bonum, tantundem est vel etiam pejus quàm omninò abnegare, ut supra docuimus. Nos ipsos autem abnegare jubemur, si vetamur ægrè ferre, quando nobis partes essentiales, anima & corpus, quibus nihil magis naturale habemus, eripiuntur aut excruciantur. Impossibile est illi benè velle, in quem suspicio cadat talis conatus, nedum ut gratias agere queamus illi qui fecerit. Non jubet nos Deus jus naturæ in nobis, nostrumq; animum & corpus abnegare, nam vitæ dulcedinem & salutis desiderium negare, est rationem & vitam, Deumq; ipsum per rationis lucem & boni appetitum in nobis habitantem abjicere, quod non potest nisi contra Deum & rationem fieri, cum vita vitæ, salus salutis amorem improbare nequeat. Nec vetat nos Deus suspiriis, excusationibus & deprecationibus pro naturali salutis amore, quem exuere non possumus, intercedere. Deus nec offensiones probat, nec defensiones improbat *Gen. 3. 4. 20. Mat. 10. Iob. 8.* sæpè etiam lubricas & inanes excusationes recepit, ne cuiquam injuriam facere vide-

videretur. Sed nolumus in amplissimum hunc dicendi campum evagari. Id tantùm monemus, jus gentium, vel rationabilem aliquam defensionis speciem in intimo recessu suo contra Deum non esse, & posse etiam Deum pati, ut omnibus juris gentium remediis ac defensionis speciebus pro jure naturæ contra se (si quid ille contra jus naturæ ageret) uteremur. Si concederemus defensionem juris naturæ aliquo modo injustam esse posse respectu Dei, statim suboreretur suspiciosa quæstio, anne etiam jus gentium cum suis defensionum speciebus injustum esset contra homines? Si Deo concessum esset juri naturæ vim facere, quid ni etiam homini? an verò non licet Dei exemplum imitari? Credimus justa esse omnia quæ Deus facit: at si ille contra jus naturæ agit & jus gentium repudiat, nullamq; excusationem vel deprecationem audire vult, quidni idem liceat homini? Cum verò statuimus etiam Deum jus gentium probare & in suo judicio admittere, tum nostri juris autoritas & certitudo divinitùs confirmata subsistit. Et hæc quidem defensionis vindicatio generaliter ad totum jus gentium omnesq; ejus species pertinet, nobis autem hoc loco primùm succurrit, ubi primum nostrorum adversariorum sensimus insultum.

Hæc itaq; defensio primò spectat ad vitam nostram, *l. ut vim. 3. D. de just. & jure. l. itaq; 4. l. scientiam, §. 4. D. ad l. Aquil. l. 1. §. vim vi. 27. D. de vi & vi arm.* hoc est, si quis vitæ nostræ aut tem- *Defendere licet vitam.*

 porali

Digitized by Google

porali aut æternæ insidietur, omni jure nos possumus contra illum hostem defendere, & omnia defensionum media, quibus uti possumus jure sunt permissa, quod & Apostoli verbis confirmari potest *Rom. 3. v. 5. 6. 7. & 8.* Quod autem *d. ll.* dicitur defensionem omnibus legibus & juribus permitti, non ita accipiendum est, quòd defensio ad omnia jura primò pertineat, sed quod nulli juris speciei adversetur.

Et corpus. Altera defensio est nostri corporis: nam etsi vita in periculo posita non esset sed corpus tantùm, ut si quis virginitatem expugnare, nasum aut aliud membrum amputare conaretur, justissima est contra illum defensio, non tantùm quia talium non datur restitutio, sed quia offendens est injustus, & nullo jure cogimur injurias, quas avertere possumus, perferre. Ideoq; si tantùm vulnerare vel alapam infligere vellet offendens, justum est tales injurias à se prohibere, *d. l. ut vim. D. de Iust. & Iure. ibi, corporis sui tutelam. arg. l. 8. D. quod met. causa.* Nec adversantur nobis verba Christi *Mat. 5. v. 39.* nam Christus in illa concione explicat vim & veram mentem juris naturæ prioris, & docet quàm perfectum amorem lex Dei a nobis requirat. Deinde docet non statim à jure naturæ prosiliendum ad remedia juris gentium & civilis, sed ferendas & mussitandas esse injurias quæ bonâ conscientiâ & salvo jure naturæ ferri possunt. Ut si alicui pallium eripiatur vel colaphus infringatur, possent offendenti per civiles leges,

leges, nempe per accusationes criminales publicas, bona, fama & vita eripi: sed C[illegible] docet, tàm facile à jure naturæ & ab insito omnium hominum amore non refugiendum, mussitanda & dissimulanda potiùs esse multa, & tentandum omnibus modis, an malum bono vincere possimus. Ut autem contra jus naturæ & contra conscientiam omnia perpetiamur aut agamus, Christus nullibi docuit, ideò illo in capite non jubet ut corpora nostra stuprum vel adulterium cupientibus offeramus, nec ut hominibus cum quibus sine peccato & scandalo habitare non possumus familiariter utamur, sed docet eos tanquam inflammata membra præcidendos & abjiciendos esse. Et hæc quoq; nostra mens est, non ut statim ad quodvis verbum ad arma prosilias, aut quotiescunque aliquem juris prætextum habere possis, summum jus sequaris; sed quod tùm, quando necessitas cogit, ut vel contrà jus naturæ & conscientiam aliquid patiaris, vel te armatâ manu eripias, arma licitè stringere & impium hominem tanquam funestam pestem abigere possis. Si enim licet membrum corporis amputare ob conservationem partium sanarum, licet etiam impium hominem ferro secare vel occidere ob conservationem justitiæ & juris naturæ. Qua de re plura paulò post in defensionum requisitis & vero juris gentium usu monebimus.

Extendit se eadem hæc defensio ad vitam & corpus uxorum, liberorum, amicorum, concivium, *Liberos amicosq; licet defendere.*

 vium,

vium, & omnium qui injustam vim patiuntur hominum: nam inter nos omnes natura quandam cognationem constituit, *l. 3. D. de Iust. & jure.* Unde etiam Cic. *3. de finib.* ait ipsam naturam inter homines loco civilis juris esse, *& ibid. circa fin. Ex hoc nascitur, ut etiam communis hominum inter homines naturalis sit commendatio, ut oporteat hominem ab homine, ob idipsum quod homo sit, non alienum videri.* Idem repetit *lib. 5. de finib. & 1 offic.* Quapropter jure gentium utitur & recte facit qui alicui contra vim injustam succurrit, ut Moses *Exod. 2. v. 11.* fratrem suum à latrone defendit. Ipsi Deo, cujus veritatem & verbum in hac propria causa ejus judicem ferre possumus, præter hostilem inimicitiam nihil debemus si cuiquam hominum causa interitus fuit. Nostra est injuria quæ homini fit: omni jure capitale odium denunciamus mortis autori. Adeò Deus non improbat jus gentium, ut quemque jubeat alterius injurias suas putare. Ex hoc capite Deo interdum totus populus reus fit ob unius hominis delictum, ut si fortè alicui imbecilliori manifesta vis fiat à potentiori, & qui suppresi innocentiam excusare vel precibus pro eo intercedere possent, tacent, sibi ab homine magis metuunt quàm à Deo *Mat. 10. v. 28.* juvant etiam nunnunquam potentiorum furores, cum eos per amicos & proceres amicè dehortari, vel certè impia eorum facta non juvare & approbare debuissent. Omnes illi ejusdem delicti coram Deo rei sunt, *ut Gen. 6. 16.*

Exod.

Digitized by Google

Exod. 7. usq; ad. 15. Item, cap. 32. 1. Sam. 2. 2. Sam. ult. Iudic. 19. & 20. 1. Cor. 5. & aliis multis in locis videmus. Quamvis enim delicta ibi commemorata corporali præsentiâ & contactu omnes qui puniti sunt non juvarint, animo tamen ut præstantissimâ sui parte omnes correi facti sunt, quod non prohibuerint vel deprecati sint, sed potiùs applauserint, alienas injurias dissimularint, excusarint & promoverint. Probant idem humana jura cum dicunt facientes & consentientes iisdem pœnis dignos esse. *§. 11. v. ope consilio. Instit. de obl. quæ ex del. nasc. l. Qui servo. D. de furt. l. sæpe ita. 53. §. ult. D. de verb. sign. arg. l. 1. D. de legib.* quò facit quod *lib. 1. cap. 13.* docuimus, non omnem ignorationem & socordiam posse excusari, & facta ex ignoratione commissa propter subsequentem approbationem spontaneis similia fieri: item quod *lib. 3.* ostendimus ex immutabili jure naturæ omnium hominum injurias ad nos pertinere.

Non dico nos jure gentium admoneri ut statim armatâ manu in peregrinos vel in magistratus nostros involemus, & omnes injurias concivibus nostris factas ferro vindicemus, sed quod jubeamur iniquè læsos defendere, amicâ deprecatione, humanâ excusatione, auxilii injusti denegatione, insontium præmonitione & similibus modis, ut Abigail pro marito suo intercedit *1. Sam. 25.* & Ionathan pro David *1. Sam. 19. & 20.* arma verò expedire non oportet, nisi cum nos extrema & inevitabilis cogit neces-

sitas

sitas, ut minus malum præferamus majori: quo tamen in casu non privata tantùm, sed & publica mala sunt consideranda. Ex hisce principiis bellorum jura nascuntur, quæ multi improbant, opinantes omnibus injuriam fieri qui corporali præsentiâ non adjuvarint illud delictum, ob quod contra delinquentes justa arma expediuntur. De juribus belli itaq; paulò post acturi, hæc paulò copiosiùs præfari voluimus: defensionis privatæ requisita essentialia hoc capite priùs explicemus.

Defensionum requisita. In omnibus ergò hisce privatis defensionibus, quæ violentâ & armatâ manu fiunt, considerandum est, primò, utrum hoc defensionis

Necessitas. modo opus fuerit? nam si verbis, deprecationibus, reluctationibus aut pugno res potuit expediri, omninò non licuit armis cernere: item si nullum periculum fuerit in mora & auxilium magistratus potuerit expectari, injustum fuit media publicè constituta negligere. Deinde, si opus fuit tali defensione, videndum an fuerit vera defensio, seu an denfensio offensioni fuerit

Æqualitas. adæquata. Æqualitatem spectamus non armorum aut plagarum sed qualitatum juris & injuriæ, an pro qualitate offensionis opus fuerit eâ defensionis vehementiâ. Ut si puella pudicitiam suam verbis & verberibus defendere non possit, licet illi telo uti. Sed an etiam interficere audebit, si alio modo se tueri nequeat? puto licere, quia cujus pudicitia tentatur, in vitæ periculo est *Deut. 22. l. isti. 8. §. 2. D. quod met.*

Digitized by Google

t. ta. Nec officit, quod stupra publicis legi-
s capitalia non sint, nam id de voluntariis
pris intelligendum est, violenta verò capi-
ia sunt vel esse debent.

Sunt autem hîc iterùm duo consideranda,
imò utriusq; animus, tàm offendentis quàm
fendentis, secundò defensionis tempus.
imum in omnibus actionibus principaliter *Animus.*
ctandum esse supra monuimus, in quo hoc
o considerandum, utrum offendens dolo &
lo consilio agat, an verò ignorantiâ: nam
sset quis injustissimam nobis vim facere er-
s in jure, facto & persona, sine dolo malo.
inde etiam conjecturæ sumendæ sunt de a-
no defendentis, utrum hæc fuerit vera causa
æ illum ad talem defensionem compulerit
am ille prætendit, an verò nunc eo tantùm
cioso sui doli prætextu utatur?

In tempore defensionis videndum an ex in- *Tempus.*
vallo re peractâ, an verò re adhuc integrâ
ta sit: ut si mulier jam compressa sit, vel in-
ia jam accepta, nulla ampliùs est prohibitio
ıriæ, sed quicquid fit privatæ vindictæ & iræ
putandum. Tali ergò in casu implorandum
publicum legum auxilium, quia perpessæ
ıriæ vindicta eam patitur moram.

Quod autem nonnulli arbitrantur etiam *Non etiam*
litatem seu statum personarum considerari *persona sta-*
ere, ut personæ publicæ, Principi vel poten- *tus.*
i plus liceat quàm alteri, mihi non proba-
Nam differentia statuum pertinet ad jus
civile

civile & nullibi est sine civili ordine: delicta autem & pœnæ pertinent ad jus gentium & ad naturale. Naturalia jura nullam agnoscunt personarum inæqualitatem, nec concedunt ut alicui propter potentiam suam plus, vel propter impotentiam minus juris detur in jure naturali. Nemo habet privilegium peccandi contra jus naturæ: & nemini jus naturæ denegari potest, ut se ab injuriis defendere prohibeatur. Civilia verò jura naturalibus vim facere nec possunt nec debent, quapropter personarum respectum leges civiles alium introducere non possunt, nisi civilem. Ius civile tantùm in modo pœnæ publico, quatenùs ille civilis est, discrimen facere potest. Ut si quis homicidium committat, pœna delicti capitalis est ex jure gentium quod mutari nequit: at publicus pœnæ infligendæ modus est civilis, quapropter respectus personæ hîc habitari potest, ita ut hic gladio occidatur, ille rotâ. Ut autem pauper latro solus plectatur, potens dimittatur vel pecuniâ tantùm multetur, leges civiles sancire non possunt, quia in hac pœna nihil ampliùs est civile nisi modus publicus quo vita eripitur.

Qua defensio licita contra verba injuriosa. Arripuêre nonnulli regulam quandam, & dicunt vitam & famam pari passu ambulare, *l. isti 8. §. 2. D. quod met. ca. l. 9. in pr. D. de manum. vind.* inde colligere volunt, licere etiam propter injuriosa verba vel propter colaphi incussionem offendentem occidere, sed malè. Ea enim res patitur moram & per magistratum expediri

i potest, nec propterea causa tua melior & uria infecta fiet, etiamsi lædentem statim erimas. Leges nostræ negant privatorum ıvitiis aliorum famam minui, & jubent in- iarum agere contra convitiatores. *l. si non. 3. de injur. l. 1. C. de famos. libel.* homicidio opus : ad bonæ æstimationis conservationem, n memini me in legibus legisse, dicta etiam is regula hoc non evincit. Famam & vitam uè defendere licet, si sint in æquali periculo, ando verò in extremo periculo non sunt & moram patitur, tum utraq; auxilio magi- ıtus debet defendi. Præterea verum non , licere semper verbales vel plagarum inju- s morte offendentis expiare: quænam hîc ıtæ vehementiæ necessitas? quæ defensionis offensionem proportio & æqualitas? Omnis ensio, quatenùs necessitate destituitur, non defensio sed vindicta. Non ita ad homici- animandi sunt cives, nec juris axiomata ita illari oportet. Esto, ut aliquando ob inju- sa verba capitalis pœna per magistratum igi possit, ut si quis parentibus suis male- erit, *Exod. 21. v. 17. Levit. 20. v. 9.* aut si quis nen læsæ majestatis perpetrarit & calum- magistratuum seditionem excitare ten- it; sed hæc delicta non sunt simplicia, coin- ınt enim periculum & scandalum publi- n, & ingratitudo extrema hominis despe- . Deinde etiam hæc delicta publicè puni- ur non privatim, ut ubiq; magna sit dissi-

militu-

militudo, tàm in delicto quàm in ejus pœna. Imperatores nostri vetuerunt puniri si quis eos maledictis lacessisset, *C. si quis Imperat. maledix.* Alexander M. cùm audiret sibi à quodam maledici, *Regium est*, inquit, *malè audire, cum benè facias.* Cùm Antigono milites quidam in castris maledicerent, nescientes illum in tentorio esse, ille aperto tentorio, *infortunium habebitis*, inquit, *nisi longius hinc digressi me conviciis proscinderis. Plut. in apophth.* Similia de Philippo, Agathocle, Pyrrho & aliis ibi referuntur, quorum leges & exempla nos observare, & injurias quasdam dissimulare, alias irridere & vitæ integritate confutare, non omnia verba sanguine expiare decet. Reprobamus ergò etiam illorum opinionem qui dicunt, virum spectatum, si ab homine vili maledictis petatur aut terreatur, pugnam declinare & cedere non debere, quia id turpe & ignominiosum esse, multò rectiùs & jure facere si resistat & se armis ulciscatur, id enim esse honestum & viro forti dignum. *v. Covarruv. ad clem. si furiosus. p. 3. §. ult. n. 4.* Talibus commentis multa potentiorum homicidia excusantur, perindè quasi necessum fuerit etiam ubi pugnam evitare posses, hominem occidere, vel perpetuò infamem esse. Sed qui nobis regulas juris generales tàm imperitè vel calumniosè ad dissimilia & planè inconvenientia facta applicant, vel interdum sicarios istiusmodi legum depravationibus pœnis eripiunt, læsæ justitiæ rationem Deo reddent. Nobis interim

pessi-

pessima exempla præbent, & ipsum jus apud imperitum vulgus malè audire faciunt, & quando ab eruditioribus arguuntur ad eam tandem insciti æ ac impietatis suæ confessionem confugere coguntur, ut dicant *aliud esse in foro soli, aliud in foro poli*, de qua distinctione justitiæ in fine opusculi nostri aliquid monebimus. Quos verò tàm turpis effugii pudet, eos advigilare oportet, ne falsæ opiniones in jus inserciantur, aut juris axiomata in alienum sensum detorqueantur. Sed de defensione hoc loco satis, ostendere enim tantùm voluimus, quænam ex mente juris gentium sit vera defensio, & quomodo illa in vero suo usu non sit contra jus naturæ.



Defensio juris naturæ armata, publica.

CAP. XI.

DEfensio armata quæ publicè, non ex improviso aliquo congressu, sed consilio & auxilio publico fit, vulgò vocatur *bellum*, quod quando legitimè geritur juris gentium est, *l. 3. 4. 5. D. de Iust. & jure.* Putârunt nonnulli nulla bella à Deo probari, seu, ut phrasibus jureconsultorum utamur, omnia bella contra jus naturæ esse, quod dextrè refutat Chemnit. *in loco de vindicta. vide etiam Th. Aq. in 2. 2. q. 40. art. 1.*

Bellum est juris gentium.

Bella sunt duplicia, justa & injusta, sed Iureconsulti justa tantùm bella, vocant *bella*, si verò injusta sint, dicunt esse *latrocinia*: nos itaque de bellis loquimur, non de latrociniis. Nihil autem juris esse potest nisi quod sit rationabile; nec ulla defensio rationabilis esse potest, nisi quæ sit necessaria: unde sequitur rationabiles & necessarias expeditiones tantùm bella vocari posse, si quæ verò tales sint, eas alicujus juris esse. Quæris ergò quæ sint justæ belli causæ? respondeo omnes necessariæ defensiones juris naturalis, quæ nullis aliis consiliis aut modis, nisi armis publicis obtineri possunt. Dico bella ex necessitate pro jure naturali suscepta justa esse: purè civilis causa justam belli excusationem præbere non potest, quia jus gentium, cujus sunt bella, pro jure naturæ introductum est, non pro jure civili, & civilia cedere servireq; debent naturalibus, non naturalia civilibus. Posuimus supra aliquot requisita necessariæ defensionis, eadem fere omnia in bellis observanda sunt, quia bellum est species defensionis, & à defensione hoc tantum distat, quod publicè geratur. Si hæc consideraverimus, apparebit bella raro esse justa, quia plurima ex vitiis propriis suscitamus, ut ex avaritia, injustitia & furore potentiorum, vel etiam ex civilibus causis, nempe ex mera ambitione & dominandi cupiditate, ut Alexander bello affligebat Asiam ex causa merè civili eaq; improbabili, quod dicebat sibi cum Dario de virtute

Quæ bella sint justa.

certa-

Digitized by Google

certamen esse uter dignior sit ad imperandum. Talibus ex causis pugnam concitare, injustissimum & contra omnia jura est: at innocentiam à gigantibus theomachis & naturæ hostibus defendere, id verè est bellum gerere, idq; tam est justum quam pro Deo autore vitæ contra latronem diabolum pugnare. Cum ergo dicimus bella non esse contra jus naturæ sed latrocinia, hoc volumus; justè & ex necessitate se contra Dei & naturæ impios hostes defendere non esse injustum, at alios sine necessaria & justa causa armis lacessere, id impiorum latronum esse & illius dæmonis qui latro fuit ab initio. *Ioh. 8.* Vidit autem Imperator Iustinianus, & suo exemplo didicit bella raro justa, semper ab alterutra, sæpius ab utraq; parte injusta & potentiorum ambitioso furore excitata geri, ideò *§. sed jus quidem. 2. Instit. de jure nat.* dixit bella juri naturæ contraria esse, cum tamen aliàs vera bella sint pro jure naturæ, latrocinia tantùm contra naturale bonum. Augustin. *lib. 19. de civ. dei cap. 7.* putat etiam justa bella non posse sine omni peccato geri, & semper aliquid succurrere contra amorem, ideò sapienti & pio viro bella ita gerenda esse, ut qui doleat se hostium injustitiâ ad necessarium bellum esse compulsum. Et eâ ratione verè dixerit Imperator, bella juri naturæ contraria esse; quis enim unquam in his terris eo animo bellum suscipit, ut doleat se eò redactum, ut cogatur hostibus suis ægrè facere? Fiunt autem bella

Digitized by Google

juris civilis mixti, cum per publicas personas civiliter ad id constitutas geruntur, ut cum non licet bellum indicere aut finire nisi jussu majestatis, & tamen hæc civilia additamenta, quæ in modis gerendi belli subsistunt, non efficiunt quò minùs bella sint juris gentium. Efficiens enim & finis belli est ex jure gentium, formæ externæ aliqua particula est ex jure civili. Nec bella propterea juris civilis sunt, quod publico aliquot commilitonum consilio geruntur, quia non omnia quæ publicè in aliorum præsentia fiunt, juris civilis sunt, sed quæ politicè. Possunt etiam quædam jure gentium publica esse, ut contractus, matrimonia, testimonia, judicia, pœnæ & similia, quæ tùm demùm politicè publica fiunt, cum ex institutis civilibus per media civiliter constituta administrantur. Utriusque exemplum videmus *Gen. 14.* ubi prius bellum, in quo reges confligebant, erat juris civilis, at posterius, quod Abraham cum servis suis contra reges suscipiebat, erat juris gentium.

De duellis & provocationibus. Illæ verò provocationes, & duella reipub. æquè scandalosa & periculosa, in quibus gladiatores nostri sese jactare, & de futilibus altercationibus armis decertare solent, ad jura belli non pertinent, & nullius juris sunt, quocunque etiam prætextu excusentur. Non sunt juris naturæ prioris, quia non sunt amoris: nec juris civilis, quia non expediuntur per civilia media, sed potius invitis & contradicentibus legibus: nec sunt juris gentium, quia essentialia defensionis

ſionis neceſſariæ requiſita hîc deſiderantur. Ubicunq; magiſtratus auxilium expectari poteſt ac debet; ibi privato non licet armis cernere.

Bella ſequuntur ſervitutes, quas ex jure gentium eſſe dicit *l. 4. D. de Iuſt. & jure.* Nec eſt contra jus naturæ, eos qui libertate ſuâ abutuntur, & nobis pericula creant, ſub poteſtate dominicâ habere, ut & ipſi vivere poſsint & nos tuti eſſe queamus. Nam tales ſervitutes, quæ ex juſto & neceſſario bello naſcuntur, jus noſtrum tantùm probat, qui verò ſine juſta cauſa à latronibus detinentur, pro ſervis non agnoſcuntur. Appellamus autem etiam illos latrones, qui injuſtam habent belli cauſam. *l. hoſtes. 24. D. de capt. & poſtlim. l. hoſtes. 118. D. de verb. ſign. l. qui à latronib. 13. D. qui teſtam. fac. poß. l. 1. in pr. D. de legat. lib. 3.* Servitutem ex jure gentium eſſe agnoſcit etiam Halicarn. *lib. 1.* cum ait: *Hæc lex naturæ apud omnes gentes eſt recepta, quam nullum tempus delebit, ut ſuperiores inferioribus imperent.* Videtur interdum ſervitus iniqua & contra jus naturæ eſſe, ut ſi vir ſtrenuus capiatur & dominio ignavi civis ſubjiciatur. Sed ſciendum non omnes captivos in ſervitutem redigi, verùm illos tantùm, qui capiuntur à barbaris & incultis populis, inter quos pauci vel potiùs nulli ſunt viri virtute politi, qui libertate digni cenſeri poſſint, cum robur corporis ſolum non efficiat ut quis libertate dignus judicari queat *v. Covar. ad l. peccatum. de reg. jur. in 6. part. 2. §. 11. n. 6.* Deinde

Servitus eſt juris gentium.

Digitized by Google

de, licet forte vir liberalis ingenii & cultissimi animi captus sit, non tamen iniqua est servitus, quia injustam belli causam juvit contra eos à quibus justè captus est. Præterea non ille privati alicujus, sed reipub. victricis factus fuit servus, apud privatum verò nutritur tantum, custoditur, & armis exutus laboribus mitigatur, *vide Augustin. lib. 19. de civ. Dei. cap. 21.*

Dominicæ potestatis limitatio. Cum tamen jus dominatus aliquanto durius esset, jus gentium duobus id mollivit remediis. Primò, circumscriptâ domini potestate: nam ubi jus gentium verè observatur, ibi non licet dominis iniquè in servos sævire, *l. 2. D. de his qui sui.* & qui veram juris gentium mentem intelligunt, sciunt servitutem tantum eo fine introductam, ut in potestate nostra habeamus qui sibi ipsi consulere suaq; libertate uti nesciunt, & à quibus, si liberi sint, tuti esse nequeamus. Et hæc potestatis dominicæ circumscriptio non est ex legibus civilibus tantum, sed statim cum jure servitutis à jure gentium introducta. Unde videmus in Hebræorum & Romanorum repub. multos suam libertatem ultrò vendidisse, quod jura servitutum tam humana & tolerabilia esse viderent. Exosum fecit jus servitutis quorundam dominorum inhumanitas: at illa juris non est. Si jus gentium juberet servos crudeliter tractare, aut si eo fine servitutem introduxisset ut inhumanitatem exerceret, rectè diceretur contra jus naturæ egisse, nunc id tantum spectavit ut servarentur qui alias à militibus

Digitized by Google

bus fuissent occisi, quod humanum fuit & utile consilium. Quomodo servi tractandi sint, vide Senec. *lib. 1. de clem. cap. 18. & epist. 47. & l. 2. D. de his qui sui.*

Alterum remedium quod jus gentium contra servitutum duritiem dedit, est manumissio, *l. 4. D. de Iust. & jure*, cujus sanè permultæ causæ jure sunt approbatæ, ut satis appareat jus gentium ubiq; captivorum saluti & dominorum humanitati consuluisse. Si verò quis dominica sua potestate nimis avare in captivos & eorum posteros utitur, id ipsius domini iniquitati imputandum, non juri, quia jus gentium servitutes approbavit ob humanitatem exercendam, non ob avaritiam & crudelitatem *l. 4. D. de statu hom.* Dixere quidem Romani, servos inter pecora vel instrumenta numerari & pro nullis haberi, sed in civilibus tantùm, in naturalibus verò juribus consideraruut eos ut homines, & punierunt dominos si iniquè in eos sæviissent, ut alibi explicari solet. *Manumissio.*



Præcepta juris gentium circa bona & res hominum.

CAP. XII.

DOcuit præterea ratio & experientia, bonorum communionem & hominum avaritiam esse perpetuas litium & injuriarum cau- *Dominiorum distinctio.*

 sas,

ſas, viſum ergò fuit dominia diſtinguere ut jus naturæ inviolatum ſervaretur. *l. ex hoc jure. 5. D. de Iuſt. & jure. §. ſed jus. 2. Inſt. de jure nat. l. 1. D. de acq. rer. dom.* Naturalem liberalitatem per jus gentium non tollimus, ſed dominia rerum diſtinguendo efficimus ut quiſque liberalis eſſe poſsit. Nec jus naturæ talem communionem bonorum, quæ in totali mei ac tui abolitione omniumq; rerum confuſione conſiſtat, requirit, ſed liberalem communicationem earum rerum, quæ piè & honeſtè communicari poſſunt. Hanc jus gentium non retardat, ſed promovet per varios alienandi & contrahendi modos. Si dominia rerum diſtincta non eſſent, malitioſorum hominum avaritia, rapinæ & fraudes bonis nihil relinquerent, unde ſeipſos ſuſtentare & aliis benefacere poſſent. Errant itaque qui putant nos juri naturali vim facere quod communionem bonorum improbamus, nec quærunt jus naturale, quod in amore, beneficentia & liberalitate conſiſtit, ſed jus peccati. Beluina vita non patitur omnium rerum confuſionem, & dominia fovearum indiſtincta, nedum ut ratio humana tali ἀναρχίᾳ & ἀταξίᾳ delectari poſsit. Multò rectiùs Paulus *1. Cor. 7. v. 31.* jus naturæ & gentium explicat, qui jubet poſsidere, ſed ita quaſi non poſsideas, hoc eſt ut liberalitate tuâ egentibus ſuccurras. Cic. *3. de finib.* inquit: *Quemadmodum theatrum, cum commune ſit, rectè tamen dici poteſt ejus eſſe eum locum, quem quiſq; occuparit, ſic in urbe, mundóve communi non adverſa-*

Digitized by Google

versatur jus, quò minus suum quidq; cujusq; sit. Ac ne quis miretur, quomodo distinctionem mei & tui aliquo modo ad jus naturæ pertinere *lib. 3. cap. 6.* statuerimus, & tamen dominia juris gentium esse dicamus, sciendum est omnia juris gentium præcepta in intimo recessu suo habere vim & mentem legum naturalium, distingvi autem à naturalibus per modos externos, quibus naturale jus conservatur & defenditur. Refertur itaq; illa mei & tui differentia ad jus gentium quæ externâ dominiorum distinctione introducta est, ut amor ordinis & ratio quæ personarum ac rerum distinctionem suadet, maneat juris naturæ, at distinctionis forma sit juris gentium.

Dominiorum distinctionem obtinuit jus gentium per modos acquirendi & alienandi varios, ergò & illi ad jus gentium referendi, ut occupatio, donatio, inventio & similes, de quibus *Instit. de rer. divis. D. de acquir. rer. dom.* agitur. Pauci quidam ad jus civile pertinent, de quibus in d. titulorum explicatione monent interpretes Omnes autem tàm acquirendi quàm alienandi modi humanitatis & æquitatis pleni sunt: si quis iis iniquè abutitur, non facit voluntatem juris, sed suæ injustitiæ. *Modi acquirendi & alienandi.*

Obligationes quoque sunt ex jure gentium *l. naturaliter. 13. D. de condict. indeb.* Veritatis amor, ingenua fides, & mendacii aversatio sunt juris naturæ, ut si frater à fratre, cum uterq; in ejusdem potestate esset, aliquid accipiat, vel si pater *Obligationes.*

Dd 5 à filio

à filio quem sua in potestate habet, aut maritus ab uxore rem suam at uxoris usui concessam sumat, licet nec civili nec gentium jure obligetur ut reddat, quia inter tales personas dominiorum distinctio nulla est, reddet tamen, ob naturalem veritatis & ingenuitatis amorem, ne ob proprium commodum aliquid simulasse, aut juris gentium potestatem naturali amori præposuisse videatur. Ita sæpè mariti uxoribus, fratres fratribus & parentes liberis rem ab ipsis acceptam reddendam putant, tantùm ne rubore perfundantur, cum tamen recipiens nihil juris specialis in re reddita haberet, & restituens nec civili nec gentium jure illi esset obligatus. Tales itaq; obligationes quæ solo amore & naturali inhonesti aversatione constant, sunt purè juris naturalis primi, quia ex puro honesti amore proficiscuntur, at quæ etiam coactionem in se habent, sunt juris gentium. Sed quæ nullam in se externam coactionem habent verius vocantur officia charitatis & fidei, eaq; etiam in communione rerum manent, quæ verò nos ligant & invitos obstringunt, rectiùs vocantur obligationes. Nec putandum quod omnis fidei servandæ & rei promissæ tradendæ coactio sit ex jure civili, sed quod illa tantùm, quæ fit per prætoria vel alia civiliter constituta remedia. Ita fides est juris naturæ, cujus servandæ necessitas prima spontanea est ex jure naturali, (quæ verius spontanea voluntas quam aliunde imposita necessitas dicitur) nempe

nempe ex amore veritatis, gratitudinis & beneficentiæ: altera ex jure gentium, nempe per dominiorum distinctiones & privatas exactiones: tertia ex jure civili, quæ nascitur ex legibus & præceptis civilibus. Sunt & quædam obligationes purè civiles, quas jus civile recipere coactum fuit ob evitationem mali majoris, & ob defectum probationis melioris, ut literarum obligatio, *Instit. de liter. oblig.* quibus cautè utendum, ne dolus succurrat. De stipulationibus, & aliis civilibus solennitatibus, quæ naturalibus obligationibus superadditæ sunt, ut sint certa obligationis factæ τεκμήρια, alibi dicetur.

Pacta publica & fœdera. Ad obligationes pertinent pacta & contractus. Pactorum quædam publica sunt, quædam privata. Ad publica pacta pertinent fœdera, sunt itaq; etiam fœdera juris gentium, *l. 5. D. de pact.* Fiunt quidem fœdera plerumq; per magistratus & leges civiles, *ut Ulp. d. l. innuit*, sed quia etiam sine his fieri possunt, & sæpius fiunt, *ut Gen. 31. v. 44.* rectè dicuntur nasci ex jure gentium. Si juris civilis tantùm essent, extraneos non obligarent, quia civilibus cives tantùm obligantur, & ita majestas reipub. fœdera publica cum aliena repub. nulla facere posset, quod falsum esse nemo ignorat. Non impedit itaq; quod pacta publica ubique ferò per personas publicas fiunt, quo minus sint juris gentium.

Pacta privata. Privata pacta juris gentium esse non dubitatur.

Digitized by Google

tur. *l. 1. 5. & 7. in pr. D. de pact.* quanquam & illa ceremoniis quibusdam civilibus sunt vestita, de quibus alibi.

Contractus. Extra controversiam est, pertinere hûc plurimos contractus, *l. 7. §. 1. D. de pact. l. ex hoc jure. D. de Iust. & jure*; paucos ex jure civili esse constat: quot verò, & quinam illi sint, apud interpretes nondũ expeditum est, sed illud in loco de contractib. esset explicandum. Interim monemus, ne quis omnes contractus purè civilis juris esse putet, quibus civile quid est admixtum, neve omnes putet esse juris gentium, quorum usus etiam extra rempub. Romanam est. Civile est quod ex civili ordine nascitur & sine politica societate esse nequit, erunt itaq; illi contractus purè civiles qui sine positivo civili jure existere non possent. Cum itaq; per tot alienationum, conventionum & contractuum modos, jus gentium omnes portas humanæ beneficentiæ aperuerit, satis apparet nullam juri naturali per distinctionem dominiorum factam fuisse injuriam.

Contractuum ceremoniæ. Monemus autem hoc etiam non omnes pactorum & contractuum externas ceremonias juris civilis esse, sed illas tantùm, quas leges civiles necessarias fecêre. Ea est conditio negotiorum humanorum, ut ipsa gestio & actio ceremonias aliquas externas requirat: easq; non semper ex legibus, sed interdum ex consuetudine & exemplo aliorum esse, interdum ab ipsa natura suggeri, & in manus tradi videmus. Exempli

Digitized by Google

templi loco sit porrectio dextræ manus: quando ea civilibus legibus requiritur ut necessaria & essentialis solennitas contractus, tùm est civilis ceremonia contractus: cui si solennia quædam verba accedant, accipit nomen stipulationis. Verùm prehensio dextræ apud omnes ferè populos & apud rusticos nostros, qui de stipulationibus Romanis nihil norunt, usitata est, & eâdem mente usurpatur, nempe ut firmet promissionem. Ideò adhiberi solet in matrimonii promissionibus, in pactis, in contractibus, & ubi quid geritur quod ratum esse debet. Omnes enim externæ ceremoniæ ideò adhibentur, ut per sensus nos instituant & doceant quid agatur. Et quia omnis plenæ fiduciæ appetitio ac sensuum doctrina naturalis est, etiam ceremoniæ quædam sunt naturales. Habent etiam ceremoniæ magnum & necessarium usum, quia informant & certiores nos reddunt de præsenti negotio, & sæpè hebetiores per externas ceremonias & sensus meliùs informantur, quàm per acutas ratiocinationes: multi etiam quid ageretur, omninò non intelligerent, nisi per sensus & signa externa erudirentur. Ut si quis virgini alicui, quarum duæ ejusdem nominis præsentes essent, promitteret matrimonium, dicens, ducam te Sophia; quamvis sponso & sponsæ constare posset de vero ac determinato horum verborum intellectu, tamen astantium quidam poterant dubitare, cui ex præsentibus puellis matrimonium

nium promisisset. Ut ergò illi informentur & sponsaliorum honestè contractorum testes esse possint, natura postulat & necessitas exigit ceremonias aliquas externas in sensus incurrentes. Tales sunt, ex jure naturæ priori adspectus, nutus, manus porrectio, vel amplexus; ex jure gentium arrha communicandorum bonorum, ut anulus vel aliud munus quod alter alteri de suo largitur. Simili modo, si quis equum nigrum ab alio emeret, quorum ille plures haberet, ad minimum necessaria esset demonstratio individui, ut contrahentes sese mutuo rectè intelligerent. Hæ & plures ceremoniæ de essentia contractus non sunt, (quia si una puella vel unicus niger equus tantùm adesset, æquè posset contrahi sine istis ceremoniis) & tamen sunt naturales, sæpè etiam pro re nata necessariæ. Videmus itaq; nimiùm sapere eos, qui omnes ceremonias externas ut inania & superstitiosa hominum figmenta explodunt, cum ceremoniæ omnes civiles non sint & suum evidentem habeant usum. Sed quia illi civiles potissimum cavillantur ceremonias, in libro sequenti paulo fusius eos refutabimus.

Actiones & accusationes. Rectè annumerantur juris gentium inventis actiones & accusationes quædam, nempe quæ coram parentibus, senioribus, amicis vel arbitris expediuntur, ut cum Ioseph fratres suos coram patre accusat *Gen. 37.* vel Laban repetit Deos sibi furto ablatos *Gen. 31.* Hæc sine civilibus legibus & judicibus expediri possunt, & ex-

Digitized by Google

& extra civilem societatem subsistere queunt, sunt ergò juris gentium. Et quidem aliter fieri non poterat; cum contractus & obligationes, quibus inviti obstringuntur, juris gentium essent, quin etiam actiones & accusationes, quæ ex contractibus & delictis nascuntur eódem pertinerent. Id verò, quod leges nostræ cognitionem litium controversarum & accusationum criminalium privatis ademerunt & publicis personis commiserunt; quodq; ferè in omnibus regionibus publici judices constituti sunt; multos decepit, ut putarent actiones & accusationes esse juris civilis. *v. l. 14. & 15. D. de cond. indeb.* Si verò per actiones intelligamus formulas solennes civiliter compositas, ut *l. 2. §. deinde ex his legib. 6. D. de orig. jur.* accipitur, aut processum in publico judicio exercendum *l. nihil aliud 51. D. de oblig. & Act.* tum actiones quidem ipsæ sunt juris civilis mixti, & formulæ solennes juris positivi puri; ipsa tamen suæ rei repetitio per se semper est juris gentium. Quibusdam in locis nulli peregrini in foro & judiciis audiuntur, sed cives tantùm; peregrini autem, si quid volunt, coguntur se civi alicui in clientelam dare & rem per patronum suum expedire, & tum jura actionum in civiles leges coarctata, non tamen omninò civilia facta sunt. Quando verò peregrinis juris communio omninò denegatur, ut interdum fit iis quos hostes nostros declaramus, tum omnia jura peregrinis denegata pro civilibus habentur.

Quæ-

Executiones quædam juris gentium. Quædam præterea executiones civilium & criminalium sententiarum juris gentium in censum veniunt, quando videlicet vel ipsi vel cum amicis nostris quod æquũ visum fuit exequimur, ut filii Iacob, *Gen. 34.* & Iuda, *Gen. 38. v. 24.* quod ex cap. 9. & 10. sup. intelligi potest. Quomodo verò executiones fiant civiles, & quatenùs, ex prædictis facilè judicari poterit.

Et alia multa. Tandem ut nos hisce exsolvamus, dicimus ferè nihil esse in jure positivo, quod non aliquo modo pertineat ad jus gentium, utrumq; enim ex ratione nascitur, & utrumq; eum sibi finem habet propositum, ut serviat juri naturali. Sed tamen civile etiam societatem civilem respicit, & habet nonnulla juribus naturalibus ex positivis legibus superaddita, ut libro sequenti apparebit.

Sufficiunt hæc pro nostro instituto, ut intelligatur, quæ sint juris gentium inventa, quomodo ea naturalibus serviant, & quomodo hinc à naturalibus, illinc à civilibus differant: nunc ad alia progrediamur.



Jura gentium immutabilia & ubique eadem esse, ipsamq; majestatem iis obligari.

CAP. XIII.

Jus gentium est immutabile. QVis usus jura gentium introduxerit, quæve necessitas ea sanxerit, superiùs diximus

cap. 1.

cap. 1. & 2. ipsi etiam juris gentium fructus suâ utilitate & necessitate sese ita commendant, ut dubitari non possit, quamdiu hæc manebunt, etiam jura gentium immutabilia fore. Non eo modo immutabilia sunt gentium jura, ut naturalia priora, nam & sine bello & servitutibus, sine dominiorum proprietate & contractibus homines vivere poterant, ut videmus inter veros amicos, conjuges, parentes & liberos, jura gentium conticescere, & ea in altera vita credimus sublata fore: at sunt tamen immutabilia respectu hujus vitæ, in qua faciliùs sexcentos hostes quam unum verum amicum invenias. Quapropter Imper. *§. penult. Instit. de jure nat.* affirmat etiam gentium jura immutabilia esse. Quod enim ibi de utroq; jure naturali loquatur, ex eo colligimus, quod duas tantùm facit juris species, & de naturalibus loquitur in plurali. Manifestè etiam designatur jus gentium, quando ait: *Naturalia jura, quæ apud omnes gentes peræquè observantur.*

Non tamen hæc ita accipienda sunt, quasi non liceret à jure gentium ad naturale regredi, servum manumittere, bona cum amico vel conjuge communia facere &c. qui enim hæc facit, jus gentium non mutat sed egregiè observat, siquidem hæc est voluntas ejus, ut jus naturæ conservetur: & quando id fit, tum libenter acquiescit, quia obtinuit suum finem. Qui injuriam sibi factam remittit, ut juris gentium remediis opus non sit, jus gentium non

Observatione juris naturalis jus gentium non mutatur.

Ee mutat,

mutat, sed illo tantùm non utitur, & tamen voluntatem ejus implet, quæ hæc erat ut per rationabilia media hominum amicitiam tueretur. Et qui bona sua cum amicis communia facit, jus gentium non offendit, modo id faciat rationabiliter, hoc est honestè; & sine injuria aliorum quorum interest. Ille verò mutat & offendit jus gentium, qui remediis ejus calumniosè & alio, quam data sunt, fine abutitur, ut si quis sub prætextu juris per modos acquirendi furetur, dominatum vel tyrannidem exerceat, & latrocinetur sub specie justi belli. Et si quis sanciret non licere justâ defensione injustam vim prohibere, aut ab iis quos capitales hostes esse scias sibi cavere, præsidia contra illos parare vel bello se defendere; ille jus gentium offenderet & mutare conaretur. Tales quidem leges ferri non possunt; ob impossibilitatem rationabilem humanam, nempe quod sint contra rationem naturalem, contra bonos mores, contra salutem civitatis, & contra Deum: & tamen non obstante hac physicâ, ethicâ, politicâ & theologicâ impossibilitate sæpè ab impiis tentantur. Ut enim nonnunquam improbi juri naturæ contumaciter resistunt, ita etiam potentiores se interdum juri gentium opponunt, quod fit cum opinantur sibi in imbecillios impunè sævire licere contumeliosis dictis & verberibus. Item cum ex causa purè civili, ut ex sola ambitione & dominandi cupiditate, vel ex alia levicula & futili causa bellum conci-

Quomodo mutetur jus gentium.

Digitized by Google

concitant, & quos ad necessariam defensionem compulerunt ultrò accusant quod injusti sint, sibiq; intolerabilem injuriam faciant, quia potentiori morem in omnibus non gerant. Sic apud Terent. *in Adelph.* Sannio, cum atrocissimam injuriam passus & colaphis ferè occisus esset, accusabatur tamen quod juveni morem non gessisset, & parum aberat, quin naufragium omnium bonorum suorum fecisset, nisi acceptas injurias tacitè devorasset. Simile est illud quod Cic. *pro Rosc. Am.* memorat, *Hominem*, inquit, *longè audacissimum nuper habuimus in civitate C. Fimbriam, & quod inter omnes constat, nisi inter eos qui ipsi quoq; insaniunt, insanissimum. Is cum curasset in funere C. Marij, ut Q. Scævola vulneraretur, vir sanctissimus atq; ornatissimus nostræ civitatis: de cujus laude neque hic locus est ut multa dicantur, neq; plura tamen dici possunt, quam populus Rom. memoriâ retinet, diem Scævolæ dixit, postquam comperit eum posse vivere. cum ab eo quæreretur quid tandem accusaturus esset eum, quem pro dignitate ne laudare quidem quisquam satis commodè posset: ajunt hominem (ut erat furiosus) respondisse, quod non totum telum corpore recepisset.* Nihilo meliores sunt qui excusationes nullas audiunt & inauditos damnant, item qui vetant veritatem & justitiam contra errores potentiorum defendere, ut nemo dicere audeat *quare tu facis sic?* In hisce vera consistit tyrannis: nam jura naturalia & civilia benè gubernare est boni principis; civilia sola tollere, est domini; at naturalibus etiam vim facere, est tyranni. Quamvis itaque jura

Differentia tyrannidis & dominatus.

 genti-

gentium hoc modò interdum premantur, tamen non supprimuntur, sed paulò post iterum emergunt, magno cum tyrannorum damno & pudore. Id verò juris gentium immutabilitati nihil detrahit, ut nec bonitati divinæ quod quidam eum crudelem homicidam esse nugantur, nec candori nivis, quod Anaxagoras eam atram esse affirmabat. Non enim hîc ipsæ res mutantur, sed tantùm falsa de rebus prædicantur ac statuuntur.

Ius gentium immutabile respectu formæ internæ.

Rectè etiam jura gentium immutabilia esse dicuntur respectu formæ internæ, hoc est, quod alia, quam nunc sunt (videlicet rationabilia & pro defensione juris naturalis concepta) esse non possint. Omnem rationem, voluntatem & appetitum in bonum ferri docuit Aristot. nos verò jus naturæ ipsum bonum esse libris superioribus ostendimus, non potest ergò ratio humana jus aliquod excogitare, nisi quod sit pro jure naturali.

Iura gentium a Deo constituta.

Probè etiam Imperator *d. §. penult. Instit de jure nat.* dixit, jura gentium divinâ quadam providentiâ constituta esse: nam quis dubitet à Deo esse rationes tàm salutares, quæ pro Deo & salute hominum militant? Atq; adeò videtur Deus ipse hoc jure primus omnium usus esse, ille enim primus suam justitiam à diabolo defendit, eumq; magno prælio victum cum suis asseclis cœlo præcipitavit: ille primus dominia cœli & tenebrarum distinxit, *Apoc. 12.* & statim post lapsum primi hominis potestatem mariti

in

in uxorem constituit, *Gen. 3. v. 16.* & dominiorum distinctionem monstravit, *v. 19.* quod videret ita utile fore, & sine personarum rerumq; discrimine de moribus hominum actum iri. Proxima tamen causa juris gentium est humana ratio, ut ex prioribus liquet.

Nec læditur aut mutatur jus gentium, cum minus malum majori præfertur, ut si in incendiis, eluvionibus, aut incursionibus hostium bona alicujus diripiantur, aut si quidam ingenui hostibus obsides dentur, hæc non sunt contra jus gentium, quia omnia jura suadent è duobus malis eligere minus. Hoc est quod *l. jus civile 6. D. de Just. & jure* dicitur, interdum à jure naturali recedi, cum tamen ipsa recessio maximè pro conservatione juris naturalis fiat. Et hoc omnibus speciebus juris commune est, ut sæpè è duobus & pluribus rebus propositis unam eligere cogantur, quapropter id Cicero rectè tàm ad jus naturæ quàm ad civile refert, *3. de finib.* *Naturâ*, inquit, *sumus apti ad cœtus, concilia, civitates. Mundum autem censent regi numine deorum, eumq; esse quasi communem urbem, & civitatem hominum & deorum: & unumquemq; nostrum ejus mundi esse partem: ex quo illud naturâ consequitur, ut communem utilitatem nostræ anteponamus. Ut enim leges omnium salutem singulorum saluti anteponunt: sic vir bonus, & sapiens, & legibus parens, & civilis officij non ignarus utilitati omnium plus quam unius alicujus aut suæ consulit. Nec magis vituperandus est proditor patriæ, quam communis utilitatis aut salutis desertor,*

Ius gentium præfert minus malum majori.

propter suam utilitatem aut salutem. Ex quo fit, *ut laudandus sit is qui mortem oppetat pro repub. qui doceat cariorem esse patriam nobis quam nosmet ipsos. Quoniamq; illa vox inhumana & scelerata ducitur eorum, qui negant se recusare, quo minus ipsis mortuis terrarum omnium deflagratio consequatur, (quod vulgari quodam versu Græco pronunciari solet) certè verum est etiam iis qui aliquando futuri sunt, esse propter ipsos consulendum.*

Naturalia à civilibus distinguenda. Videat præterea, qui de mutabilitate jurium naturalium locuturus est, ne commixtione civilium decipiatur, quæ naturalibus plerumque ita agglutinata sunt, ut innata esse videantur. Inseruntur enim naturalibus per eandem rationem, ex qua naturalia præcepta fluunt, ut in una rationis radice omnia jura conveniant. Et quibusdam in locis error iste proclivis est, quando ob verborum inopiam civilia iisdem verbis appellantur, quibus naturalia ad quæ applicantur. Observavit Donel. *1. com. 12.* talem errorem à quibusdam commissum esse *in §. pen. Instit. de cap. dim.* nam ibi dicuntur jura cognationis, quæ alias *§. ult. Instit. de legit. agn. tut.* vocantur naturalia, capitis diminutione perimi posse, quod accipiendum est de juribus quæ civiliter propter jus sangvinis tribui & naturalibus addi solent.

Jus gentium ubiq; unum. Cum autem quæritur, cur jus gentium, si immutabile sit, non sit ubiq; unum? iterum monendi sumus civilia à naturalibus exactè esse distinguenda, ut primò liquido constet, qua de re quæratur, sæpè enim eadem quæstionis verba

verba tàm ad naturalia quàm ad civilia referri possunt, vel ad jura civilia mixta respiciunt, ad quæ sine prævia distinctione responderi non potest. Deinde, si de naturalibus puris quæratur, observandum est an de simplicis, an verò de mixtæ actionis naturalis jure dubitetur? & meminisse oportet in omnibus actionibus mixtis, (sic enim vocant philosophi, ut *sup. lib. 1. cap. 13.* docuimus) jura naturalia aliquantulum flecti, sine injuria tamen & sine voluntatis ejus mutatione, ut superius modo diximus. Hæc variatio, & plurium collatarum rerum electiva discretio, quâ alius hoc probat, alius aliud quid eligit, jus gentium mutabile non reddit, cujus constantissima mens ubique est eligere quod optimum, convenientissimum, & imperrabile esse videatur.

Ritus externi non faciunt ipsum jus mutabile.

Distinguendi sunt tandem externi ritus & modi applicationum ab ipso jure: ut quod alibi pugnatur sudibus, alibi sagittis, gladiis, fundis & lapidibus, id ad mutabilitatem juris gentium nihil facit, quia hi sunt tantùm externi modi quibus jus applicatur, qui veniunt ex cujusq; habilitate, ratione & potentiâ. Sic contractuum non sunt ubiq; iidem ritus, & pœnæ alibi aliæ infliguntur, & manet tamen ipsum jus interim idem, nempe quod liceat de rebus contrahere, & delicta punire. Qui hæc probè distinxerit, vix quicquam invenerit in quo jurium naturalium mutabilitatem ostendere posit. Ad illos verò quod attinet, qui jure ac

ratione uti nolunt; illorum Cyclopum judicia & exempla nihilo magis curamus, quam beluarum, jus quod reverâ in natura certum est opinionibus errantium non mutatur.

Majestatem jure gentium obligari.

Cum itaq; jura gentium naturalia & immutabilia sint, sequitur etiam majestatem ipsam iis obligari, nec posse humanis legibus defensiones veritatis, religionis, justitiæ, famæ, vitæ, corporis, bonorúmve prohiberi; contractus omnes perpetuò tolli, dominia misceri, repetitiones rerum debitarum interdici, dolos & furta probari &c. quia tales leges absurdæ sunt & contra jus naturæ. Iuris hostes, Dei & hominum inimici sunt, qui tales leges ferunt, quos Græci tyrannos, latini grassatores & vastatores indigetare solent.

Jus gentium nulla fert privilegia.

Malè faciunt potentiores qui in juribus naturalibus privilegia quærunt, fatentur enim se hominibus deteriores esse cupere, ut sibi plus liceat contra jus naturæ peccare quam aliis. Privilegia dare ejus est qui potest & leges ferre, at jura naturalia homines non constituerunt, sed à Deo data sunt, solius ergo Dei est in iis privilegia largiri. An autem Deus alicui plus licentiæ in jus naturale dare possit & velit quam alteri, & an hominis ratione præditi sit illud postulare, cuivis superiora consideranti facile est judicare. In positivis legibus rationabilem aliquem personarum & statuum civilium respectum libenter ferimus, non etiam in naturalibus. Sed multi ignorantiâ, multi dolo & potentiâ suâ etiam naturalibus

bus

bus vim faciunt, ut in pœnis delictorum apertissimè videmus, quando divitum & potentiorum injuriæ, rapinæ, furta, adulteria & latrocinia excusantur, pauperum puniuntur. Hac confidentiâ multi cum magnâ aviditate peccant, ut Verres dicebat *illis metuendum esse qui quod ipsis solis satis esset surripuissent, se tantum rapuisse, ut id multis satis esse possit. Cic. act. 1. in Verr.* putabat se, quia etiam judices ditare posset, ab illis damnatum non iri: at si viderent etiam à potentioribus pœnas dignas exigi, haud dubiè minus injuriarum perpetrarent. Utuntur nonnulli æquitatis prætextu, eoq; decipiunt eos qui quid æquitas sit ignorant: an autem, cum factum directo in jus æquissimè constitutum incidit, æquitatis aliquis locus contra leges esse possit; & an sit quædam æquitas contra jus; an verò potiùs æquitas sit rationabilis delicti & pœnæ, seu facti & juris, ex mente communium legum æquatio, omnibus in factis observanda & ex circumstantiis rei gestæ sumenda? de eo fortè alibi, si de æquitate aliquando agemus, dispiciemus. Interim illi, qui ad æquitatem provocant, ne sub specie æquitatis non scriptæ (quæ propriè æquitas vocatur) æquitatem scriptam (quæ jus dicitur, *vide sup. lib. 2. cap. 3.*) lædant, cavebunt.



Quando & quomodo utendum sit jure gentium.

CAP. XIV.

Juris gentium verus usus consistit in necessitate.

RE ſtat ut verum juris gentium uſum oſtendamus, quem ex prædictis deducemus. Iuris gentium remediis non cupidè utendum, ſed ex neceſsitate, prout ſupra *cap. 2.* diximus, neceſsitatem parere totum hoc jus quod gentium vocatur. Qui naturalia jura facilè deſerunt, haud dubiè ea non faciunt magni: at illi Chriſto *Mat. 5. 6. 7.* & juri noſtro *l. 1. §. 1. D. de Iuſt. & jure. l. nulla. 25 l. contra. l. fraus. D. de legib.* non placent, & placere non poſſunt, cum à toto juris fine aberrent. Seneca *lib. 1. de benef. cap. 1. 2. 3.* docet non intermittenda eſſe beneficia quod multi ſint ingrati, ſed potiùs operam dandam, ut etiam ingratiſsimos noſtris beneficiis vincamus. Non ſtatim excandeſcendum eſſe & humanitatem abjiciendam, ſed debere nos longanimitatem Dei imitari & in bono propoſito pergere. Et *lib. 7. cap. 31.* quomodo juri naturæ inhærendum & Deus imitandus ſit breviter repetit, cum ait: *Quanto illa melior via, quâ ſervatur illa ſpecies amicitiæ, &, ſi reverti ad ſanitatem velis, etiam amicitia? Vincit malos pertinax bonitas: nec quiſquam tam duri infeſtiq́, adverſus diligenda animi eſt, ut etiam vi tractus bonos non amet, quibus hoc quoq́,*

cœpit

cœpit debere, quod impunè non solvit. Ad illa itaq; cogitationes tuas flecte. Non est mihi relata gratia: quid faciam? quod Dij omnium rerum optimi autores, qui beneficia ignorantibus dare incipiunt, ingratis perseverant. Alius illis objicit negligentiam nostri, alius iniquitatem: alius illos extra mundum suum projicit, & ignavos hebetesq; sine luce, sine ullo opere destituit. Alius solem, cui debemus quod inter laborem quietemq; tempus divisimus, quod non tenebris immersi confusionem æternæ noctis effugimus, quod annum cursu suo temperat, & corpora alit, sata evocat, percoquit fructus: saxum aliquod aut fortuitorum ignium globum, & quidvis potiùs quam Deum appellat. Nihilominus tamen more optimorum parentum, qui maledictis suorum infantium arrident, non cessant Dij beneficia congerere de beneficiorum autore dubitantibus: sed æquali tenore bona sua per gentes populosq; distribuunt, unam potentiam sortiti, prodesse. Spargunt oportunis imbribus terras, maria flatu movent, siderum cursu notant tempora, hiemes æstatesq; interventu lenioris spiritus molliunt, errorem labentium animarum placidi ac propitij ferunt: imitemur illos: demus etiamsi multa in irritum data sint, demus nihilominus aliis, demus ipsis apud quos jactura facta est. Ita etiam homo ethnicus luce rationis vidit à jure naturali non esse cupidè recedendum, sed tentanda potiùs omnia humanitatis officia, ut liceat jurium duriorum remediis non uti. Consistit ergo verus juris gentium usus in necessitate. Est autem necessitas, non quando nos ira, cupiditas & affectus irritant, sed quando nos ratio urget & conscientia, ut jus naturæ defendamus, hic enim

enim est unicus & verus finis juris gentium, ex quo usus ejus necessitas æstimanda. Deinde ad necessitatem remediorum juris gentium pertinet civilium defectus, cum civilia remedia non adsunt, vel quia nulla sunt constituta, vel quia non possunt expectari. Civilia hìc intelligo mera & mixta, ut omninò, quando jus nostrum per leges & personas publicas assequi possumus, illis utamur. Quia etiam jus gentium totum in defensione juris naturæ consistit, sequitur ejus usum verum tantùm in vero defensionis tempore esse: quicquid post delictum perpetratum fit, non est defensio sed vindicta privata. Quando publica vindicta expectari potest, privata semper improba est; sed interdum publica haberi nequit, interdum res tanti momenti non est ut propter eam imploranda sit, & tamen delictum poscit pœnam: illis ergo in casibus etiam privata vindicta concessa est, quia tum non tàm est vindicta quàm pœna; & quia rationabiliter fit, putatur fieri non invito magistratu. Ita Abraham eripit Loth, *Gen.* 14. & bellum jure gentium gerit, quia civilia media nulla aderant, nec potuerant expectari. Sic & Sara punit ancillam suam *Gen.* 16. & patres hodiè eodem jure corrigunt delicta liberorum, quod fit jure gentium, non invito jure civili. Alioquin juri publico pœnas reservare, & civilia auxilia ubicunque ratio id postulat præstolari, pium, modestum, reipub. utile & ipsi læso tutius est, qua tamen in re ferè circa

In tempore defensionis.

omnia

Digitized by Google

omnia juris gentium præcepta quotidiè peccatur. Quisq; sibi actor, judex & executor esse cupit, quisq; clamitat suas injurias moram publicî judicii pati non potuisse : & sæpè publicæ justitiæ procrastinatio tales excusationes efficit esse veras.

Omninò jure gentium utendum est ut jure, non ut injuriâ, hoc est, rationabiliter, honestè, sine scandalo, per humanissima, lenissima & optima media, quæ ratio & natura suppeditat, quæq; ad defensionem juris naturalis in præsentia sufficiunt. Defensionis juris naturæ neglectus impietatis est, excessus improbæ vindictæ. *Et in ratione.*



PRIN-



PRINCIPIORUM IURIS

LIBER QUINTUS

In quo agitur de jure positivo seu civili.

An sit aliquod jus positivum, quomodo id fiat civile, & quid sit civile?

Cap. I.

Jus civile an sit?



Aturalibus absolutis accedimus ad jus positivum, de quo primò, *an sit?* investigandum videbatur. Sed quia hæc quæstio non obscura est, & seipsam in sequentibus exsolvet, eam consultò præterimus. Nec opinamur quêquam ignorare, multa à legislatoribus civiliter constituta esse, quæ naturaliter innata non sint, suamque essentiam accipiant ex mente legislatoris. Qui tamen omnia humana necessariò fieri autumant, & voluntatis humanæ libertatem penitus extinguunt, ut naturalia, ita inprimis etiam civilia jura abnegant,

Digitized by Google

gant, quia purè civilia ex mera hominis voluntate, fluunt, quo fonte obstructo, nasci omninò non possunt. Sed eum errorem, toti juri exitialem, libro primo refutavimus.

Usi sumus aliquoties promiscuâ juris positivi & civilis appellatione, ut meminisset lector eadem scita, quæ à philosophis autore Aristotele *positiva* vocantur, à Iureconsultis *civilia* dici: quia tamen non omnia positiva *nobis* civilia sunt nec omnia, quæ civilia vocantur sunt positiva, explicandum est, quid propriè positivum aut civile appelletur. *Positivi & civilis promiscua usurpatio.*

Positivum jus describit Aristot. *5. Eth. 7. al. 10.* Quod à principio, utrum hoc an illo modo fiat, nihil refert, postquam verò constitutum est, refert. Iureconsulti nostri aliis quidem verbis utuntur, at in eadem sunt sententia, *l. 6. & 9. D. de Iust. & jure §. 1. Instit. de jure nat.* relinquunt enim civilia arbitrio ejus, qui summam in repub. habeat autoritatem, & cum naturalia jura mutari posse negent, civilia pro statu reipub. sæpius mutari posse concedunt. Eodem ferè modo Cato apud Cic. *3. de finib.* officium describit, quod sua natura nec malum sit nec bonum, sed medium quid & indifferens, non negligendum tamen, quia sit utile, & posse ejus, quoties factum sit, rationem probabilem reddi. Ut rem exemplis declaremus, res venales pecunia æstimari nullam in natura habet necessitatem, possemus enim numorum loco uti cochleis & testudinibus marinis, ut in India quidam faciunt, *Positivum quid.*

vel

vel etiam permutationibus potueramus esse contenti: sed quia numorum usus receptus est, jus est res venales numis æstimari, & debita numorum præstationibus exsolvi. Hoc jus vocatur positivum, quia ab hominibus positum est, cum alias in natura non esset. Sic multæ juris gentium ceremoniæ juris positivi sunt, ductu rationis à diversis gentibus, ad certitudinem & probationem rei gestæ, modis non omninò dissimilibus positæ & receptæ. Ita etiam positiva quædam juris gentium esse possunt, cum & in gentium jure nonnulla sint, de quibus priusquam invalescant nihil refert, utrum hoc an illo modo fiant, postquam vero recepta & in usu posita sunt, refert. Verum philosophi positiva intelligere solent, quæ publicè & per civilem ordinationem posita sunt, ideòque per positiva significant civiliter constituta. Ea secundum prædictum modum, paucis verbis adjectis describere possumus, quod civilia positiva sint ea, *de quibus ab initio nihil referebat, utrum hoc an illo modo fierent, postquam autem publicè & civiliter constituta sunt, refert.* Talis est *modus* civiliter exequendæ sententiæ publicè constitutus, ut cum quæritur quomodo necandus sit latro? & constituitur eum per judicem publicum damnandum, deinde per carnificem occidendum esse gladio, ...ri, lapidibus, igni, membrorum contusio-... hi modi executionum sunt juris positi-... natura hominum arbitrio indetermi-...quit, ut nihil referat quis eligatur.

Positiva civilia.

Eli-

Eligunt autem viri prudentes deliberato consilio, ponuntque eum qui moribus hominum convenientissimus, & ad aliorum terrorem sufficiens esse videtur. Posito ergo certo aliquo vitæ eripiendæ modo, refert eum observari, quia haud dubiè viri prudentes quod suæ reipub. optimum erat elegerunt, & variationes sunt periculosæ.


Positiva quæ nostris legibus approbantur & in civitate nostra observanda constituuntur, *nobis* sunt & vocantur civilia: ut ita positiva à civilibus differant, quod non omnia naturâ indifferentia sunt civiliter posita, nec omnia civiliter posita *nobis* sunt civilia, sed illa tantum, quæ nostræ civitatis jure donata & legibus nostris sunt inserta. *Quomodo positiva nobis fiant civilia.*

Civile est quod civitas posuit, & sibi proprium fecit, & ad cujus participationem extraneos non admittit. Talis est magistratuum creatio, ea nobis civilis est, & quamvis apud omnes vel plurimas gentes peræquè observetur, tamen manet civilis, cum ratione originis seu efficientis, quia est purè civile inventum, tùm ratione formæ, quia nos ad eam neminem admittimus nisi nostrum concivem. Emptio venditio est contractus juris gentium, ideò eum cũ peregrinis communem habemus: at si in nostra repub. lex quædam sanciret, licere tantum à civibus emere iisq; solis vendere, licet contractui nulla adderetur solennitas, tamen *Civile quid.*

Digitized by Google

eo ipso nobis haberetur pro civili, quod eum tantum cum civibus celebrare liceret.

Juris civilis definitiones generales. Id indicare voluit Cajus *l.9. D. de Iust. & jure*, cum jus civile definit, quod sit *jus proprium alicujus civitatis, quod quisq; populus* sibi *constituit*. Sibi, inquit, hoc est, in quo se una civitas ab alia separavit. Cic. *in top.* ait *Ius civile est æquitas constituta iis qui ejusdem civitatis sunt, ad res suas obtinendas*. Ita ergo positiva nobis fiunt civilia: at quando indefinitè de jure civili loquimur, tum κατ᾽ ἐξοχὴν nostrum jus civile intelligimus, *§.2. v. sed quoties. Instit. de jure nat.* Positiva ubique sunt positiva, hoc est, ab hominibus posita, at non sunt ubiq; civilia. Describi posset jus civile, quod sit *præceptum rationabile, pro conservatione naturalis æquitatis & civilis societatis ab hominibus liberis sancitum*.



Jus civile dupliciter distinguitur.

Cap. II.

Civilia quædam propria, quædam communia. Dupliciter accipitur civitas: in latiore significatione omnes, qui sub una reipub. majestate sunt, unam civitatem habere & concives esse dicuntur: in angustiore significatione civitas aut respublica dicitur societas civium, quæ proprio suo regitur magistratu, & jura quædam specialia habet præ aliis. Tales civitates respectu imperii vel majestatis vocantur muni-

municipia, vel civitates municipales: prout etiam respublica distingui potest in remp. majestatis & remp. municipalem, vel in propriam & communem *l.1.in pr.& §.1.l.Roma 33.D.ad municip.l.si duas.6.§.Romæ.D.de excusat.tut.* Ex quibus nascitur prima civilis juris distinctio, quod quædam civilia sint communia, quædam municipalia, quæ observanda est, ut perpetuò constet de quibus civilibus loquamur. Lubecenses & Noribergenses nobis dicuntur concives, respectu majestatis Imperii, quam utrique eandem agnoscunt, at non respectu municipiorum propriorum: sunt ergo concives imperii, at nō concives municipales, & jura civilia Imperatoria inter eos sunt communia, at non jura civilia municipalia, quæ statuta vel privilegia specialia vocantur.

Altera civilium distinctio est, quod quædam sint mera quædam mixta, quod superiori libro in explicatione præceptorum juris gentium satis apparuit. Ut rem unico exemplo repetamus, matrimonia dicuntur esse juris civilis; *Instit.de nupt.in pr.* quæ tamen etiam juris naturalis esse *lib.3.cap.5.* & juris gentium *lib.4.cap.9.* probavimus. Et quia in jure matrimoniali sunt quædam, de quibus antequam politicè constituantur refert, ut ne vir viro nubat, *l 31.C. ad l. Iul.de adult.* quædam de quibus sine civili lege nihil refert, ut ne quis adoptivam sororem ducat *§.1.Instit.de nupt.* sequitur jura matrimonialia purè civilia non esse. Inde nobis prodit dicta

Civilia sunt vel mera vel mixta.

Digitized by Google

eo ipso nobis haberetur pro civili, quod eum tantum cum civibus celebrare liceret.

Juris civilis definitiones generales.

Id indicare voluit Cajus *l. 9. D. de Iust. & jure*, cum jus civile definit, quod sit *jus proprium alicujus civitatis, quod quisq; populus* sibi *constituit*. Sibi, inquit, hoc est, in quo se una civitas ab alia separavit: Cic. *in top.* ait *Ius civile est æquitas constituta iis qui ejusdem civitatis sunt, ad res suas obtinendas.* Ita ergo positiva nobis fiunt civilia: at quando indefinitè de jure civili loquimur, tum κατ' ἐξοχὴν nostrum jus civile intelligimus, *§. 2. v. sed quoties. Instit. de jure nat.* Positiva ubique sunt positiva, hoc est, ab hominibus posita, at non sunt ubiq; civilia. Describi posset jus civile, quod sit *præceptum rationabile, pro conservatione naturalis æquitatis & civilis societatis ab hominibus liberis sancitum.*



Jus civile dupliciter distinguitur.

CAP. II.

Civilia quædam propria, quædam communia.

DUpliciter accipitur civitas: in latiore significatione omnes, qui sub una reipub. majestate sunt, unam civitatem habere & concives esse dicuntur: in angustiore significatione civitas aut respublica dicitur societas civium, quæ proprio suo regitur magistratu, & jura quædam specialia habet præ aliis. Tales civitates respectu imperii vel majestatis vocantur muni-

Digitized by Google

municipia, vel civitates municipales: prout etiam respublica distingui potest in remp. majestatis & remp. municipalem, vel in propriam & communem *l.1.in pr.& §.1.l.Roma 33.D. ad municip. l.si duas.6.§.Romæ.D. de excusat.tut.* Ex quibus nascitur prima civilis juris distinctio, quod quædam civilia sint communia, quædam municipalia, quæ observanda est, ut perpetuò constet de quibus civilibus loquamur. Lubecenses & Noribergenses nobis dicuntur concives, respectu majestatis Imperii, quam utrique eandem agnoscunt, at non respectu municipiorum propriorum: sunt ergo concives imperii, at nō concives municipales, & jura civilia Imperatoria inter eos sunt communia, at non jura civilia municipalia, quæ statuta vel privilegia specialia vocantur.

Altera civilium distinctio est, quod quædam sint mera, quædam mixta, quod superiori libro in explicatione præceptorum juris gentium satis apparuit. Ut rem unico exemplo repetamus, matrimonia dicuntur esse juris civilis; *Instit.de nupt.in pr.* quæ tamen etiam juris naturalis esse *lib.3.cap.5.* & juris gentium *lib.4.cap.9.* probavimus. Et quia in jure matrimoniali sunt quædam, de quibus antequam politicè constituantur refert, ut ne vir viro nubat, *l.31.C. ad l. Iul.de adult.* quædam de quibus sine civili lege nihil refert, ut ne quis adoptivam sororem ducat *§.1.Instit.de nupt.* sequitur jura matrimonialia purè civilia non esse. Inde nobis prodit dicta *Civilia sunt vel mera vel mixta.*

 altera

Digitized by Google

altera juris civilis distinctio, nempe quod quædam sint merè civilia, quædam mixta.

Civilia mera.

Merè civile est, cui nihil juris naturalis vel gentium est admixtum, quod verò è naturali & civili jure compositum est, civile mixtum vocatur. Quia vero nostræ leges, quoties de jure civili loquuntur, non solent addere, utrum de mero an de mixto verba faciant, oportet lectorem attendere quomodo verba legis sint accipienda, quod spero quemque facilè facere posse, qui observaverit quæ sit naturalium aut civilium natura. Verbi causa; cum jus humanum dividitur in naturale & civile, vel in naturale, gentium & civile, quivis intelligit hic per civile intelligi purè civile, quia alias à naturali & gentium jure non distingueretur. Si quis dicat homicidas gladio puniri esse juris civilis, quisque intelligit esse juris civilis mixti, nihil enim in hac propositione est civile, nisi quod aliter esse poterat sine civili lege. At homicidia illicita & punienda esse lex civilis non effecit, nec pœnam mortis sola civilis ratio invenit: sequitur ergo, in dicta propositione nihil esse civile, nisi vocem *gladii*, quæ modum pœnæ demonstrat. A judice inferiori ad superiorem intra decem dies provocari posse, est juris civilis puri, quia sine civili judiciorum constitutione non datur judex publicus inferior aut superior, nec sine civili determinatione numerus decem dierum potuit præfigi. Et quanquam hæc suam probabilem rationem habeant, sunt tamen

ipsa

Digitized by Google

ipſa natura ſua ita indifferentia, ut ſine abſurditate aliter conſtitui potuiſſent. Nam quid impediebat natura, quo minus idem judex de eadem re bis compellaretur? ut Machæta à Philippo damnatus provocabat à rege dormiente ad vigilantem *Plut. in Apophr. Philippi.* & ut interdum noſtris in judiciis ſententiæ declaratio vel actorum reviſio poſtulatur? Hæc in effectu vera eſt appellatio, & non obſtabat natura, quo minus id ubiq; ita obſervaretur, ſed civilis ratio meliorem ordinem vidit eumq; probavit, ut ab inferiore judice ad ſuperiorem provocaretur. Quod autem numerus decem dierum ſine abſurditate mutari potuerit, ut etiam biduo aut triduo concluderetur quemadmodum olim erat *l. 1. §. ult. D. Quando appell. l. qui ſuſpectum. 20. §. 1. D. de appellat.* perſuaſione non eget. Imperatoribus verò placuit numerus decem dierum, ut ſi fortè duo vel tres feriati dies inciderent, appellaturus tamen totos ſeptem dies ad deliberandum & conſultandum haberet. Ita juris civilis eſt captivum redimi minâ *Ariſt. lib. 5. Eth. cap. 7.* cenſeri ſiclo, *Exod. 30. v. 12.* vel denario *Luc. 20. 24.* actionis formulam præſcribi à prætore: à præfecto prætorio non poſſe appellari; & ſimilia, quæ cuiq; non ſocordi lectori ratio ipſa monſtrat.



Digitized by Google



Jura civilia quando nata, quo fine, à quo, & quæ vera eorum ratio?

Cap. III.

Civilia quando nata.

Civilia jura naturalibus posteriora sunt, & tum demum prodiêre, cum civiles societates condi, magistratus creari & leges scribi cœperunt, ut Imp. *§. singulorum. Instit. de rer. divis.* testatur. Quamdiu enim pauci homines existunt, vel plures sub unius patria vel dominica potestate vivunt, nulla potest existere civilis societas, siquidem ad eam constituendam requiritur quædam familiarum & hominum sui juris multitudo; qui verò sub unius patria vel dominica potestate sunt, constituunt tantùm unam familiam, non civitatem. Cum autem plures patresfam. adsunt, iiq; ut commodè cohabitare possint, sibi ordinationes & consuetudines quasdam proprias usurpant, tum incipit nasci civilis societas. Omnes ferè respub. ab initio manu regiâ & consuetudinibus quibusdam *sine lege certa, sine jure certo*, ut Pompon. *l. 2. §. 1. & 3. D. de orig. jur.* inquit, gubernantur, quod & Aristot. *1. polit.* & Trogus *lib. 1.* confirmant. De Romana republ. testes habemus Halicarn. *lib. 10.* Liv. *lib. 1. 2. & 3.* Tacit. *3. annal.* & alios plures, quod usq; ad promulgationem decem tabularum nullas certas leges habuerint,

Civilis societas quomodo nascatur.

Digitized by Google

rint, ſed tantùm regum ac magiſtratuum ſententiis pro legibus uſi ſint. Et cum omnes ferè reſpubl. ab initio vel conſuetudinibus vel ſententiis regum ac gubernatorum adminiſtratæ ſint, ſequitur civiles ſocietates & jura civilia non ex legibus tantum civilibus naſci, ſed etiam ex conſuetudine & ſententiis illorum qui gubernationem capeſſunt. Quamprimum itaq; multitudo quædam hominum liberorum qui ſui juris ſint ſeſe conſociat, & communi bono ordinem ac gubernationem quandam ſocietatis ſuæ introducit, naſcuntur civiles ſocietates & civilia jura.

Leges verò civiles ſeriùs in uſum venerunt. Plato *in Minoe & 1. de legib.* ait Cretenſes ex omnibus Græcis primò uſos eſſe conſtitutis legibus: Strabo *lib. 6. Geograph.* putat Locros primò habuiſſe leges ſcriptas: Plin. *lib. 7. cap. 56.* Cererem aut Rhadamantum primas leges tuliſſe autumat, cum tamen Plato Rhadamantum regis Minois judicem fuiſſe teſtetur: alii alios legum inventores laudant, *vide Polyd. Virg. 2. de invent. cap. 1. Al. ab Alex. gen. dier. lib. 6. cap. 10. Ant. Auguſt. de legib. cap. 2. Coraſ. de juris arte lib. 1. cap. 16. & ad tit. de orig. jur. in princ.* Ioſephus *lib. 2. cont. Appion.* putat ante Homeri tempora civiles leges nullas latas fuiſſe, ſed omnes reſpub. regiâ manu eſſe gubernatas, cum vocabulum τȢ νόμȢ apud eum non inveniatur. Quiſquis ille ſit, qui leges civiles primas tulerit, illud certum eſt, jura civilia ſcriptis & conſtitutis publicè *Civiles leges quando nata.*

legibus antiquiora esse: ideò diximus non ex legibus tantum civilibus nasci jura civilia, sed ex omni ordinatione vel consuetudine civili. Ac credibile est civilia jura in posteritate Caini primò nata: nam pia Adami posteritas quasi una in familia & domo cohabitabat, religioni & agriculturæ dedita, Cainitæ verò condita urbe sese statim ad varia studia & opificia contulêre, *Gen. 4. v. 17. & ss.* Ibi ergo necessitas efflagitavit ordinationes & consuetudines politicas, ut commercia & consuetudines inter concives possent servari, cum sine ordine nulla societas vel communio subsistere possit, ne ipsa quidem Philippi Macedonis poneropolis, cujus Aristoph. meminit *in nebulis.* & Plutarch. *de curiositate.*

Finis juris civilis.

Finis juris civilis est, ut naturali famuletur, quod uno atq; altero exemplo, propter eos qui civilia cum naturalibus arietare putant, erit probandum. Loquebamur modò, *cap. 2.* de modo pœnæ homicidis civiliter constituto, ex quo primò apparet quomodo civile jus tantum suggerat modum, quo voluntas juris naturalis executioni mandetur. Naturalis ratio docet, testatorum voluntates non iniquas conservari utile esse & honestum: sed experientia docuit civibus sæpè falsas tabulas subjectas, testatores dolo, persuasione, metu, morbi vehementiâ & defectu judicii deceptos, aliud quam vellent scripsisse vel mandasse, inde familias iniquis exhæredationibus vel aliarum dispositionum

Finis solennitatum civilium in testamentis ostensus.

num gravibus præjudiciis exasperatas, decipientibus vindictam, reipubl. verò seditiones ac tumultus minitatas esse. Fraudum circa testamenta commissarum frequentiam leges nostræ, eo ipso quod prohibent, indicant, & lex Cornelia de falsis, quæ haud sine causa *testamentaria* appellata fuit *§. 7. Instit. de publ. jud. vide Iul. Paul. lib. 5. sentent. tit. 25. Cujac. 1. obs. 2.* quam confirmant etiam exempla, quæ sparsim apud autores inveniuntur plurima, ut apud Plin. *lib. 2. epist. ult.* Tacit. *14. annal. ubi de Domitij Balbi testamento loquitur.* Cicer. *pro A. Cluent. ubi de Ajulio & Asinio agit. & 3. offic. ubi d. L. Minutij Basilij tabulis mentionem facit.* Seneca *lib. 6. de benef. cap. 38.* dicit Arruntium, Aterium & alios quosdam captandorum testamentorum artem professos esse. De testamento Iulii Cæsaris vide Sueton. *in Cæsare*, & quis eo recitato tumultus extiterit Plut. *in vita Cæsaris*, item quomodo Antonius & Augustus super eo collisi sint, Plut. *in Apopht. Augusti.* De testamentis Augusti & Tiberii, vide Sueton. *lib. 2. & 3. in fin. Tacit. 1. annal.* & de aliorum quorundam principum testamentis Hotom. *ill. qu. 1.* item quomodo sub Augusto & Nerone leges testamentariæ auctæ & correctæ sint apud Sueton. vide item Valer. Max. *lib. 7. cap. 7. & 8.* & facilè apparebit cur tot leges civiles testamentariæ fuerint introductæ? Voluit nempe jus civile hominum fraudibus occurrere & talia pericula à repub. avertere. Introduxit itaque, & juri testandi essentiales fecit multas solenni-

legibus antiquiora esse : ideò diximus non ex legibus tantum civilibus nasci jura civilia , sed ex omni ordinatione vel consuetudine civili. Ac credibile est civilia jura in posteritate Caini primò nata : nam pia Adami posteritas quasi una in familia & domo cohabitabat , religioni & agriculturæ dedita, Cainitæ verò condita urbe sese statim ad varia studia & opificia contulêre, *Gen. 4. v. 17. & ss.* Ibi ergo necessitas efflagitavit ordinationes & consuetudines politicas, ut commercia & consuetudines inter concives possent servari , cum sine ordine nulla societas vel communio subsistere possit,ne ipsa quidem Philippi Macedonis poneropolis , cujus Aristoph. meminit *in nebulis.* & Plutarch. *de curiositate.*

Finis juris civilis. Finis juris civilis est , ut naturali famuletur, quod uno atq; altero exemplo , propter eos qui civilia cum naturalibus arietare putant , erit probandum. Loquebamur modò , *cap. 2.* de modo pœnæ homicidis civiliter constituto , ex quo primò apparet quomodo civile jus tantum suggerat modum,quo voluntas juris naturalis executioni mandetur. Naturalis ratio docet, testatorum voluntates non iniquas conservari utile esse & honestum : sed experientia docuit civibus sæpè falsas tabulas subjectas, testatores dolo , persuasione , metu , morbi vehementiâ & defectu judicii deceptos, aliud quam vellent scripsisse vel mandasse,inde familias iniquis exhæredationibus vel aliarum dispositionum

Finis solennitatum civilium in testamentis ostensus.

num

num gravibus præjudiciis exaſperatas, decipientibus vindictam, reipubl. verò ſeditiones ac tumultus minitatas eſſe. Fraudum circa teſtamenta commiſſarum frequentiam leges noſtræ, eo ipſo quod prohibent, indicant, & lex Cornelia de falſis, quæ haud ſine cauſa *teſtamentaria* appellata fuit *§. 7. Inſtit. de publ. jud. vide Iul. Paul. lib. 5. ſentent. tit. 25. Cujac. 1. obſ. 2.* quam confirmant etiam exempla, quæ ſparſim apud autores inveniuntur plurima, ut apud Plin. *lib. 2. epiſt. ult.* Tacit. *14. annal. ubi de Domitij Balbi teſtamento loquitur.* Cicer. *pro A. Cluent. ubi de Ajulio & Aſinio agit. & 3. offic. ubi d. L. Minutij Baſilij tabulis mentionem facit.* Seneca *lib. 6. de beneſ. cap. 38.* dicit Arruntium, Aterium & alios quoſdam captandorum teſtamentorum artem profeſſos eſſe. De teſtamento Iulii Cæſaris vide Sueton. *in Cæſare*, & quis eo recitato tumultus extiterit Plut. *in vita Cæſaris*, item quomodo Antonius & Auguſtus ſuper eo colliſi ſint, Plut. *in Apophth. Auguſti.* De teſtamentis Auguſti & Tiberii, vide Sueton. *lib. 2. & 3. in fin. Tacit. 1. annal.* & de aliorum quorundam principum teſtamentis Hotom. *ill. qu. 1.* item quomodo ſub Auguſto & Nerone leges teſtamentariæ auctæ & correctæ ſint apud Sueton. vide item Valer. Max. *lib. 7. cap. 7. & 8.* & facilè apparebit cur tot leges civiles teſtamentariæ fuerint introductæ? Voluit nempe jus civile hominum fraudibus occurrere & talia pericula à repub. avertere. Introduxit itaque, & juri teſtandi eſſentiales fecit multas ſolenni-

tates, easq; tales quæ clàm adhiberi non possent & fraudum suspiciones excluderent, non ut jus naturæ intricaret, quemadmodum iniqui & negotiorum civilium imperiti judicare solent, sed ut illud à corruptionibus conservaret. Non negaverim interdum ob defectum leviculæ alicujus solennitatis testamenta subverti, sed hoc juris calumniatorum est, non legis civilis. Leges civiles fraudes prohibere voluerunt, non promovere. Quapropter si aliàs de voluntate testatoris constat, & periculum nullum est, ne hoc præjudicio publicæ leges graventur, non oportet civilibus legibus ad calumniam abuti, nec judex id debet concedere, *l. nulla. 25. D. de legib. l. quæstionem. 32. C. de fideicom. l. omne. 2. C. Commun. de legat. & fid.* quia est calumniosus abusus legum *l. fraus. l. contra. D. de legib.* contra mentem & voluntatem legislatoris. Multa testamenta omni jure rata, nullo jure & tamen sub specie juris per acutas legum civilium calumnias tolli credo, nec excusabo eorum qui id faciunt inscitiam aut malitiam, sed mirabor potius an jus naturæ & legum civilium mentem intelligere nequeant, an verò nolint? At ipsum jus civile propterea accusandú nego, quia id eo fine solennitates testamentarias non sancivit, ut tali abusui servirent, nec quicquam in tali judicio fit ex mente juris civilis, sed omnia contra. Verùm non in testamentariis legibus tantum, sed in omnibus juris articulis improbi quidam legibus civilibus abuti

Juris civilis abusus non pertinet ad ejus finem.

solent,

Digitized by Google

solent, ut Cic. 1.offic. inquit *Existunt etiam sæpè injuriæ calumniâ quadam & nimis callidâ & malitiosa juris interpretatione, ex quo illud, summum jus summa injuria factum est jam tritum sermone proverbium. Quo in genere etiam multa in repub. peccantur &c.* ostendit ibi aliquot exemplis malitiosam juris depravationem, eamque fugiendam docet. Qui legibus civilibus tanquam hamis & plagis utuntur, quibus jus naturæ decipiant, nullo utuntur jure, & longè aberrant si putant, se civilibus legibus vel consuetudinibus posse excusari. Ius naturæ plenum est amore, humanitate, æquitate, honesto, veritate & candore: huic servire debet jus civile, quod est quasi umbra & imago juris nativi, ut Cic. loquitur, qui contra facit, nullo jure utitur. Audiamus ipsa verba Ciceronis *ex 3. offic.* ubi inquit: *Quorsum hæc? ut intelligas non placuisse majoribus nostris astus. Sed aliter leges, aliter philosophi tollũt astutias: leges quatenus tenere manu res possunt: philosophi quatenus ratione & intelligentia. Ratio igitur hoc postulat ne quid insidiosè, ne quid simulatè, ne quid fallaciter. Suntne igitur insidiæ, tendere plagas, etiamsi excitaturus non sis, nec agitaturus? ipsæ enim feræ nullo insequente sæpè incidunt: sic cum tu ædes proscribas, tabulam tanquam plagam ponas, domum propter vitia vendas, in eam aliquis incurrat imprudens? Hoc quanquam video propter depravationem consuetudinis, neq; more turpe haberi, neq. aut lege sanciri aut jure civili, naturæ tamen lege sancitum est. Societas enim est, (quod etsi sæpè dictum est, dicendum tamen est sæpius) latissimè quidem quæ pateat, hominum inter homines: interior eorum*

rum qui ejusdem gentis sunt : propior eorum quæ ejusdem civitatis. Itaq; majores aliud jus gentium, aliud jus civile esse voluerunt, quod enim civile non idem continuò gentium : quod autem gentium, idem civile esse debet. Sed nos veri juris germanæq; justitiæ solidam & expressam effigiem nullam tenemus : umbra & imaginibus utimur : easq; ipsas utinam sequeremur, feruntur enim ex optimis naturæ principiis & veritatis exemplis. Ipsas leges nostras qui inspexerit, sexcenta loca invenerit, ubi juris naturæ iniquæ cavillationes improbentur, nullum ubi laudentur.

Finis juris civilis in usucapionibus.

Solent Jureconsultis exprobari usucapiones & præscriptiones, quasi illic Juri naturæ vim faciant injustam, cum tamen & hæc jura solo hoc fine sancita sint, ut jus naturæ tueantur. Ut rem summatim proponamus, & jus civile etiam hac in parte naturali servire voluisse ostendamus, leges nostræ hoc volunt : Si quis rem non furtivam, cujus de jure posit esse commercium, bonâ fide, sine dolo vel suspicione injuriæ, legitimo titulo & modo acquirendi honesto, ab homine cum quo aliàs contrahere licet, acquisierit, & per legitimum tempus (quod pro ratione durationis & usus rerum mobilium vel immobilium rationabiliter circa pleraque specialiter expressum est) quietè, sine interpellatione ejus qui rem suam repetere potuit ac debuit, possederit : tum possessor, elapso legitimo tempore, si rem petitam spontè restituere nolit, vi legum civilium eam reddere non cogatur, sed retineat tanquam suam, longo usu captam, &

actori

Digitized by Google

actori actio temporis lapsu præscripta vel extincta denegetur. Rationes hujus legis sunt gravissimæ: Nam quid fieret si lites in rebuspub. essent immortales? quæ commercia forent, si nullo unquam tempore tutò possidere possemus honestè & legitimè acquisita? quænam solis cautionibus & dominiorum probationibus, quæ in alienationibus rerum mobilium & immobilium requirerentur, sufficerent judicia? nonne aliàs satis durum est, virum bonum rem legitimè acquisitam intra viginti annos vel amplius, interdum per omne tempus vitæ suæ, (ut facilè evenire potest si fortè de re immobili cōtraxerit senior) non posse tutò & plenè suam appellare, nisi tanta sublatis actionum præscriptionibus malitiæ fenestra patefacta, omnes cives & res civium periculis litium exponamus? ea certè ratione nequissimi homines possent viris bonis & seræ posteritati illorum insidiari, & aliquando, deficientibus probationibus illorum qui juri suo tutò confidentes talem malitiam nō suspicantur, obsoletis quibusdam probationum instrumentis prorepere, & aliorum bona sibi vendicare. Actum esset omninò de tranquillitate & honestate politica si hæc concederentur. Quapropter jura præscriptionum reipub. tam salutaria sunt, ut nulla magis, & maximè pro naturali honestate & æquitate pugnant; probantur etiam expressè in jure Mosaico *Levit.25.v 29.* Qui requisita usucapionum ignorant, aut ex mente nostrarum legum summum

mum jus æquitati præferri autumant, & civilia negotia non tractarunt, putant usucapionum jura semper esse iniqua: & evenire potest ut alicubi duriora videantur: sed hîc monendi sumus æquitatem rectè considerandam. Quidam petitoris jus tantùm exaggerant & possessoris iniquitatem detestantur, nec cogitant iniquè agi cùm possessoribus, si res suas justò titulo & bona fide acquisitas non usurpare, vel denuò acquirere, & tamen etsi eandem rem aliquoties acquisierint, de suo dominio nunquam certi esse jubeantur. Tali jure nostris in rebus haud dubiè uti nollemus, ergo nec ab aliis id postulemus. Præterea, etsi fieri possit ut usucapio privato alicui durior occurrat, consideranda est publica æquitas, an etiam reipub. & juri cõmunium commerciorum utile sit, rescissionem contractus hoc in casu concedere? Posset enim & illud evenire, ut judex possessorem summo præscriptionum jure uti juberet, si videret periculosis quorundam privatorum præjudiciis jus publicum tentari, ut introductis pravis consuetudinibus labefactaretur. Nam & jura civilia ad bonum majus spectare debent, ut superiùs naturalia facere diximus, & quidem eò magis, quod tota illorum essentia in conservatione civilis boni subsistit. Si verò eveniat ut petitoris actio æqua, rei exceptio iniqua sit, & rei repetitæ restituto sine publico damno fieri possit, tum nostræ leges usucapionibus non patrocinantur, & facilè inveniunt exceptionem

ali-

Digitized by Google

aliquam, quâ eam annihilent, si non aliam, hanc certè generalem quod summum jus summa sit injuria, & quod in omnibus judiciis æquitas stricto juri ex mente omnium legum sit præferenda. *l. placuit. C. de judic. l. in omnibus. 90. D. de reg. jur. l. benignius. l. nulla juris. D. de legib.* & succurrunt actori, tum per æquitatem, tum per restitutionem in integrum & per imperium, tum etiam per admonitionem debitoris, ne summo jure contra æquum & bonum uti velit. Si qui judices vel rei id non faciunt & usucapione iniquè utuntur, illi non jure & legibus agunt, sed calumniâ legum: ea autem ipsis juris depravatoribus imputanda est, non legi civili. Ita videmus jus civile in usucapionibus nihil iniqui statuisse, sed tantùm exhibuisse modum, quo viri boni in possessionibus suis justè acquisitis à rapinis iniquis defenderentur.

Finis juris civilis in usuris.

Solent etiam usuræ malè audire, cum tamen jus civile fœnerari non jubeat, sed tantùm hominum avaritiæ & invidiæ modum statuat, ut dimidiâ lucri parte contenti malint aliis suâ pecuniâ prodesse, quàm eam defodere. Qui verò usurarum jure iniquè utuntur, nullo jure utuntur & contra mentem civilium legum faciunt.

Omnium rerum usum spectandum.

Nihil est tandem, quo improbi abuti non possint: si omnia bona propter eorum abusum abjicere volumus, etiam naturalia jura erunt delenda: Sed mens legum spectanda, & abusus legum bonarum ipsis legibus non imputandus.

dus. Multi de civilibus legibus judicare conantur omnium rerum imperiti, & nihil minus quam mentem legum intelligentes: quorundam etiam judicium obfuscat privati lucri cupiditas, ut non cogitent rationem publici boni semper majorem absorbere rationes minores privatorum. Interim manet id quod diximus, jura civilia eo fine constitui ut naturalibus famulentur.

Leges civiles rogat usus & necessitas.

Communis rogator omnium civilium legum, idem est qui ab hominibus jus gentium impetravit, nempe *usus & necessitas*, *lib. 4. cap. 2.* Usus multa docuit, multa in solennitatibus cōtractuum, in forma judiciorum & publicorum officiorum monstravit. Necessitas multò plura expressit, adeò ut quibusdam in legibus necessitas politica ferè æquet naturalem, quod in constitutione ordinum politicorum videmus.

Unus summus finis omnium specierum juris.

Atque ut juris civilis finem, usum & necessitatem circa jus naturale & gentium eò apertius ostendamus, omnium specierum juris finem & usum breviter sic componimus. Ius naturæ prius est ipsum æquum & bonum quod omnes optamus & volumus per se, quia continet in se imaginem Dei, & nos Deo similes reddit in beatitudine & perfectione summa, quæ homini competere potest. Quomodo id ratione & armis illæsum conservemus, docet jus gentium, quemadmodum unicum hunc finem & usum juris gentium supra demonstravimus. Sed quia hisce

hisce defensionum modis sine intermissione opus est, nos verò omnes iis semper adesse nolumus aut non possumus, (quia ætas, morbus animi vel corporis, suspicio, vel alia negotia nos impediunt; vel etiam rei vilitas communi concursu non eget) opus est aliquo ordine, ut sive jure sive armis quid expediendum sit, habeamus personas idoneas, & media per quæ omnia tàm pace quàm bello, concinno ordine fiant sine periculoso tumultu. Ita necessitas efflagitat personas publicas, huic fini & usui quem modo ostendimus. Ad has personas totum jus defensionis rejicimus, ut illi vigilent pro salute communi nosque jure & armis ab injuriis aliorum defendant. Ita jus civile suum in sinum suscipit jus gentium & naturale; & hic est ejus usus ac finis. In quibus verò negotiis auxilium officialium publicorum expectari nequit, (ut in necessaria vitæ defensione) aut ob rei exiguitatem implorari non est opus, (ut in emendationibus paternis liberorum) ibi defensio naturalis juris expeditur jure gentium, per eos qui id rationabiliter & commodissimè facere possunt. Ius civile verò, ut munere suo rectè fungi possit, præparat se legibus, armis & officialibus publicis, ad omnem necessitatem: ordinat & componit cives, ut semper pro salute civium suorum defendenda possit esse paratum. Hæc est illa necessitas, hic finis & usus juris civilis præstantissimus, de quo loquimur.

Digitized by Google

Politicæ finis ac usus in jure.

Et hic observabit benevolus lector obiter studii politici necessitatem, ejusque cum Iurisprudentia cognationem. Nam sinè illo ex solis legibus civilibus sciri nequit, cur in civili societate hæc vel illa constitui ac conservari utile sit, quia leges civiles rationum politicarum & humanarum rerum cognitionem præsupponunt. Qui vero quomodo cives in societates simplices & compositas coalescant, & formæ alicui civili subjiciantur, intelligit, facile videt quo legislator in suis sanctionibus respexerit. Nam ut politicæ ordinationes nil sunt nisi præparationes modorum & expeditiones mediorum quibus jus naturale applicare volumus: ita etiam politicæ rationes sunt prælatæ faces, explicationes & commendationes nostrarum legum,

Ratio civilium civilis.

Ratio civilium est beneplacitum legislatoris: ut si quis de purè civilibus quærat, cur hoc potius placuerit quam illud? cur decem dies appellationum constituti sint, non undecim? respondeo legislatori ita placuisse. Præsumendum verò est, cum semper prudentissimi viri publicis deliberationibus adhiberi soleant, illos quod optimum est investigasse atque probasse, ideo leges civiles esse consulta virorum prudētium & mentem totius civitatis *l. 1. D. de legib.* Quia etiam quæstiones illæ de quibus civili lege statuitur naturâ sunt indifferentes, & majestas potestatem eligendi alterutram opinionem habeat à Deo, tanto libentius & modestius in

co

Digitized by Google

eo quod majestas elegit est acquiescendum. Atque hac in re licet mirari quorundam incogitantiam, qui in merè civilibus rationem naturaliter immutabilem quærunt, immemores, ubi versentur. Quibus si civili ratione occurras, vel legislatori hoc placuisse respondeas, nasum suspendunt, dicunt responsionem esse divinatoriam, à posse ad esse nihil inferri. At multo melius erat ex forma reipub. ex historiis & aliis circumstantiis ostendere, hanc rationem legis civilis illo tempore à legislatore considerari non potuisse, aut si id non posset, in ea acquiescere. Si fatalia appellationum tam diu irridere placet, usque dum ad naturalem alicujus temporis necessitatem perveniamus, nullum tempus præfiniri poterit. Si ergo quærat quis, cur olim intra biduum aut triduum appellandum fuerit, *l. à sententia. 5. §. 5. D. de appell. l. 1. §. biduum. 5. D. Quando appell.* hodiè dati sint dies decem? *Nov. de appellat. 23. cap. 1.* Respondeo causas partim indicari *d. Nov.* nempe quia observatum est judicia defatigari multis inanibus appellationibus primò in fervore factis, à quibus appellantes fortè destitissent, si plus temporis ad deliberandum & consultandum habuissent. *d. cap. 1.* deinde, quia judicis superioris copia intra biduum aut triduum semper haberi non potuerit. *ibid. cap. 2.* & quia nonnulli juris ignorantiâ lapsi nimisq; citò jure suo privati sint. *ibid. in præfat.* Addo hisce rationibus alias ex historia petitas, nempe quod olim in statu

reipub. democratico, cum omnia magistratuum officia brevi tempore finirentur, causæ omnes sine scriptis ab oratoribus & advocatis proponerentur, & bellica negocia, quibus respubl. continuò jactabatur, longam judiciorum moram non ferrent, necessum fuerit litem semel motam brevi tempore finire. Sed cum postea sub imperatoribus civitas paulò esset tranquillior, & causæ per literas agi cœptæ essent. *C. de sentent. ex peric. recit.* aliaq; esset forma judiciorum, & judices inferiores superioresq; aliter essent constituti quàm olim; cum officia quædam facta essent perpetua, & jus civitatis Romanæ in omnes provincias esset diffusum, ut eo uterentur omnes qui imperio subjecti essent, *l. in orbe. 17. D. de statu hom.* multique juris Romani ignorantiâ suo jure nimis citò exciderent. *d. nov. 23. in præf.* nec ubique viri eruditi qui de jure consulerentur haberi possent, & præterea multi dies feriati essent recepti; tum datum fuit tempus deliberandi & de jure suo consultandi longiùs. Has & similes rationes nobis leges nostræ quæ *in Nov. Cod. & Dig.* de appellationibus loquuntur, suggerunt & historiæ probant, quapropter in iis oportet acquiescere. Quæris, cur in testamentis solennibus requirantur testes septem, in codicillis quinq;, in causis capitalibus tantùm duo? Respondeo testamenta valere ex tempore mortis testatoris, cum ille de sua voluntate amplius loqui, de scripto aut facto suo testari, aut in judicio prætoris

toris ad causam dicendam comparere non potest: cum ergo quidam tantò impudentiùs de mortuis mentirentur, quò minus illorum refutationes pertimescebant, & sæpè ex testamentis potentiorum seditiones natæ essent, usus & necessitas docuit hisce fraudibus quædam impedimenta objicere. Successu temporis, cum jam in pacatiore repub. minus fraudum esset, remissum est aliquid de solennitatibus, & recepti sunt codicilli, ut quisque, pro ut utile videretur & occasio sese offerret, codicillo aut testamento solenni de bonis suis disponere posset. In causis capitalibus longè aliter se res habet, ibi reus statuitur coràm, & nullæ contra eum probationes valent nisi manifestissimæ & inexpugnabiles, cum in testamentis ipse testator non adsit, & omnia pro testamento accipiantur, ut valeant potiùs, quàm pereant dispositiones testatorum. Negamus prætereà causas capitales semper esse periculosiores actionibus hæreditariis, quod exemplis probare nunc non est necesse. Item, si roget quis, cur qui Romæ jus reddebat vocatus fuerit Prætor, & non Præses? cur ea fuerit magistratuum Romanorum ratio, quæ *lib. 2. D. de orig. jur.* describitur, & non alia? dico usum ita postulasse & viris prudentibus tùm ita placuisse. Qui in merè civilibus talibus responsionibus & rationibus non acquiescit, fateatur se nescire quid civilia differant à naturalibus. Si civilia naturalem necessitatem haberent, non essent civilia, sed naturalia:

 nunc

Digitized by Google

nunc autem ideò civilia vel positiva vocantur, quod in arbitrio civitatis sunt posita. Sunt quædam certa & immutabilia rationabiliter ex fundamentis ethicis aut politicis, quædam præterea etiam naturaliter. Naturali necessitate nullam habemus vestem nisi cutim, nec cogimur hoc edere, hoc loco esse, hoc loqui, nunc ambulare &c. sed relicta sunt hæc nostræ rationi ac voluntati, quâ si uti noluerimus, propterea quod naturâ ad hoc vel ad illud non compellimur, vides quid sit eventurum? Quod observandum, primò propter temerarios quosdam juris consultorum censores, qui sibi talibus in argutiis vehementer placent, & jus civile propterea ratione carere solisq; opinionibus constare opinantur, quod civilium nulla naturalis necessitas demonstrari potest. Hi certè indicant se nec quid ratio ab opinione, nec quid naturale à positivo differat, intelligere. Deinde id in disputationibus juridicis observandum, ut in civilibus ratione civili simus contenti, nec præpostero studio naturalia civilibus misceamus, aut calumnias legum civilium meditemur. Peccant ea in re nonnunquam ipsi interpretes, statim enim ubi quid minus delectat palatum, aut si alicubi probabile quoddam argumentum arripuêre, priusquam totam reip. formam & quid tum temporis in deliberationem venire potuerit considerent, aut alios historicos diligenter evolvant, leges ipsas confidenter derident & corrigunt,

respon-

Digitized by Google

responsiones aliorum dicunt esse divinatorias, errasse Tribonianum vel amanuensem &c. quam corrigendarum legum promptitudinem nunquam potui probare. Iurisconsultus inquit, non posse omnium legum rationes reddi, neq; tamen propterea leges subvertendas esse quod nobis de earum ratione non constet. *l. non omnium. l. & ideo. D. de legib.* quod de civilium legum rationibus accipiendum est, cum naturalium rationes ignorari non possint. Non improbatur inquisitio rationum legalium, sed præpostera illa curiositas damnatur quod multi in nulla civili ratione acquiescere, sed omnium rerum demonstrationes inevitabiles habere desiderant. Hæc est nimia illa subtilitas quæ improbatur in civilibus ut ridicula *l. 12. C. de legib.* supervacua. *l. 47. D. de negot. gest.* impia, *l. 14 in pr. C. de legit. hæred.* & litigiosa. *l. 13. C. de cont. stipulat.* Quod igitur glossator *ad l. non omnium. D. de legib.* putat, rationem legis semper generalem & necessariam esse, de legib. naturalibus accipiendum est; civiles enim leges, cum cujusque civitatis propriæ, contingentes, & mutabiles sint, rationem naturâ generalem & immutabilem non habent. At nobis hæc dicta sufficiant, ut civilia civiliter, naturalia naturaliter certa esse cogitemus.



Digitized by Google



Leges civiles esse à reipub. majestate, majestatem subesse Deo.

CAP. IV.

Quomodo nascantur civitates.

NOn inutile fuerit exemplo Cic. *in pr. 3. de legib.* in commendationem juris nostri, in honorem magistratuum & jurisconsultorum, quædam de origine juris civilis altiùs repetita explicare, & politicæ cum jurisprudentia affinitatem ostendere.

Homo appetit conservationem & conversationem.

Cum homo naturâ sit animal sociale, appetens conservationem sui & conversationem sui similium, inprimis eorum, cum quibus se propagare & mutua beneficia exercere potest, fieri aliter non potest quin ipsâ naturæ ac rationis vi masculus delectetur societate fœminæ, fœmina maris, & parentes consortio gaudeant liberorum. Similì modo, qui sibi consulere nequeunt, appetunt consuetudinem illorum quorum consiliis juvantur, & qui corpore infirmiori sunt auxiliis robustiorum se sublevari cupiunt. Ita societas mariti & uxoris, parentum & liberorum, parentis & imperantis jucunda ac secundùm naturam est. At hæ tres societates primæ simplices civitatem nondum constituunt, sed familiam tantùm seu domum unam, nec multitudo uxorum, liberorum aut servorum quicquam officit, quò minus una sit familia

Societates simplices tres.

Familia seu domus.

lia quæ unius privati autoritate regitur. Qui familiæ præest vocatur *familiæ pater*, quo nomine sui officii admonetur; nempe quod paternè erga omnes affectus esse, iisq; ut charissimis liberis suis consulere debeat. Officium patris est imitari patrem cœlestem, quod fit si omnes ex se genitos vel in tutelam suam receptos amet, foveat, defendat, ad pietatem & virtutem instituat, omnibusque modis illorum commodis prospiciat. Huic vicissim ob amorem & beneficia plurima debetur honor & gratitudo, quasi vita & omnibus quæ in ea sunt, Dei & hujus beneficio fruamur, ut supra in jure naturali priori explicuimus. Si nobis Adam aut Noah superesset, & cum illo habitaremus, omnes in una illius essemus familia: & si homo lapsus non esset, mors nobis patres nostros genuinos non eriperet. Nunc verò tam angustus est vitæ nostræ terminus, ut nulla paulò major societas naturalem patrem habere possit, cujus consilio regatur. Extinctis itaque communibus patribus, cum multi ætate, sapientiâ & autoritate pares existunt, multæ nascuntur familiæ, & quisque paterfam. cum sua uxore, liberis & ministris sibi vivit, suaque peculiari familiæ gubernatione utitur. Sed si aliquot familiæ cohabitare & vicinitatis quædam singularia jura observare incipiant, nascitur pagus, & qui vicinitatis jura specialia inter se exercent, vocantur pagani. Familiarum multitudo ad pagum nihil facit, volunt tamen ad minimum tres familias

Familiarum jura.

Ea nunc non sufficere.

Ex familiis componitur pagus.

milias ad pagum & vicinitatem constituendam requiri, *arg. l. Neratius 185. D. de verb. sign.* quod de vicinitate plena accipiendū, nempe quod nulla vicinitas perfecta existere posit nisi ad minimum tres sint vicini, alioquin imperfecta vicinitas etiam inter duos esse potest. Quemadmodum enim Aristot. *in polit.* docuit, perfectam domum seu familiam constare ex patrefam. uxore, liberis, & servis; sed quasdam familias imperfectas esse, & sæpè liberos deesse, sæpè patremfam. uxore pro servo uti, vel officia servi ipsum subire: ita etiam pagi quidam sunt imperfecti, & vicinitates ex duabus incompletis familiis constitui possunt. Et ut non officit quo minus una sit familia quæ ab uno patrefam. regitur etsi quis uxores habeat mille, ut Salomon *1. Reg. 11. v. 3.* filios septuaginta, ut Gideon, *Iud. 8. v. 30.* vel plures, ut verisimile est patres ante diluvium habuisse, *Gen. 5.* servorum exercitum, ut Abraham *Gen. 14. v. 14.* & Pedianus, qui quadringentos, *Tacit 14. annal.* & alii quidam, qui mille, imò decem vel viginti millia & plures adhuc habuerunt, *Athen. lib. 6. deipnos. cap. 20.* Ita etiam nihilo minus pagus est ubi nulla est civilis ordinatio, etsi mille vel plures familiæ cohabitent. Quapropter Cæsar *lib. 1. de bello Gall.* totas regiones Helvetiorum vocat pagos, & L. Cassium consulem Rom. cum toto exercitu ab uno Helvetiorum pago victum ac sub jugum missum esse dicit: quo verbo ideo usus est, quod Helvetios civiles ordinationes paucas habere

& bella

& bella potissimum ex jure gentium gerere videret. Quamprimum autem vel consuetudine, vel communi electione, vel etiam prævalēte unius potentiâ uni ex paganis major quædam autoritas & potestas in alios conceditur, ut interponat arbitria sua, utq; ordinet & consulat toti communioni, tum pagus incipit inclinare in formam civilem. Familiæ plures sine ordine diu cohabitare vix possunt, nam ubi plures sunt familiæ, quæque ad suum commodum respicit, & cum par in parem non habeat imperium, nullus paterfam. alterum prohibere potest. Cum vero privata lucra plurimis tam sint dulcia ut communis boni obliviscantur, & magna sit humanorum ingeniorum dissimilitudo, necessum est pagos erroribus ac injuriis plenos fieri, iisque celeriter discerpi nisi aliqua ratione conserventur. Putant tres ad minimum pagos sufficere ad civitatem qualemcunq; concipiendam. Et quidem ita est: vix novem familias sine ordine aliquo, qui pagano paulo perfectior sit, cohabitare posse videmus. Sed sunt etiam civitates quædam imperfectæ, cum pagani quædam tantum habent officia publica, quædam vero ipsi pro ut possunt, expediunt. Sed quando pagani sibi ad omnia vel ad majora & maximè necessaria communia negotia, constituunt officiales publicos, & jura quædam ad societatis hujus conservationem spectantia recipiunt, tum nascitur civitas. Si historias & vitam communem hominum inspexerimus, appa-

Ex pagis civitas.

Digitized by Google

apparebit omnes societates humanas, & inprimis compositas, magis latenter crescere & emergere quam uno actu semel constitui. Et sic etiam civiles societates, quamvis reliquis omnibus perfectiores sint, ita è pagis emergere solent, ut ab initio à pagis vix possint distingui. Semper inferioris societatis perfectio, superioris est inchoatio. Personæ publicè constitutæ & officiis publicis oneratæ vocantur *publici patres* vel *patriæ patres*, quia succedunt in locum patrum naturalium; vocantur etiam *magistratus*, quia magis gravantur quam alii *l. 57. D. de verb. signif.* Officium illorum in genere quod sit, & quo fine constituantur ex prædictis intelligitur, nempe ut sint patres, ut paternè nobis prospiciant & faciant ea quæ pios patres suis liberis facere par est. Cum enim naturales patres nullos habeamus quorum autoritate per aliquot secula regamur, naturam arte imitamur & in locum defunctorum patrum naturalium adoptamus nobis patres publicos civiles ex iis, quos honore & amore nostro maximè dignos, & ad societatem nostram piè prudenterq; gubernandam quàm aptissimos esse arbitramur. Ideo etiam Deus *in decalogo* appellatione patris omnes qui aliis præsunt, officii sui admonuit: & ut parentes jubentur liberis suis secundùm legem Dei præesse, *Deut. 6. v. 6.* ita etiam magistratibus lex Dei traditur, norma & regula gubernationis *Deut. 17. v. 18. 19. 20.* in bonum illorum quibus præsunt, *Rom. 13. v. 4.* Non una tantùm

Officiales publici & magistratus.

Eorum officium.

tabu-

tabula Mosaica traditur parentibus & magistratibus, ut quidam putant tabulam priorem nihil ad officium patrum naturalium aut civilium pertinere, sed utraque; & ea est juris naturalis essentia ac unitas, ut tabulæ Mosaicæ ab invicem divelli non possint, quemadmodum supra *lib.3.* docuimus. Auctis deinde civilibus negotiis ac familiis, necessum fuit etiam plures patres publicos eligere, & officia publica inter hos distribuere: ita officia majora & minora, superiora & inferiora extitére. Necessum verò est, ut processus in infinitum evitetur, dari summam aliquam in civitate potestatem, sub qua reliquę contineantur: ea vel defertur ad unum, vel ad aliquot pauciores, vel reservatur toti civitati; unde nascuntur formæ gubernandæ reipub. simplices, monarchia, aristocratia & democratia, quę interdum miscentur aut corrumpuntur, & tum alia nomina accipiunt, ut politici docent. At summa legitima potestas vocatur majestas, quia omnibus aliis potestatibus privatis publicisque est major. Hæc ea est quæ neminem superiorem agnoscit nisi Deum; & quæ absolutam in omnibus purè civilibus habet potestatem. Majestas fert leges civiles, disponit de officiis & personis publicis, ordinat cives privatos, regit contractus & negotia civilia, punit delicta, dirimit lites, indulget privilegia, & omnia civilia vel immediatè vel mediantibus magistratibus gubernat. Majestas non est magistratus, sed supra magistratus: magistra-

Majestas reipub.

Formæ reipub.

Majestas fert leges civiles.

gistratus autem est cui majestas publicum aliquod officium cum parte imperii vel jurisdictionis commisit, quod ex politicis discendum. Leges civiles ferre nulli potestati magis convenire potest quam majestati, nam in legibus civilibus de omnibus officiis publicis, de potestate magistratuum, de negotiis & contractibus civium præsentibus atque futuris disponitur, quod non potest nisi summæ potestatis esse. Qui dicunt leges civiles à principe ferri, nomine principis abutuntur, regem significaturi, & in exemplo monarchiæ ostendunt quod itidem fit in aliis rerump. formis. Convenientius ad omnes rerump. formas dicimus leges civiles ferri à majestate: nam in democratiis populus, in aristocratiis optimates eandem habent potestatem quam reges in monarchiis. Majestas vero jure proprio, hoc est, non alieno indultu sed ex sese eo ipso quod majestas est, fert leges civiles toti civitati: usurpat enim majestas omnem potestatem suam jure proprio, quia superiorem non agnoscit, cujus beneficio potestatem aliquam exercere dici possit. Committitur quidem interdum munus concipiendarum legum magistratibus inferioribus, aut personis specialiter ad hoc selectis, ut in Romana repub. decemviri XII. tabulas conscribebant, prætores, ædiles & senatus jura faciebant: conceditur etiam magistratui provinciali aut municipali interdum, ut pro modo jurisdictionis sibi commissæ legem ferat, sed hæc omnia precario

cario & indultu majeſtatis, non jure proprio.

Quænam interior legum civilium forma ſit, ſeu quis finis earum eſſe debeat, apparet ex prædictis: nempe ſi majeſtas, & omnis qui ſub ea eſt magiſtratus eo fine conſtituitur, ut ſit cuſtos legis divinæ & miniſter Dei, ſequitur leges civiles decalogo ſervire debere. Quemadmodum ergo decalogus ſpectat ad pietatem, honeſtatem, æquitatem, & ad commune bonum; ita etiam civilia jura debent pia, honeſta, æqua, rationabilia, primo publicè toti civitati, & quantum ſine hujus læſione poſſunt etiam privatim cuique utilia eſſe. Ex quibus id quoque manifeſtum eſt, majeſtati omnes homines, cujuſcunq; conditionis ſint, ſubeſſe, & legibus civilibus parêre debere: nam qui ſe id facturos negant, profitentur ſe hoſtes legis divinæ, civilis ſocietatis, & publici boni. Chriſtus, apoſtoli & prophetæ nunquam ſubduxerunt ſe magiſtratui, ſed legibus civilibus libenter paruerunt, idq; nos imitari juſſerunt *Rom. 13. v. 1. 1. Pet. 2. v. 13. Ioh. 19. v. 10. 11. Act. 25. v. 10.* civilibus dico, hoc eſt naturâ indifferentibus, attamen piis, honeſtis & rationabilibus ſcitis: nam quando magiſtratus ſuis legibus aliquid admiſcet quod eſt contra jus naturæ, tum nec veram nec purè civilem fert legem, ſed impugnat naturalem. Et quia talis abuſus poteſtatis non eſt de majeſtatis eſſentia, ceſſat etiam hac in parte obedientia, & humanæ majeſtatis impio abuſui prævalent mandata Dei. *Act. 4. v. 19. & 5. v. 29.*

Finis legum civilium.

Majeſtas imperat omnibus.

Non tamen juri naturali.

Exod.

Exod. 1. v. 17. 20. Num. 22. 1. Reg. 22. v. 14. Dan. 6. v. 10. Mat. 10. v. 37 & 15. v. 3.

Majestas & à Deo. Quando verò magistratus officium suum rectè gerit, nullum est dubium quin loco Dei nobis loquatur, quia non potest munus tàm præclarum ab alio quàm Deo autore esse, quapropter etiam Deus laudatur autor & conservator ordinationum politicarum, *Gen. 9. v. 6. Deut. 1. v. 17. Ps. 82. v. 6. Ioh. 19. v. 10. 11. 1. Pet. 2. v. 13. Rom. 13. v. 1.* Eligitur quidem magistratus ab hominibus, & majestas formaq; reipub. ab hominibus constituitur, ut *1. Pet. 2. v. 13.* magistratus non malè vocetur *ordinatio humana:* sed prima causa hujus ordinis Deus est, qui nobis omnibus jus naturæ indidit, & rationem quâ id defendere possimus est largitus, quò respiciens Paulus dixit omnem magistratum esse *à Deo Rom. 13.*

Magistratum gerere pium est. Quærunt nonnulli an liceat magistratum gerere pio homini? at nemo aptior est custos legis divinæ quam homo pius, qui verum legis intellectum in ecclesia didicit. Dubitare audent alii, an magistratus in ecclesia sit retinendus, anne potiùs lex tota cum omnibus ejus protectoribus, magistratibus, jurisconsultis & judicibus è medio tollenda? illi certè fatentur se nondū intelligere quid sit lex aut magistratus, perinde enim est ac si quærant, an liceat in societate humanâ piè ac honestè vivere? Boni & qui rationabiliter vivere volunt magistratum non timent, & in eos cessat imperium magistratus, cum ipsi id spontaneâ executione præ-

præveniant, ideò apostolus inquit justo legem non poni *1. Tim. 1. v. 9.* & bonos à magistratu nil nisi laudem & protectionem habere, *Rom. 13.*

Tanta cum sit magistratuum dignitas & utilitas, rectè vocantur patres, *ut sup.* tutores, *Rom. 13. v. 6.* pastores, *1. Pet. 5. v. 2. Ezech. 34. v. 2.* vindices malorum, *Rom 13. v. 3. 1. Pet. 2. v. 14.* ministri Dei, *Rom. 13. v. 4.* filii Dei, *Psal. 82. v. 6.* & Dii, *Exod. 22. v. 28. Ps. 82. v. 6.* & à nobis debent honorari, *Exod. 20. v. 12. Rom. 13. v. 7. 1. Pet. 2. v. 17. 1. Timoth. 2. v. 2.* ac diligi, *Exod. 22. v. 28 Act. 23. v. 5.* & non dubitandum est Deum graviter puniturum contemptores magistratuum & bonarum legum *Exod. 20 v. 12. Rom. 13. v. 2.* Solebant Ethnici legumlatoribus suis divinos honores tribuere: Lycurgus ab Apolline institutus dicebatur, *Herod. lib. 1. Halic. lib. 2.* Zaleucus à Minerva *Val. Max. lib. 1. c. 2.* Numa ab Egeria *Liv. lib. 1. Halic. lib. 2 Plut. in Numa.* Minos à Iove, *Halic. d. loco.* Plato *in Minoe* laudat Minoen primum legum civilium inventorem, Cretensium regem justissimum, Iovis filium ac discipulum, cumque audiret eum à quibusdam sperni, tanquam virum agrestem, durum & injustum, obtrectationem illam redarguit, *Ne tu,* inquit, *ut alii multi, impia loquaris, nihil enim hoc magis impium est. Etenim primò cavendum ne quid in Deum aut verbo aut opere aliquando peccemus: deinde, ne quid adversus divinos homines. Quin diligenter cavere decet, quoties virum aliquem laudaturus aut vituperaturus es, ne aberres. Atque hujus gratia inprimis curandum est, ut*

Magistratuum magna autoritas.

Digitized by Google

bonos ac malos homines dignoscamus. Deus quippe nimium indignatur, quoties quispiam illius similem improbat, aut probat dissimilem. Dei vero similis est vir bonus. Neque lapides ac ligna, avesq; ac serpentes sacra existimes, homines vero nequaquam. Imò sacratissimum omnium est vir bonus, profanissimum contra vir malus. Si ethnici tantis honoribus suos legumlatores affecerunt, quantò magis nos magistratum observare & honorificè colere oportebit, qui scimus à quo, & quo fine sit institutus? Hæc in commendationem juris civilis, & ad demonstrandam politicæ cum Iurisprudentia cognationem, dixisse sufficiat, quibus addi possunt quæ à doctissimo theologo Martino Chemnitio, (cujus lectionem, inprimis in loco de lege, studiosis juris commendatam esse cupio) *in d. loco de lege* pro autoritate magistratuum & juris civilis eruditè sunt tractata,



Confutantur præcipua argumenta illorum, qui putant magistratum & jura civilia in ecclesia ferenda non esse.

Cap. V.

Quemadmodum jus naturæ prius figmento fatalis raptus oppugnaretur, vel à Deo lædi tollive posse putaretur, superius vidimus: diximus etiam quomodo jura gentium, tanquam

quam inutilia & odiosa à quibusdam accusarentur: & speramus ita responsum esse adversariis ut naturalia jura utraq; nobis ab illorum injuriis tuta promittere audeamus. Ne verò quid intentatum relinquant juris hostes, civilia quoq; infestant, & quidem tantò audaciùs, quod sibi persuaserunt Deo & naturæ injuriam nullam fieri, etiamsi civiles leges conculcentur, tantoq́; vehementius quod dolent sibi pro jure obtrudi aliquid, quod ipsi nec excogitarint, nec approbarint, & quo præsens gladius in inobedientes stringatur. Et quanquam hisce in superioribus nonnihil sit responsum, quia tamen adversariorum tela quibus jura naturalia impugnabant confregimus, non inutile fuerit inanes illorum argutias, quibus contra civilia jura maximè confidunt, in medium producere & conterere.

Jura civilia naturalibus non officere.

Principio ergo, ut nos à consideratione rerum præsentium quasi extra hunc mundum rapiant, & magna expectatione dementent, fingunt plurima de aureo quodam seculo, quod olim fuerit & rediturum denuò ad nos sit, si abjecto jure civili nos ad jura naturalia reciperemus. Præclara quidem & aurea promissio, modò id quod pollicentur præstare possint: at nos, ut Cic. *in Læl.* inquit, *ea quæ sunt in usu & vita communi, non ea quæ finguntur aut optantur sperare debemus*; nobis verisimile non fit homines sublato pœnæ metu meliores fore quam nunc sunt. Nihil officiunt leges civiles hominibus ex jure

Digitized by Google

naturæ vivere cupientibus, nisi quis per jus naturæ legem peccati & jus beluinum intelligat: vivat ergo ex jure naturæ qui volet, & jus civile non reprehendat; nisi ostendere possit ubi id naturali juri adversetur. Secundò dicunt, in primitiva veteris & novi Testamenti ecclesia pios semper in communione omnium bonorum tanquam in una familia vixisse, & nulla civilia officia vel jura habuisse. Monendi hîc sunt adversarii, ut distinguant tempora & mores hominum. Non poterant primis mundi seculis politiæ nostris similes existere, cùm quia civitates ut cætera ex infimo nascuntur; tùm propter patrum longævitatem. Vivo Adamo omnes in ejus erant familia: at eo defuncto pii colebant seniores, qui vel naturâ vel autoritate patres erant omnium: & quoniam rari erant, cohabitabant tanquam fratres. Pauci erant patresfam ante diluvium, iiq; jure familiari paterno suos regebant, inter se mutuò autem jure naturæ & gentium ut vicini & pagani utebantur. Nondum invaluerant commercia, avaritia, injuriæ & alia mala, quæ civile remedium requirerent, si verò quid emersisset dissidii, id autoritate patrum, quorum ob ætatis inæqualitatem, pietatem, justitiam & agnationem magna erat veneratio, componebatur. Post diluvium pietas vix in una peregrinante familia fuit usq; ad Iacobum, cujus posteri quamdiu sub jugo Ægyptiorum erant, jus civile proprium habere non poterant. Quamprimum

An primitiva ecclesia jus civile spreverit.

verò

Digitized by Google

verò ex Ægypto sunt educti, Moses illis civiles leges tulit & officia quædam publica constituit: ante hæc tempora ecclesia se in civilem quandam societatem colligere non potuit. In novo verò Testamento pii erant sub imperio Romano, & fruebantur eo æquissimo & prudentissimo civili jure, de quo nobis adhuc præ omnibus populis gratulamur, ut non opus haberent seditione concitatâ sibi novum jus civile constituere. Sed quis affirmaverit ecclesiam usq; ad tempora Moisis omnibus civilibus legibus & officiis penitùs caruisse? Nam quod tertiò inferunt adversarii, magistratum & leges civiles in maledicta Caini posteritate primû cœpisse *Gen. 4. v. 17.* & magistratum ab impiis primò gestum esse *Gen. 6. v. 4. & 10. v. 8.* si ita accipiatur, quasi homines impii rationem illam quæ jus civile peperit primò excogitarint, simpliciter verum esse negamus. Dilectio ordinis, & potestas hominis in hominem, quæ sunt semina civitatum, primò fuerunt in ecclesia *Gen. 2. vers. 24. & 3. vers. 16.* ut & distinctio dominiorum *Gen. 4. v. 2.* nam ratio naturaliter insita hæc ab initio omnibus hominibus monstravit. Vindictam publicam & magistratuum officia jam olim ante Mosen in ecclesia fuisse intelligitur ex *Gen. 4. v. 15. & 9. v. 6. 25.* Noah & pii ejus posteri distinxerunt inter liberos & servos; reges gentium honore suo dignati sunt; cum illis commercia quædam habuerunt, & fœdera percusserunt; quæ certè nullum sapiunt juris civilis

An jura civilia ab impiis nata.

contemptum: & Ioseph summum magistratum gessit *Gen. 41. & ss.* vir nemini pietate secundus. Id facilè concesserim remedia civilia propter delicta pravorum hominum inter impios citiùs expedita & frequentata esse, nam crescente hominum malitia & avaritia, civilia quoq; remedia sese pro defensione publicæ pacis & disciplinæ plura erexerunt, ideò crediderim officiales publicos civiles, publica judicia, lites, accusationes & pœnas in posteritate Caini prius extitisse. Quamvis enim Cain cum suis posteris à facie Dei recessisse dicatur, non tamen statim in beluas degenerârunt, sed jure aliquo rationabiliter usi sunt. Suspicabar supra, *cap. 2.* civiles leges fortè à posteris Caini primò latas esse, quod eodem modo accipiendum, nempe quod illi videantur civilibus legibus priùs opus habuisse quàm pii. Iura civilia necessitas quidem & usus expressit, at ratio humana peperit, ratio verò prius fuit in ecclesia quam extra. Quod verò ethnicorum ratio ad quædam invenienda citiùs excitata & coacta sit, autoritati rerũ bonarum non detrahit, nam bonum quod rationabiliter invenerunt impij, non est ex impietate sed ex bona ratione omnibus hominibus communi. Non omnia quæ ab impiis proficiscuntur impia sunt, sed quæ ab impietate, nec omnia quæ à piis proveniunt pia sunt, sed quæ à pietate. Possunt impij ratione suâ benè uti, quamvis impii sint, & pii interdum ratione suâ impiè abuti, licet aliàs pij & in gremio ecclesiæ positi esse dicantur.

tur. Parùm ergo refert à quo homine civile jus primum sit usurpatum, efficiens ejus, nempe recta ratio, & finis verus, quo nos civili jure utimur, qui est publica disciplina & defensio juris naturæ, non possunt improbari. Ecclesia certè, Deo docente ac adjuvante, jus civile probavit: nam Deus constituit magistratus publicos, armavit illos potestate gladii, tulit leges civiles, ordinavit & gubernavit respub. per viros pios, sacerdotes, judices & reges: Christus ipse censum (qui merè civilis est, & tum ab ethnico magistratu requirebatur) dedit, & jussit Cæsari dare quæ sint Cæsaris, ergo jus civile non improbavit. Illud mirandum non est, quod in primis seculis homines tot civiles leges & magistratus non habuerint, atq; nobis Roma suo in flore numeravit & in descriptione juris sui reliquit, nam hæc omnia cum tempore & moribus hominum crescunt ac decrescunt, prout usus ac necessitas id requirunt. Id poëtæ, Hesiod. *in operib.* & Ovid. *3. Metam.* in descriptione degenerantium semper ætatum indicant, & Fabius Pictor *in libello de aureo seculo* inquit: *Eâ ætate nulla erat monarchia, quia mortalibus pectoribus nondum hæserat ulla regnandi cupiditas. Principes, quia justi erant & religionibus dediti, jure habiti Dij atq; dicti. Non enim arbitria illorum ab æquo, vel populus à jure innato discedebant: nullo tunc vindice aut metu sed sua sponte retinebant fidem & rectum. Pudor ipse regebat populos, & jus principes.* Agnoscit Fabius jus civile in aureo seculo, quia principes in eo relinquit,

Cur in primis seculis jura civilia fuerint pauciora.

 quit,

quit, sed paucis civilibus legibus opus fuisse innuit, quamdiu homines jure naturali essent contenti. Idem confirmat Tacit. *3. annal.* cum inquit: *Vetustissimi mortalium nullâ adhuc malâ libidine, sine probro, scelere, eoq; sine pœna aut coercitionibus agebant, neq; præmiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At postquam exui æqualitas & pro modestia ac pudore ambitio & vis incedebat, provenêre dominationes, multosq; apud populos æternum mansêre. Quidam statim, aut postquam regum pertæsum, leges maluerunt. Hæ primò rudibus hominum animis simplices erant, maximeq; fama celebravit Cretensium quas Minos; Spartanorum, quas Lycurgus; ac mox Atheniensibus quæsitiores jam & plures Solon perscripsit. Nobis Romulus, ut libitum, imperitaverat: dein Numa religionibus ac divino jure populum devinxit: repertaq; quædam à Tullo & ab Anco: sed præcipuus Servius Tullius sanctor legum fuit, quîs etiam reges obtemperarent, &c.* Sic & de priscis Romanis Salust. *in conjur. Catil. Domi militiæq; boni mores colebantur. concordia maxima, minima avaritia erat. jus, bonumq; apud eos non legibus magis quàm naturâ valebat. jurgia, discordias, iras, simultates cum hostibus exercebant; cives cum civibus de virtute certabant.* Lucretii opinionem de primorum hominum vita vide *in lib. ejus 5. rer. nat.* vide etiam Senec. *epist. 90.* De Scythis galactophagis Stob. *serm. 3.* refert quod paucissimas leges habuerint, & tamen fuerint justissimi, sed rationem simul indicat, nempe quod fuerint pauperrimi, & nihil habuerint in, quo fraudes exer-

exercere possent. Nam quid in locupletibus civitatibus tot legum civilium remedia expresserit, indicat Poëta *1. Metam. fab. 5.* nempe

—— fraudesq; doliq;
Insidiæ, & vis, & amor sceleratus habendi.

Locus perelegans est apud Senec. *epist. 95.* huc faciens, sed quia paulò est prolixior, lector eum inde petet. Ita ergo paulatim prodierunt leges civiles, ita auctæ & cumulatæ sunt, ut tanquam vallum perrupturæ semper malitiæ resisterent.

At objiciunt quartò, Deum irasci populo suo *1. Sam. 8.* quod sibi regem posceret, ergo politias non probare. Respondeo Israelitas à tempore Mosis politiam & leges civiles habuisse, easque à Deo probatas esse: temporibus Samuelis mutatam tantum esse reip. formam, idque ideò ægrè tulisse Deum, quia nullam ejus mutationis habebant causam præter ambitionem, quâ sibi splendidum regem, & quidem virum militarem, more omnium gentium constitui poscebant, ne viderentur à sacrificulo regi. Quod autẽ illi filios Samuelis accusabant, erat tantùm prætextus & occasio mutationis, non necessaria causa, quia & antea evenerant similia, & populus ad filios Samuelis non fuerat adstrictus. At leges civiles, dicunt adversarii, sunt mandata hominum: scriptum est autem *Esa. 29. v. 13, Matth. 15. v. 9.* frustra colunt me mandatis hominum, & *Deut. 4. v. 2.* non addes neque detrahes legi divinæ. Respondeo ibi re-

Deum politias non improbare.

An civilia improbanda quia mandata hominum sint.

Digitized by Google

pudiari mandata hominum quæ religioni, tanquam pars necessarii cultus divini assuuntur, præcepta verò politica, pro tranquillitate civili & defensione juris naturæ inventa, ibi non improbari. Nam si Deus ea ferre non posset, magistratum eo loco quem *sup. cap prox.* ostendimus, non collocasset, & præceptum de honorandis parentibus sustulisset. Verba scripturæ sacræ inter se mutuò conferenda, & ita explicanda sunt ne quæ statuatur in Deo contradictio. Tandem, quod nonnulli magistratus vel litigatores civilibus abutuntur, nihil ad rem facit: vitia hominū legibus ipsis imputari nō debent, ut jā sæpi⁹ diximus. Videmus itaq; quàm frivola & inania sint commenta, quæ à juris civilis & politiarum calumniatoribus proferuntur, quæ ulteriori refutatione non dignabimur.

Civilia ob metum abusus non abjicienda.

Jura civilia esse duplicia, ritualia & forensia: utraque naturalibus servire.

CAP. VI.

Jura civilia duplicia esse.

TAbulas Mosaicas duplices esse, earumque in prima de jure divino seu amore & cultu Deo exhibendo, in altera de amore hominum mutuò agi, nemo ignorat. Dictum est etiam magistratum esse custodem utriusque tabulæ, & servire juri naturæ per leges civiles. Sequitur ergo, ut jura civilia utriq; tabulæ accommodemus,

demus, eaq; duplicia esse statuamus, perinde ut & superius jura gentium circa utramq; tabulam defendendam occupari diximus. Sint itaque nobis civilia jura vel ritualia, vel forensia, possent etiam humana jura dividi in naturalia & positiva: naturalia in priora & posteriora: positiva in sacra & profana: sacra in ritualia & ceremonialia: profana vero manerent ea quæ forensia vocantur. Sed ceremonialia quando à ritualibus distinguuntur non sunt positiva; & ritualia, quando alicubi in civili societate observantur, sunt civilia. Licet enim nobis omnia ritualia non sint civilia, quia tamen hîc per ritualia intelligimus ea jura, quæ publicè ad ritus sacrorum constituta sunt, necessum est ea origine sua civilia esse. Eadem est præterea ritualium natura quæ positivorum civilium, nẽpe quod ab initio & ex natura nihil refert qualia constituantur, postquam verò semel rationabiliter constituta sunt, ea observari refert, ut propterea rectè inter positiva & civilia numerari possint. Sed distinguamus leges Mosaicas, ut manifestiùs appareat earum discrimen. Leges Mosaicæ non sunt naturales tantum, sed quædam etiam sunt ceremoniales, quædam forenses. Naturales leges quæ sint apud Mosen & in universa natura hominum, ex supradictis liquet. De Mosaicis forensibus nulla est controversia, quin sint politicæ: at de ceremonialibus quæritur, quò sint referendæ, utrùm ad naturales, an vero ad positivas & civiles? Si dè eo cer-

Ritualia & forensia.

Ritualia esse civilia.

Legum Mosaicarum distinctio.

eo certi erimus, constabit etiam quò nostras ceremoniales leges, quas in locum antiquarum substituimus referre debeamus, an ad naturales immutabiles, an verò ad positivas arbitrio civitatis relictas? Distinguendæ sunt leges Mosaicæ quæ communiter uno nomine ceremoniales vocantur: aliæ enim sunt typicæ, aliæ rituales. Typicæ erant, quæ venturum Messiam docebant & in memoriam revocabant: hæ gustum aliquem seu odorem habebant evangelii, quapropter hæ ceremoniæ magis erant evangelii prænunciæ, quàm applicationes vel ritus legis. Possunt tamen ad legem referri, eo sensu quo etiam evangelium nonnunquam sub nomine legis complectimur, vel quia ipsa etiam lex loquitur de cultu divino, cujus pars est evangelium. Sed nos leges ceremoniales typicas inter positivas civiles numerare nolumus, & credimus eas rectius dici ceremonias juris naturæ vel evangelicas, quam positivas civiles: quia docebant populum de essentia Dei, quod esset sanctus, castus, summus, magna veneratione colendus; docebant item de pluribus personis divinitatis, & de opere redemptionis, nempe quod Deus esset misericors, qui peccata populi sui in summo sacerdote, Christo suo, expiaturus, & per os illius magis quam per alios prophetas ex sancto sanctorum, seu ex pectore suo per Spiritum sanctum locuturus esset. Hæc & similia multa quæ à theologis explicantur, non sunt positiva aut civilia humana,

Leges ceremoniales sunt duplices.

Typicæ.

qua-

quapropter nos quoque totam legem ceremonialem ad classem positivarum referre non debuimus. Præterea leges typicæ ad studium Iurisconsultorum non pertinent, & olim nostro in jure nullæ fuerunt, hodiè etiam, postquam Christus illas impletione consumpsit, nullæ in ecclesia restant, quaqropter antiquorum typorum explicationem theologis relinquimus.

Rituales leges vocamus, quæ tantum de ritibus externis divini cultus publicè in ecclesia Dei observandis, non de ipsis essentialibus cultus aut religionis loquuntur. Has positivas seu civiles esse probamus, quia Deus omnes externos ritus naturæ non implantavit, nec unquam de cœlo omnibus hominibus æqualiter & perpetuò servandos præcepit, sed piorum hominum arbitrio & ordinationi reliquit *1. Cor. 11. v.34. & 14. v.40.* Si naturales essent, extitissent omnes cum natura, & Adamo insitæ fuissent, & forent perpetuæ ac immutabiles: sed illæ diu in ecclesia non fuerunt, & sæpè in veteri ac novo testamento sunt mutatæ. In veteri testamento observare licet ritus quosdam à piis viris inventos ac constitutos, deinde alio tempore intermissos, mutatos, tandemq; planè abolitos esse, quod exemplo Salomonis probamus, qui multa sacro usui instrumenta ærea & aurea confecit, eorumque ritum & usum per sacerdotes introduxit, cum ante ejus tempora non essent & paucis annis iterum immutarentur. *Rituales sunt positiva.*

Tales

Rituales leges fert majestas.

Tales itaque leges juris civilis esse, & primò à majestate jure proprio ferri dicimus. Duo autem hîc, ut in omnibus civilibus, præstabit legislator, pietatem & prudentiam. Pietatem, quia leges rituales accedunt præceptis primæ tabulæ, quæ de cultu Dei loquuntur: cavendum ergo ne ritibus inhonestis aut ineptis pietatem nostram suspectam faciamus, neve rituum infinitâ multitudine spectatorum attentionem & animos avertamus. Observandum etiam, ne ritus quorum usus aliquis esse potest deleamus, sed ut relinquamus ceremonias quasdam externas propter imperitos, quorum animi sæpè per sensus excitantur ad attentionem, venerationem, & perceptionem ipsius doctrinæ pleniorem. Quamvis enim externus ille splendor, & divina pompa tabernaculi Mosaici & templi Salomonis ad essentiam religionis nihil faceret, tamen multos admiratione sua pellexit, ut videre & audire cuperent, quidnam ibi rerum ageretur, quidve hæc omnia significarent? Videmus nostram plebem confluere & comprimere se in templis quando novi quid ibi audiendum est aut videndum, & interim etiam concioni & precibus, quæ hisce rebus intermiscentur, auscultare, cum aliàs nullo magistratuum edicto, nullis concionatorum minis aut precibus eum in locum cōpingi potuissent. Ritus ergo huic fini rationabiliter servientes omnes abrogare, & ingeniis languidioribus se applicare nolle, impium est & contra huma-

Ea sint pia.

Quomodo sint pia.

humanum amorem. Sæpius hîc impingunt rigidi ceremoniarum censores, atque ut alios cavillando sese viros omnium sapientissimos & religiosissimos jactent, omnes externos ritus superstitionis damnant, eosque vi deturbant & calumniis conspuunt, licet fateri cogantur eos ad capiendos simpliciorum animos non fuisse inutiles. Nullibi in toto jure civili sanciendo vel mutando majori prudentiâ opus est, quàm in illis legibus quæ primæ tabulæ Mosaicæ applicantur, quapropter hîc anxiè vigilare oportet, ne cui scandalo simus, neve aliis superstitiones & scandala affingamus ubi nulla sunt, sed ut nos potius applicemus ad captum hebetiorum & ritus adiaphoros feramus quamdiu sine læsione conscientiæ id facere possumus. Quin etiam, etsi nos de talibus adiaphoris rectius & melius quid sciamus, id tamen sine communi scandalo docere non possimus, præstat aliquantisper tacere & tempus conveniens expectare, vel singulos erudire, quam publicum tumultum excitare. Ita Christus, Prophetæ & Apostoli, inprimis verò Paulus, qui multa prava vidit inter ethnicos, plurimas ceremonias externas, quas ab impiis excogitatas & vanitatis plenas esse docere potuissent, dissimularunt, ne scandalum excitarent, neve se cum sua doctrina exosos redderent. Imperita multitudo plebis inter ritualia & essentialia doctrinæ exactè nequit distinguere, sæpè etiam ipsi qui alios docere volunt, & receptas ceremonias tanquam superstiti-

Quomodò impiè abrogentur.

perstiti-

perſtitioſas abrogandas, ſuas verò ut neceſſarias & meliores recipiendas eſſe contendunt, ſuperſtitioſi & imperiti ſunt, inde facillimè naſcuntur contentiones, tumultus, ſeditiones & inteſtina bella. Qui ritus veteres abrogare & novos inſtituere vult, conſideret primò utrũ id pietas jubeat? an neceſsitas id flagitet? an præſens tempus mutationem illam ferat? an ſine ſcandalo id fieri poſſit? anne ſeditio ſit metuenda? hæc qui non conſiderat, deſinat jactare pietatem & prudentiam ſuam, & legum lationem aliis relinquat, qui admonitiones Pauli *Rom 14. 1. Cor. 8. 10. 12, 13. & 14.* rectiùs intelligunt, & quomodo in civili ſocietate leges ſine ſcandalo & ſanguine ſanciri poſsint, didicerunt. Non ſunt meliores ritus qui cum periculo & ſcandalo introducuntur, nec pii aut prudentes viri ſunt qui id faciunt. Inveterati ritus etſi ineptiores ſint novis, ſi tamen tutiores & minùs ſcandaloſæ ſint, eo ipſo etiam ſunt meliores. Cæterùm ut in repub. Romana ſæpe furioſus Tribunus, auram popularem captans & patriciis odium quærens, intempeſtivâ & pernicioſiſsimâ lege rempub. ad arma concitavit, clamitans interim omneſque Deos teſtes citans de ſumma legis neceſsitate ſuaque erga cives vigili benevolentia: ita etiam noſtris temporibus, ſæpè ſub ſpecioſiſsimo religionis aut publicæ utilitatis prætextu, reſpublicæ ab audaciſsimis & amentiſsimis novatoribus conquaſ-

quassantur & evertuntur, qua de re queri, quid prodest?

Alterum ergo, nempe prudentiam, præstabit legislator, si in consilium adhibeat viros prudentes, non qui vulgò prudentes audiunt, sed qui re verâ sunt prudentes & modesti viri. Ut autem in forensibus consulere solemus magistratus & proceres, ita par est in sanciendis legibus ceremonialibus theologorum, episcoporum & publicè docentium consilia audire, quia illis notiora sunt auditorum ingenia, & leges rituales illorum consilio latæ plus habent autoritatis. *Leges rituales quomodo prudenter ferantur.*

Romani, quemadmodum edicta prætorum, ædilium, & consulta senatus in honorem magistratuum & ordinis senatorii rata esse sinebant *§. prætorum. 7. Instit. de jure nat.* ita etiam auguribus, auspicibus & pontificibus indulgebant ut leges quasdam rituales ferrent: & solet is honor etiam nostris episcopis & concionatoribus deferri, ut interdum aliquid ordinent in ecclesia. Sed ausi sunt nonnulli precarium honorem in legitimam potestatem mutare, & novam potestatem ecclesiasticam fingere, sub cujus prætextu sese magistratui legitimo opponerent, obedientiam denegarent, omnia ad forum ecclesiasticum traherent, & majestatem sibi in majestatem arrogarent, quod erroneum & minimè ferendum est. Non possunt una in repub. duæ majestates esse, nec tabulæ Mosaicæ ita possunt divelli, ut magistratui una tantùm relinqua- *Rituales leges etiam ab inferioribus ferri.* *An ritualia aliam majestatem desiderent.*

linquatur. Una est in quavis repub. majestas, cui cura totius legis est commissa. Indulget quidem aliquando majestas principibus & episcopis provincialibus, ut pro modo officii sui leges ferant, at salvo semper jure majestatis, non ut seipsam supremâ potestate & inspectione privet. Propriè ergo majestatis est leges civiles ferre, tam rituales quam forenses, episcoporum autem & magistratuum est consilia salutaria suppeditare. Et ita Romani tulerunt leges rituales, ut fragmenta XII. tab. docent, & Plut: *in Numa* testatur, Numam multas leges sacras tulisse; quod confirmat Liv.*lib.1.* Ipsa etiam sacerdotum constitutio juris civilis est: & Romæ creatio sacerdotum modò à populo ad collegium pontificum fuit translata, modò ab hoc iterum ad populum revocata, latis legibus Antoniâ, Corneliâ, Domitiâ & aliis plurimis; de quibus Anton. Augustin. & alii consuli possunt. In religione ipsa vero nihil unquam mutare licuit, nisi totius populi consensu & omnium sacerdotum consilio.

Finis ritualium. Finis legum ritualium hic est, ut præceptis primæ tabulæ Mosaicæ serviant, quo in ecclesia Dei omnia decenter, ordine, honestè & piè gerantur: ut hisce externis rebus auditorum attentio excitetur, & veneratio supplex divinæ doctrinæ promoveatur. Si id non faciunt, repudiantur à Deo ut inanes gesticulationes & hypocriticæ ostentationes, *ut Amos.5.v.21. Esa.58. v.3. & seq. Mat. 6.v.5.16.* Qui verò hæc documenta

menta ſenſuum omittunt, cum tardiora ingenia iis excitare & erudire poſſent, æquè reprehenduntur à Paulo ut impii fratricidæ *Rom. 14. v. 15. 20.*

Forenſes leges civiles eſſe nemo ambigit, quapropter non eſt opus eam in probationem deſcendere. Conſtat etiam ex ſupradictis, quod hic ſit finis legum forenſium ut ſerviant juri naturæ. Si verò id non faciunt, non ſunt veræ leges civiles ſed calumniæ & fraudes juris naturalis, *l contra l fraus. D. de legib.* Ut autem leges rituales principaliter ad primam accedunt tabulam, ita forenſes ſecundam magis ſpectant. Quod non ita accipiendum; quaſi civiles leges unitatem decalogi & communionem legum naturalium quam inter ſe habent tollant, ſed quod alterutram in partem magis inclinent. Alioquin forenſes leges ſe etiam primæ tabulæ aſſociant, ut in pœnis impiorum, perjurorum, blaſphematorum, &c. & rituales nonnunquam ad tabulam ſecundam exſpaciantur, ut in benedictione ſacerdotali conjugum, & quando jus juraturi ad aram adducuntur, ibique per triſtes quaſdam ceremonias ſalutis æternæ admonentur.

Leges forenſes ſunt civiles.

Quomodo ſerviant juri naturali.

Verùm ſi civilia juri naturali ſemper ſerviunt, quid eſt quod *in l. 6. D. de Iuſt. & jure* dicitur jus civile interdum à jure naturali recedere? Civile jus nunquam recedit à jure naturali, ſed interdum ab eo recedere *videtur*, cùm è duobus malis eligit minus & publicum bonum præfert

Quomodo civilia à naturalibus recedere dicantur.

 priva-

Digitized by Google

privato, ut supra *capite 3.* indicavimus; quod cum contra mentem juris naturalis non sit, dici non potest civilia jura à juribus naturalibus verè recedere. Si quæ verò sint tales leges à tyrannis latæ, quibus jura naturalia infestentur, eas negamus esse veras leges. Sed ad nonnullas leges, in quibus jus civile à naturali recedere putabatur, jam superiùs respondimus, quædam etiam in sequentibus explicabuntur.



Jura civilia mutabilia & in potestate majestatis esse.

Cap. VII.

Jura civilia esse mutabilia.

IUra naturalia immutabilia, civilia verò in potestate legislatoris esse superiùs diximus. Sed ne quis in civilibus respectu majestatis humanæ eam immutabilitatem, quam in naturali priori respectu divinæ ac humanæ majestatis esse diximus, statuendam putet, vel nos inordinatam & irrationabilem civilium conturbationem probare opinetur, paulò fusiùs explicabimus, quomodo civilia mutabilia esse dicamus.

Cur nequeant immutabilia esse.

Ac videbantur quidem civilia jura majestatem humanam perinde obligare debere, ut majestatem divinam suis se legibus obstrinxisse audivimus: verum si eadem esset ratio civilium & naturalium, civilia non essent civilia sed naturalia. Naturales leges ideò immutabiles sunt, quia

quia Deus & natura non mutantur: at civilia negotia omnia sunt mutabilia, ergo etiam civilia jura, quæ de talibus negotiis loquuntur, mutabilia esse necessum est. Dictum est supra quæ sit civilium natura & forma, nempe quod positivæ leges sint tales de quibus ab initio in natura nihil refert hoc an illo modo constituantur, sed postquam constituta sunt refert. Refert autem, ut supra indicavimus, civiliter, nempe propter obedientiam legibus præstandam, non naturaliter, quia ratio civilium semper est civilis, nec unquam fit naturalis. Quamdiu ergo legislator obedientiam requirit, tamdiu refert eam præstari, at quando eam remittit vel novâ lege alio modo præstandam docet, tum refert etiam hac in parte ejus voluntati obtemperare. Sed sunt quædam hujus mutationis requisita essentialia consideranda, quarum explicatione intelligi poterit qualem civilium mutationem probemus, eaq; partim civilia sunt, partim etiam naturalia, quemadmodum civilia jura dictum est naturalibus semper servire & se ad placitum eorum componere. *Civilia quomodo sint mutabilia.*

Principio id iterum repetendum nos loqui de merè civilibus seu positivis puris, non de civilibus mixtis, de quibus infra agetur: ut cum nuptiæ dicantur esse juris civilis, & sint juris civilis mixti, quando jura matrimoniorum mutabilia esse dicimus, ea intelligimus quæ sunt purè positiva. Et cum paucæ sint in jure nostro leges purè civiles, raræ etiam sunt quæ totaliter *Purè positiva mutari possunt.*

abrogari possint, plurimæ verò in quibus aliquid sine absurditate posset mutari.

Cum ratione & necessitate. Secundò civilia debent cum ratione mutari, quia ratio est de essentia omnium juris specierum, & majestatis officium finisq; est reipub. saluti rationabiliter consulere. Est autem cum ratione mutare, cum major necessitas urget & suadet legem novam vel abrogationem antiquæ, ita ut rationes quæ pro lege antiqua militant majoribus cedere cogantur. Qui leges civiles sine ulla causa, vel etiam sine sufficienti & necessaria causa mutat, autoritatem juris civilis minuit & civitatem in periculum seditionis adducit, quia vix ulla tam vilis est legis civilis ceremonia; cujus mutatione in populosa civitate non possint aliquot contractus labefactari. Quod vulgò dicitur, cessante causa cessare legem ipsam, huc pertinet, (nam de naturalibus, quarum causa non cessat, accipi nequit) ut majestas tùm mutet legem, cùm alia ratio emergit quæ id flagitat, vel etiam omninò tollat, si eam conservari non sit consultum.

In tempore. Tertiò mutatio instituenda est convenienti tempore, cum bona & commoda se offert occasio, & civium animi in mutationem jam inclinant. Rationis pars est tempus oportunum expectare, ut lex abroganda seipsam negotiis humanis extricet & exsolvat, non vi eripiatur.

Modestè, sine tumultu. Observandum quartò, ut mutetur modestè, non vi, non impetu, ut furiosi Tribuni Romanæ plebis leges armatâ manu per seditiones & tumul-

tumultus ferre ſolebant. Exempla ſunt apud Halic. *lib. 6. & ſequentib.* quomodo Tribuni, ipſi in ſeceſsione plebis conſtituti, rogationes ſuas intempeſtivè in maximo belli metu propoſuerint, & per vim agitarint. Non eſt ea recta ratio ferendi leges civiles, quamvis enim ipſæ quæ rogantur leges, ſint optimæ, tamen modus quo feruntur peſsimo exemplo & violentâ concuſſione civitati plus nocet, quam ei lex poſsit prodeſſe. Accuſanda eſt etiam hac in parte eorum pertinacia, qui nulla in re cedere volunt niſi vi coacti, & putant ſibi ad poſteros id laudi fore, quod ne minimam quidem in rem conſenſerint, niſi vi & ſeditione compulſi. Et tales Romæ erant Appii, qui ne latum unguem ceſsiſſent tempori, niſi ſtrictus capiti immineret enſis. Laudet eam pertinaciam qui defendendam viderit, apud me malè audiet, quia video nimiâ obſtinatione plebem exaſperari, & ſi id bis vel ter fiat, eam ſeditionibus ita adſueſcere ut in poſterum nulli magiſtratui velit obedire. Id T. Romilius magno ſuo damno & periculo expertus erat, quapropter tandem ſenatui ſuaſit ut plebi cederent, ni mallent rempub. prius ſeditionibus perire. *Halic. lib. 10.* In hunc ſcopulum plurimæ civitates impingunt, cum aut magiſtratus aut ſubditi vitia quædam politica emendare tentant, idq́; nec oportunè nec modeſtè faciunt, neque etiam una pars alteri cedere & modeſtiâ ſuâ oportunitatem præſtare vult, ut interim reſpub. graviter affligantur. Et quam-

Digitized by Google

vis tandem (quod tamen raro fit) medicinæ non mala adhibeatur, & leges novæ ferantur bonæ, tamen ipsæ etiam hæc medicina optanda non est, propter pessimam methodum medendi. Sit ergo hoc quartum & essentiale requisitum mutationis legum civilium, ut fiat quàm modestissimè, sine commotione periculosa.

Mutentur honestè. Quintum est ut fiat honestè, sine subsannatione legum antiquarum, & sine irrisione majorum nostrorum. Honestas est de essentia juris & omnium legum, & ab Ulpiano inter summa juris præcepta refertur, *l. 10. D. de Iust. & jure.* & quicquid inhonestè fit, committitur contra jus naturæ. Laudo Platonis sententiam, qui putabat legislatorem non omnia vi imperare sed quædam etiam persuasione impetrare debere *lib. 4. & 9. de legib.* valdè enim commendant & insinuant se leges, si rationem suam populo probent. Et si leges novæ rationem ostendant, cur olim antiquæ observatæ, nunc verò publica utilitas eas mutare suadeat, autoritatem suam majori cum gratia impetrant. Quando verò jam persuasæ & approbatæ sunt proceribus, tum valet eorum opinio qui dicunt leges brevibus, perspicuis & imperiosis verbis esse concipiendas.

Sine scandalo. Pertinet eodem sextum, ut civilia mutentur sine scandalo, quod inprimis cavendum est in legibus ritualibus quemadmodum suprà diximus. Qui scandalum præbet jus naturæ offendit, &

dit, & qui fert leges novas cum ſcandalo, licet leges ipſæ in ſe ſint meliores, tamen antiquis fiunt deteriores propter adhærentem illis qualitatem juri naturæ contrariam. Summum enim requiſitum legis civilis, in quo finis ejus conſiſtit, ibi deſideratur, nempe quod juri naturali debeat ſervire & prodeſſe, non obeſſe. Hîc nonnulli elabi volunt diſtinguendo inter ſcandalum datum & acceptum, quaſi acceptum tantùm & non datum ſit ſcandalum ſi quid agas, de quo tu non dubites, alii verò hebetiores eo offendatur. Non arripienda eſt tam cupidè hæc diſtinctio, nec putandum nos tam facilè poſſe excuſari quàm hanc diſtinctionem licet commemorare. Scandalum datur etiam in rebus civilibus naturâ indifferentibus, & in viliſſimis, quoties importune & ſine ſumma neceſſitate aliquid fit contra amorem. Qui facit aliquid ſuam tantum opinionem & conſcientiam conſiderans, aliorum verò vilipendens, cum illos prius erudire, & tantisper abſtinere poſſet dum factum bona aliorum gratiâ fieri poſſet; qui ſuam ſcientiam pluris facit quam humanitatem ac amorem, ille dat ſcandalum, judice Paulo, *1. Cor. 8. 13. Rom. 14. Gal. 5. 6. Phil. 2. & alibi.* Nam qui humanitatem & amorem non facit maximi, Deum & jus naturæ offendit, nec ullis diſtinctionum argutiis poteſt excuſari.

Requirimus ſeptimò ut mutentur ſine dolo: non debet legislator poteſtate ſua doloſè abuti, ut mutet leges quando alios vult decipere. *Sine dolo malo.*

 Dolo-

Digitized by Google

Dolosè agere eſt etiam inhoneſtè & ſcandaloſè contra jus naturæ agere, quod eſt contra eſſentiam & finem juris civilis. Ejuſmodi artifex erat Tiberius, qui cum Seiani liberos interficere vellet, & filiola ejus omnis periculi ignara in carcerem portaretur, eſſetq; inauditum ac legibus prohibitum puellulam nondum viri potentem capitali ſupplicio afficere, præcepit carnifici ut eam juxta laqueum comprimeret deinde illi fauces elideret. *Tacit. 5. annal.* Sic Caligula legibus non publicatis utebatur, ut delinquentes haberet plures quos multare poſſet. *Suet. in Calig. cap. 41.*

Forma externa civilium ſola eſt mutabilis.

Octavò ſciendum, jura civilia tantum ratione formæ externæ mutabilia eſſe, non etiam ratione finis. Hoc eſt, jura civilia non poſſunt eſſe alia quam quæ juri naturæ & ſaluti reipub. ſerviant, hic finis legum civilium immutabilis eſt, at forma ſeu modus externus, quo eum ad finem contendimus, rationabiliter poteſt mutari.

Civilia non poſſe omnia ſimul mutari.

Tandem majeſtas ſuæ reipub. jus civile in totum & ſimul abolere non poteſt, aliàs enim ipſa quoque civitas tolleretur, & exiſteret dominatus, tyrannis, vel anarchia, quod iterum contra majeſtatis naturam & officium eſt. Nec poteſt ulla in repub. talis exiſtere ratio, quæ ſuadeat omne civile jus ſimul abjicere, verùm ut tempora, rerump. ſtatus & civium mores ſucceſſivè ac ſenſim mutari ſolent, ita quoque cauſæ mutandarum legum civilium ſeſe offerunt & appre-

Digitized by Google

apprehenduntur. Quando verò una civitas ab alia vi belli tollitur & in ſervitutem redigitur, tum quidem omne jus civile devictæ civitatis perit, ſed ipſa civitas interit ſimul, idque vi majeſtatis victricis; ideò diximus majeſtatem *suæ reipub.* jus civile in totum abolere non poſſe. Apparet ex hiſce, cum jus civile mutabile, vel majeſtatem civilibus legibus ſolutam eſſe dicimus, non probari irrationabilem juris diſturbationem, ſed prudentem civilium gubernationem & in melius mutationem, *l. 2. §. poſt originem. 13. D. de orig. jur.* Hæc ergo omnia in memoriam revocare volunt jureconſulti, cum dicunt civilia mutari debere *cum ratione.*

Prudenter verò facit majeſtas, ſi leges civiles raró mutet aut prætereat, cùm ob periculum quod civitati ex legum mutatione imminet, tùm ob autoritatem legum conſervandam. Nam frequentia mutationum turbat contractus, & quas ipſa majeſtas facilè tollit leges, nemo cuſtodire ſtudet. Imitanda eſt hac in parte majeſtas divina: licet enim Deus cauſis ſecundis ſe non alligarit, & igni ne urat, aquæ ne fluat, ſolo nutu imperare poſsit, rariſsimè tamen & non ſine gravi cauſa id facit, ut naturæ quam optimam creavit, conſervet autoritatem, ne diſcant homines Deum in cauſis ſecundis tentare. Ita etiam legiſlator fatalia appellationum & uſucapionum, licet merè civilia ſint, crebrò mutare non debet, nec facilè concedenda eſt reſtitutio in integrum, niſi evidentiſsima utilitas &

Leges non facilè mutandæ.

tas & æquitas possit probari, alioquin jura appellationum & præscriptionũ labefactata collabentur, executiones sententiarum suspendentur, dominia rerum iterùm incerta fient, & querentur cives se juris inconstantiâ circumveniri & legislatoris levitate decipi. At gubernator reipub. prudens id unicè cavebit, ne in suspicionem imprudentiæ, inconstantiæ, levitatis aut doli incurrat, neve civilibus discordiis semina spargat, alioquin actum erit de omni jure. Videndum ab altera parte, ne civilia, quando illa cum ratione mutari possunt, nimis pertinaciter defendamus, & aliis calumniandi occasionem præbeamus. Quantùm mali prætextus mutandorum rituum ecclesiasticorum religioni fecerit, experientia docet, si hæc ansa reformatoribus istis præcisa fuisset, & nos prævia populi instructione sufficienti ipsi ultrò nonnulla adiaphora mutassemus, reliquæ disputationes inter eruditos mansissent, & illis speciosissima argumenta, quibus nunc incautos decipiunt, erepta fuissent. Non tulêre priora tempora mutationem tam repentinam, ideò laudanda est prudentia & modestia eorum qui etiam hebetioris plebeculæ rationem habuerunt; hæc dies alios mores postulare videtur. Sacræ & profanæ historiæ docent, pios & prudentes viros sæpissimè magna mala avertisse, & adversariis calumniandi occasionem subtraxisse, cedendo in iis quæ alii coram populo erant cavillaturi. Sed de ritibus ecclesia-

ſticis deliberent theologi, quorum conſilia hac in parte non ſunt negligenda. Poſſemus hoc loco oſtendere quomodo ſæpè imperiti vel doloſi gubernatores, dum mutationem civilium rituum & modorum præ ſe ferunt, juri naturæ manifeſtam injuriam faciant, quia vel civilia à naturalibus diſtinguere neſciunt, vel ſub civilium prætextu fallere cupiunt: Sed quæ ſit noſtra de illis ſententia, ex prædictis intelligi poteſt, ipſi verò qui id faciunt, quomodo ſe coram latore legum naturalium excuſent, videbunt.



Exemplo pœnarum publicarum oſtenditur, quomodo jus civile rationabiliter & licitè poſsit mutari.

CAP. VIII.

COgimur interdum prolixiores eſſe, propter eos qui quæ in genere dicta ſufficiebant, in ſpecie controverſæ quæſtionis intelligere nolunt vel nequeunt, niſi generalia ad ſpeciem applicentur & inculcentur. Nec eſt minima in applicatione difficultas, cujus ſuperandæ rationem docentis eſt oſtendere.

Agitari nuper cœpit quæſtio an liceat fures capitali pœnâ afficere, cum *Exod. 22. Num. 5. v. 7. Levit. 6. v. 2.* nulla capitalis pœna in fures conſtituatur, ſed tantùm quintupli reſtitutio, quæ proba- *Dubitatur de pœna furti.*

probatur etiam *§.pœna. 5. Instit. de obligat. quæ ex del.nasc.* Dubitationis causam principalem hanc esse reor, quod pœnæ capitales, quia naturalem vitam extinguunt, non videantur ad leges civiles pertinere posse. Nonnulli itaque, ne jura civilia contra naturam armasse arguantur, statim manus dant, & dicunt capitalem furtorum pœnam injustam atque illegitimam esse, servari tamen ex consuetudine & legibus Caroli V. posterioribus. At hoc nihil aliud est, nisi suam impietatem fateri, & Imperii majestatem & leges injustitiæ accusare. Si sciunt pœnam esse injustam, cur pravas consuetudines & leges observant? jus nostrum non jubet impios errores fovere, sed eos detegere & abrogare; *l. quod non. 39. D. de legib.* & ut supra docuimus, leges vel consuetudines contra jus morale introductæ pro legibus non sunt agnoscendæ. Quidam aliis verbis, at eâdem sententiâ respondent, capitalem furtorum pœnam justam esse in foro soli, at non in foro poli: de qua duplicis justitiæ fictione quid sentiamus, inferius dicemus. Est autem hæc quæstio generalis, & ad omnes pœnas spectat, nempe an modus pœnarum sit civilis an verò naturalis? seu, an liceat pœnas jure Mosaico constitutas mutare? vel etiam, an liceat delictum in rem commissum capitali pœnâ plectere? quocunque enim modo quæstionem formemus nihil interest, si modo sciamus utrum modus puniendi delicta sit civilis an non? nam si civilis erit, sequetur illum in potestate

Quæstio de pœnis generaliter proponitur.

testate majestatis esse positum, & ex eo ipso justum esse quod legislatori placuerit. De hac ergo quæstione, quia utilem explicationem sanctionum legalium habet, aliquid in genere dicendum est, ut si quis fortè de aliis pœnis juris Mosaici à nobis mutatis quærere incipiat, illi respondere possimus: postea etiam in specie de pœna furti ostendemus, quid in constituendis aut mutandis pœnarum generibus sit considerandum.

Ab initio, ne quis in quæstione aberret, monendus est lector, non agi hîc de natura pœnarum ipsa, sed tantum de pœnarum modo: non enim quærimus an liceat delicta punire, quodve jus efficiat ut delicta sint mala, juri contraria, reprobanda & punienda? hanc enim mentem & sanctionem omnium jurium esse non ignoramus: sed quo pœnæ modo quodq; delictum punire justum sit? Iuris naturæ est, quod malum & à Deo alienum esse debeat quicquid est contra voluntatem Dei, & quod Deus gratiâ suâ fovere nolit, quæ contra se sunt, quapropter etiam decalogus indicat pœnas contra delinquentes paratas. Eamque juris naturæ sanctionem jus gentium & civile imitantur; pœnis temporalibus in delicta constitutis. Modus puniendi in omnibus juris speciebus duplex est; primò, ut delinquenti auferatur jus illud quo abutitur: deinde, ut adimatur illi potestas ulteriùs delinquendi. Quod fit in jure naturæ priori, cum Deus eos qui contra jus suum delin-

Quid quæratur.

Pœnæ omni jure probantur.

Pœnarum forma.

Ex jure natura.

linquunt, privat commodis juris illius, nempe gratiâ Dei, veritatis cognitione, pace, amore mutuo, libertate & similibus donis, jubetq; eos abire in locum, ubi malis juri suo contrariis cum sui similibus sine aliorum læsione fruantur. Homines verò, eo tantùm jure in totum privare possunt quod ipsi contulerunt, nempe bonorum proprietate, consortio aliorum hominum, & vitâ temporali: nec punit jus gentium alia delicta, nisi cum quis malo exemplo aut facto in res vel personas humanas delinquit. Cogitationis pœnam jus gentium nullam habet, quia sola cogitatio prava est tantùm contra jus naturæ, nec lædit res aut personas nostras nisi cum in actum erumpit. Omnes verò executiones quæ ab hominibus jure, sine civili remedio vel processu fiunt, sunt juris gentium ut superiori libro docuimus. At jus civile privat præterea iis commodis quæ civiliter sunt collata, ut statu, dignitate, jure civitatis & vita civili, & ejicit delinquentes ex civili conversatione ne ampliùs lædere possint. Ex hisce sequitur ut si homo propter sua peccata tantùm excidat gratia Dei & bonorum hominum, & efficiatur perversus, litigiosus, exosus, impudens, inhumanus &c. pœna sit ex jure naturæ priori tantùm: ea est gravissima, quia adimit fruitionem summi boni & detrudit in miserias summi mali. Observare licet nonnullos ab omnibus ferè hominibus accusari & pœna dignos judicari, nec tamen ab ullo judice posse

Ex jure gentium.

Ex jure civili.

Executionis forma.

Digitized by Google

posse damnari, sed in judiciis semper superiores esse: hi sunt illi qui jus externum & civile tantùm observant, ne ab aliquo convinci & à judice puniri posſint, & tamen interim occultè violant jus naturæ ejusq; in pœnas omnium bonorum judicio incidunt. Omnes qui jure civili magis utuntur quam naturali, quive civili jure libentèr utuntur, & non interdum propter amorem juris naturæ de civili cedunt, licet nullâ civili lege accusari posſint, tamen exosi fiunt. Et hi sunt illi, quos dicimus contra jus naturæ tantùm peccare, & ab eo solo puniri, seu potiùs ab ejus fructibus excludi. Si cui eripitur bonorum proprietas, jus defendendi & vita temporalis, idq; sine civili auxilio, pœna ex solo jure gentium est. Et fieri potest ut delinquens cum jure naturæ jam in gratiam redierit, & tamen jus gentium suas pœnas exequatur, quia sibi nondum est satisfactum. Quando verò adimitur dignitas status aut civilis æstimatio tantùm & conversatio cum civibus, idq; civili cognitione & executione, tum pœna est purè civilis. In omnibus hâce pœnis interdum ob pœnitentiam, deprecationem & spem vitæ melioris datur restitutio in integrum, at quandiu non cessatur malè agere, non potest justa pœna cessare: qui enim non desinunt contra jus agere, non posſunt cum eo in gratiam redire. Miscentur interdum delicta, ut non tantùm contra jus naturæ (contra quod omnia sunt quæ malè fieri posſunt) committantur, sed etiam contra

Pœnæ lo-ratio.

Peccata mixta.

Digitized by Google

jus gentium, sæpè etiam contra jus civile: miscentur ergo etiam pœnæ, & omnia jura consurgunt in vindictam, ut priùs abjudicet vitam æternam & gratiam Dei; secundùm vitam temporalem & gratiam hominum, tertiùm vitam civilem & gratiam civilis societatis, ut ita pœnæ ut plurimum sint juris civilis mixti. Exempli causa, latrones, fures & adulteri contra omnia jura peccant, eos Deus æternâ, & jus gentium temporali morte damnat, civile jus aufert illis civilem vitam, quia efficit illos infames & societate honestorum civium indignos. Redeunt illi interdum in gratiam cum Deo, & tamen jure gentium nihilo minus puniuntur: interdum etiam cum jure gentium reconciliantur, cum ablata bona restituunt, & illi fidem faciunt vitæ melioris: & tamen à jure civili nullam remissionem obtinere possunt, nisi illi persuadeant suum exemplum nemini civium fraudi & scandalo futurum. Apparet ex hisce, omnia delicta esse contra jus morale divinum, quædam directò, quædam consequenter: ideoq; peccata omnia sua naturâ, non modò capitalia, sed æterno etiam supplicio digna esse. Idq; satis luculenter docet Christus *Mat.5. v.22.* ex quo loco tota hæc controversia illustratur ac dirimitur. Atque id voluit Draco, qui omnia delicta, etiam si quis otii convictus aut surrepti pomi damnatus esset, capitaliter punivit, dicens se minima peccata morte digna judicare, ad majora verò non habere pœnas seve-

Pœna mixta.

Naturâ omnia delicta capitalia.

Digitized by Google

ſeveriores. *Plut. in Solone.* Verùm perpendere debuerat Draco, homines omnium peccatorum vindices à Deo conſtitutos non eſſe, ſed eorum tantùm quorum remotionem neceſsitas requirit ad ſocietatem humanam & civilem conſervandam. Deus magiſtratum ideò non inſtituit ut omnes delinquentes arguat & occidat, ſed tantùm ut externam diſciplinam conſervet, quapropter oportet magiſtratum iis in pœnis, quæ ad politicam diſciplinam tuendam ſufficiunt, acquieſcere, & ſi ſublato digito cives regere poſſet, non liceret illi ad verbera procedere, quia finem ſuum eſſet aſſecutus, in quo ſubſiſtendum. Si finem ſuum pœnis mitioribus non poſsit adipiſci, ad officium majeſtatis pertinet pœnas augere & exaſperare, etiam uſque ad mortem : & ſi nec ſola mors ſufficiat, ad mortis genus tam acerbum & ignominioſum, quod tandem peccaturos abſterrere poſsit. Hæc verò conſideratio, quænam pœna ad politicam tranquillitatem ſufficiat, pertinet ad eum qui de civili converſatione leges fert, quia eſt pars legis quâ contra contumaces armatur. Examinat ergo majeſtas naturam cujusq; peccati, & civilibus puris pœnam merè civilem, mixtis mixtam imponit. Commiſſum merè civile eſt, ſi quis ignorantiâ lapſus legem purè civilem non obſervet, cui ſtatuitur pœna, ut jure quo non uſus eſt non fruatur : ut ſi quis intra decem dies non provocet, jus appellandi amittit ; ſi quis matrimonium contrahat non

Nec tamen omnia à nobis capitaliter punienda.

De genere pœnæ ſtatuit majeſtas.

De civilibus civiliter, de mixtis mixtè.

Digitized by Google

ſecundùm jus civile, perdit civilia matrimonii jura; ſi quis teſtetur non obſervatis civilibus legibus, habet quidem teſtamentum, ſed civiliter nullum, & ſic in aliis purè civilibus. Hanc pœnam jus civile remittere poteſt, ſi vult: volet autem, ſi id civili ſocietati non erit mali exempli. Placato jure civili tota lis erit ſopita, quia jus gentium & naturale nullam exigit pœnam niſi ſit læſum, alienæ verò juriſdictioni ſe non immiſcet. At ſi dolus concurrat, jam delictum non ampliùs purè civile eſt, ſed mixtum, ideò duplici jure punitur, civiliter propter inobedientiam, & naturaliter propter dolum. Cum autem malitia ſuos habeat gradus, & non omnis injuria æquè mordeat offenſum, expendit majeſtas quantum pœnæ ſatis ſit ad vindicandam injuriam privato & reipub. factam. Vitanda eſt nimia lenitas, ne delicta frequententur, magiſtratus & leges ſpernantur, privati ipſi ad vindictam proſiliant, & quærantur magiſtratui ſuas injurias cordi non eſſe ſibiq; juſtitiam denegari, quæ cauſæ plurimas ſeditiones & periculoſiſsimas rerump. mutationes peperêre. Cavenda eſt etiam nimia aſperitas, ne plebs conqueratur magiſtratum in ſanguinem civium graſſari & miſerorum morte delectari: nam vulgus mobile eſt & præceps in iram, at quando illa deferbuit, & reus jam ad ſupplicium rapitur, ad commiſerationem. Quapropter magna adhibenda eſt cautio, ut eæ ſeligantur pœnæ, quæ communi plurium

Pœnarum certi gradus unde conſtituantur.

civi-

Digitized by Google

civium calculo æquæ & delicto pares æstimentur. Possemus interdum mitiùs punire, interdum pœnas exasperare, nisi id periculosum & mali exempli esset, sed ratio publici boni semper prævalet privatæ. Quanti referat in pœnis publicis ad mores & judicia privatorum civium respicere, & quam facilè si pœnam plurium opinione improbatam infligamus plebs insanire occipiat, docent quotidiana exempla. Sæpè reus omnium hominum consensu pœnâ dignus judicatur, & tamen in concursu populi, si manus carnificis paululùm aberret, ingens tumultus excitatur, & furibunda plebs in eum irruit tanquam singulis acerbissima facta fuisset injuria: quid non metuendum foret si uteremur pœnis improbatis, inprimis si quis amicis potens esset plectendus? Quapropter nemo miretur quod leges Mosaicas pœnales non observamus, quia nostris moribus & temporibus non conveniunt. Quædam habentur nimis lenes, quædam nimis acerbæ, aliæ propter modum executionis essent periculosæ, meritò ergo mutatæ sunt & constitutæ aliæ nostris rerumpub. formis & moribus congruæ. Proferam pauca exempla pœnarum publicarum nostris moribus non convenientium: *Exod. 35. v. 2.* Qui opus fecerit in Sabbatho, morietur: modus puniendi postea adjectus est, *Num. 15. v. 34.* nempe quod à toto populo lapidibus debeat obrui. *Deut. 21. v. 20.* filius prodigus si accusetur à parentibus, conjectis lapidibus occidatur. *Exod. 21.*

Pœnis Mosaici juris cur non utamur.

 v. 24.

v. 24. talionis pœna probatur, ut auferatur oculus pro oculo, dens pro dente, manus pro manu. *Deu. 25. v. 3.* quadragenæ plagæ conceduntur infligendæ, non plures. *Levit. 21. v. 9.* filia sacerdotis, si fornicata fuerit, jubetur comburi. *Exod. 22. v. v. 16.* stuprum pecuniariâ pœnâ punitur. *Deut. 22. v. 21.* jubetur compressa, quæ pro virgine nupsit, occidi. *Num. 5. v. 12.* mulieri ob adulterium suspectæ poculum maledictionis porrigitur. *Deut. 25. v. 5. & seqq.* præcipitur Israelitis ut defunctorum fratrum viduas ducant, sub pœna infamiæ. *Deut. 24. v. 1.* libelli divortiorum conceduntur. Hæc & talia multa sunt quæ nostris moribus non conveniunt, & in quibus pœnas exasperavimus vel mitigavimus ob publicum bonum. Sunt etiam delicta quædam in jure Mosaico quibus nulla pœna certa est constituta, ut si quis iniqua habeat pondera, *Levit. 19. v. 35.* moveat terminos *Deut. 19. v. 14. & 27. v. 17.* corrumpat judicem, *Exod. 23. v. 3. Levit. 19. v. 15. Deut. 16. v. 19.* De contractibus *Exod. 21. & 22.* agitur, at pœna transgressorum certa non exprimitur. Iam de monetæ adulteratoribus, de iis qui eunuchos faciunt, item de pœna læsæ majestatis, nihil est apud Mosen. Scriptum est quidem principi populi non esse maledicendum, at quâ pœna afficiendus sit qui contra majestatem reip. aliquid egerit, à Mose non declaratur. Videant ergo quid sibi velint, qui nobis juris Mosaici pœnas in usum revocare student. Grave est leges cavillari, majestatem

Leges civi.

tem imprudentiæ vel injustitiæ accusare, & delictis patrocinari: popularem verò auram captare, novam suam venditare sapientiam, hominibus novitatis & nimiæ licentiæ cupidis legum ac magistratus odium instillare exiguæ laudis est. Sed probandum priùs erat, electionem pœnæ in delictis purè civilibus aut mixtis non esse majestatis, nec licere majestati nostræ civitatis à legibus civilibus Mosaicis recedere & se suo tempori accommodare, & potestatem gladii nostro magistratui à Deo datam non esse, ut à pœnis mitioribus, si eæ non sufficiant, ad majores audeat procedere. Id quidem non injuriâ postulamus, ut pœnas receptas injustas & reipub. noxias esse probet, qui reprobat, offeratque nobis remedia meliora. Meminerint & præstent hæc juris obtrectatores, vel discant circumspectiùs de rebus judicare. Non hîc de pœna furum tantum agitur, sed periculosissima omnium sanctionum civilium mutatio tentatur, cum accusatione & despectu nostrorum legislatorum. Quemadmodum majestati concessum est leges civiles ipsas rationabiliter pro salute civitatis & defensione juris naturæ cùm humanas tùm severas & acres ferre, sic etiam legislator potest sanctionem legis, quæ pars ejus est, ita concipere prout ratio & experientia id monstrant esse necessarium. Salus populi suprema lex est: nihil est iniquum quod reipub. est salutare. Majestas sibi ipsi nihil mali eligit; ea in legibus sanciendis utitur consilio & *les recentiores non cavillandæ.*

mente totius civitatis, *l. 1. D. de legib.* non ergo credendum est pœnas Mosaicas sine ratione mutatas, exasperatas, vel mitigatas esse. Et si Deus piis hominibus potestatem dedit ut hominem impium æterno supplicio devoverent, *Matth. 18.* quidni liceat pio magistratui hominem contumacem, perjurum legum contemptorem, ob salutem reipub, è medio tollere? Si morte dignus est filius prodigus & inobediens, *Exod. 21. v. 17. Levit. 20. v. 9. Deut. 21. vers. 20.* quidni morte dignus judicari possit, qui patri publico & legibus ad salutem totius reip. latis parere recusat? Calvinus ipse negare non potuit modos pœnarum esse civiles, *Instit. lib. 4. cap. 20. n. 16.* cujus tamen discipuli nobis hanc controversiam movere audent.

De pœna furti.

Ad furtum in specie quod attinet, dico delictum non esse purè civile, sed mixtum, ergo sola civilis pœna, ut fur tantum infamis fiat & civiliter capite minuatur, non sufficit, satisfaciendum est etiam juri naturali & gentium quæ furtis æquè & multo magis læduntur quam civile. Si ergo ad jus naturæ respiciamus, furtum etiam æternâ morte dignum erit, ut minimè contra naturam sit fures morte puniri. Si jus gentium consideraverimus, apparebit jure gentium iniquum non esse, ut hominum societate eximatur qui eâ malitiosè abutitur. Unde sequitur pœnam furum capitalem per se nec impiam nec absurdam esse, hoc tantum quæri, an ea civiliter sit necessaria, seu an eam magistratus

Digitized by Google

tus infligere debeat? Nam si magistratus furta aliâ civili & mitiori pœnâ æquè benè prohibere, & civilem disciplinam sine capitali supplicio conservare potest, potestate sua tantò acerbius abutitur, quantò humaniori remedio finem suum assequi poterat. Quænam ergò mitior & reip. nostræ melior pœna in fures constitui potest? Vendi oportuit, inquis, & in servitutem addici, ut læso ex precio & operis satisfiat: Probè, si modò emptores adessent, qui probarent se non ex collusione redimere fures, & nobis cautionem de non vindicando pro furibus præstarent: & si uxores, liberi & cognati furum nunquam considerandi essent. Quæro præterea, an jura dominatus in nostras respub. reduci sit consultum? nam major quædam potestas in emptos fures dominis danda esset, quam hodiè patresfam. habent in ministros, alioquin nemo hominem palam improbum emeret. Imperium domini acerbum invitaret eos ad vindictam, lene verò ad pœnæ contemptum. Brevi tempore opulentæ civitates plenæ essent furibus & hostibus. Nec poterat melius agi cum ociosis nebulonibus, quam si propter delicta (quæ haud dubiè contra illum perpetrarent cujus in domo ali vellent) accusatoribus addicerentur, & ita in divitum domos ac culinas pœnæ causa reciperentur. Apud Terent. Phormio conqueritur, se cum tot injuriis attrocissimis cives afficiat, tamen à nemine in jus vocari aut damnatum domum du-

Digitized by Google

ci, quia, inquit, *alere nolunt hominem edacem, & sapiunt mea sententia, pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere.* Possent in lapidicinas vel ergastula publica detrudi si ea ubique essent, & respub. operâ furum egeret. Nam in nostris rebuspub. quisque suâ ad negotia operarios probos vili precio conducere potest, ut non videam quis paterfam. malit suæ domi furem perpetuò alere quam ministrum probum ad tempus conducere? Nam quod quis putet servos minori sumptu ali posse quam ministros conductos, nihil est; nostri operarii hodiè vix panem lucrantur, ut servi minori sumptu ali non possint; & si posint, quæro an ea furti pœna esset mitior & reipub. utilior pœnâ mortis? quis nō præeligat mori quam ita excarnificari? Non tamen omninò inusitata est hæc pœna in nostris rebuspub. nam interdum magistratus delinquentes in ergastula detrudit, & sæpè in nostris judiciis furti civiliter agitur ut res furtivæ tantum vindicentur, aut reus actoris debitor esse declaretur, Raro furti criminaliter agitur: qui dolosis contractibus alios decipiunt ut plurimum civilibus actionibus conveniuntur, *l. falsus 43. §. si quis nihil. D. de furt.* Qui autem furti criminaliter accusantur, non solent statim interfici, sed cum constat illos aliquoties admonitos & correctos non destitisse, aut delicta nimium frequentasse. Quod autem illi ex legibus Imperii Rom. gladio non feriantur, causa est quod semper genus pœnæ quod honestissimum

mum

mum putatur reservandum est, ut si quos honestiori morte perire velimus, respectum personæ & mitigationem sententiæ habere possimus. Videt lector, quam multa in mutatione unius particulæ legis sint consideranda: ne simus ergo tam prompti ad leges corrigendas, sed credamus hæc & alia plurima à viris prudentibus prævisa & ponderata esse. Non Iustiniani tantum & antecessorum ejus, sed & Caroli V. Imp. leges sunt leges, quas majestas Imperii in comitiis probavit & jussit: non decet nos tam arrogantes esse, ut Imperatores nostros semper ad corpus juris revocemus, scimus enim majestatis potestatem in civilibus semper liberam esse, & posteriores leges prioribus prævalere. Præterea furti pœna capitalis jure civili Israelitico omnino ignota non est, nam *Exod. 22. v. 2.* conceditur furem nocturnum in ipso delicto deprehensum occidere, David *2. Sam. 12.* diviti propter ovem ereptam (sic enim opinabatur factum) pœnam mortis & quadrupli minitatur. *Exod. 21. v. 16.* plagiarii, morte puniuntur, quod delictum furti similitudinem habet, *Ios. 7. v. 10.* punitur totus populus propter unius hominis furtum. *Act. 5.* Ananias furtum & mendacium suum morte luit. *2. Reg. 5.* Gehasi furtivus animus perpetuâ leprâ punitur: & jure Mosaico non modò fur, *Exod. 22. v. 4.* sed & alius debitor qui solvendo non erat *Levit. 25. Matth. 18. v. 25.* cum uxore & liberis vendi poterat, quam pœnam multis ipsa morte graviorē fuisse

fuisse opinor: Salomonis tempore furta septuplo punita fuisse *Prov.6.v.30.* apparet, ut ita mutatio & exasperatio pœnæ in furto jure divino non sit inusitata. At dices fortè, Deo plus licere quam homini, ergo Deum justè posse occidere vel damnare fures, homines non posse: respondeo Deum tantò minus agere contra justitiam suam & jus naturæ, quantò homine est justior. Quapropter rectè argumentamur, si Deus qui summè justus, sapiens & misericors est, potest delicta contra jus naturæ commissa morte punire, idem sinè injustitia poterit imitari homo à Deo legis custos constitutus, si legem divinam aliâ meliori ratione nequeat tueri. Sed de his satis: ostendere voluimus quænam omnium juris specierum essent sanctiones & quomodo eæ miscerentur, ac justè executioni mandarentur. De aliis lector facilè judicabit, si modò civilia pura & mixta probè distinguet, nam mixta socordi judici facilè imponunt.



Cur legibus Mosaicis civilibus non utamur.

CAP. IX.

IMperator noster pœnam falsi minitatur omnibus, qui aliis civilibus legibus quam Romanis utuntur. *§. 3. constit. de Iustin. Cod. confirm.*

§. hac

§.hæc igitur.19.constit. de confirm. Dig.l.25. l.ult. D.de fals. Sed videamus anne in Deum peccemus, si jura civilia Mosaica nobis ita è manibus extorqueri patiamur. Fecimus autem duplices leges civiles, rituales & forenses, de utrisque an abrogari potuerint vel debuerint breviter agemus, quia enim nobis theologi in hac quæstione facem præferunt, & plurima ex predictis jam manifesta sunt, poterimus nos paucis expedire.

Leges typicæ Mosaicæ sunt finita.

Quod itaque ad leges veteris testamenti typicas attinet, eas inter civiles nō numeravimus, & tamen in nostris rebuspub. docentibus ita & præmonstrantibus theologis, rectè omittuntur ac prohibentur. Nam Iudæorum sacrificia, Pascha, summi sacerdotes, propitiatorium, circumcisio & quæ hisce adhærebant, erant typicæ figuræ quibus de futuro Messia, ex semine Abrahæ promisso, & summo pontifice nostro IESU CHRISTO, qui pro nobis coram patre suo cœlesti intercedere & certo tempore ac modo in ceremoniis præfigurato ut agnus immolari deberet, docerentur: at figuras futuri Messiæ in novo testamento retinere, nihil aliud est nisi Christum abnegare. Ideò apostolus *Gal. 5.* inquit, *amisistis Christum si circumcidamini*, & sacramenta ceremoniasq; veteris testamenti intrepidè abrogat, quia ita constitutæ erant ut essent umbræ futuræ redemptionis in Christo faciendæ, quibus testarentur utentes non posse se suâ justitiâ nativâ coram Deo subsistere, suisve operibus aut sanguine expiari, sed opus esse alio ponti-

pontifice à Deo initiato & uncto, qui pro omnibus in sanctum sanctorum semel intraret & chirographum mortis sanguine suo deleret. Hæ umbræ futuræ redemptionis, quia in Christo adimpletæ, *Coloss. 2. v. 17.* & deletæ sunt, *ibid. v. 14.* rectè à nobis non observantur. Imperator Iustinianus impia ethnicorum sacrificia abjecit, & de religione Christiana titulos quosdam *in lib. 1. Cod.* reposuit, & quamvis non ignarus esset sacrificiorum veteris testamenti, nihil tamen de legibus typicis observandum præcepit, quia illæ ad essentiam juris nostri nihil faciunt, & ab utraque tabula hodiè sunt alienæ.

Leges rituales cur mutatæ.

Eadem ferè est ritualium ratio; nam in veteri testamento ratio & usus efflagitabant tales ritus qui sacris typicis convenirent, nunc oportet nos alios ritus ecclesiasticos habere, doctrinæ evangelicæ & nostris moribus congruos. Non tamen propriâ autoritate mutavimus ritus ecclesiasticos veteris testamenti, sed docentibus & initium facientibus Christo & apostolis, quapropter tantò magis possumus excusari.

Leges forenses cur mutatæ.

Forenses verò leges Mosaicæ magnâ quidem ex parte, attamen non penitùs sunt sublatæ, nam civilia jura Romana cum Mosaicis in multis consentiunt, quod facilè probari posset si esset controversum. Sed ostendimus supra leges civiles usuarias & temporales esse, & à majestate semper ex bono publico gubernari; si itaque leges Romanas nostris temporibus & rebus-

rebuspub. aptiores esse deprehendamus, contra officium suum fecerit majestas, si neglectis melioribus amplecteretur difficiliores. Usus & necessitas, ut supra diximus, pepercre leges civiles, his cessantibus aut mutatis, etiam civilia jura cessare vel mutari oportet. Nulla hîc Deo aut Mosi fit injuria, quia leges civiles eo fine latæ non sunt à Mose, ut cum publico damno æternæ essent. Habemus præterea doctrinam & exempla Christi & apostolorum, qui se eo juri quo nunc utimur libenter subjecerunt, & nos nullam causam habemus, cur id spernamus. Quod enim dicitur jus Romanum ab ethnicis inventum esse, in omnibus verum non est: naturalia nobis innata, non à Romanis tradita sunt: civilia magna ex parte consonant cum forensibus Mosaicis; at ceremonialia gentilium rejecimus, ut ita nihil videam in jure nostro, quod ecclesiam offendere possit. Non omnia gentilium inventa mala sunt, nam quæ rationis & ex ratione sunt, Deus etiam gentibus non denegavit. Reliqua de abrogatione legum Mosaicarum à theologis peti possunt.



An violatio legum civilium lædat conscientiam?

CAP. X.

VT eò major sit autoritas legum civilium hanc etiam quæstionem breviter excutere placuit.

placuit. Loquimur autem de puris civilibus, nam legum naturalium violatio, cum à Deo constitutæ sint, haud dubiè à Deo improbatur, positiva humanam habent originem & rationem indifferentem, de his quæritur an hominis conscientiam obligare possint? Distinguendum opinor inter errorem & dolum: Sunt enim leges civiles suâ naturâ tales ut ignorari possint: ergo non tantùm peregrinis, advenis, incolis, novitiis, mulieribus, rusticis & minoribus, sed etiam eruditioribus & genuinis civibus interdum ignoscendum est, si in purè civilibus hallucinarint. Ignoratio purè civilium sapit quandam ignorationem facti, quia civilia ex jussu & facto legislatoris essentiam accipiunt. At ignorantia affectata, contumacia & dolus, quin conscientiam lædant nullum est dubium. Quapropter cum leges civiles ex proposito violantur delictum non est simplex, & læditur conscientia circa legem civilem propter malevolum animi propositum, quod est contra jus naturæ. Feruntur leges civiles communi totius civitatis consilio ad naturalium defensionem & reip. salutem, & qui illas doloso animo violat, rempub. offendit & salutem concivium suorum vili æstimat. Obstringimur etiam reipub. nostræ juramento, & quamvis fortè speciale juramentum non præstitissemus, ipso tamen jure magistratui obedire & publicum bonum privato anteferre jubemur. Ut omnis dolus contra veritatem & jus naturæ est, sic

Delictum purè civile conscientiam non obligat.

Delicta mixta obligant conscientiam.

ſic omnis ſpontanea contumacia peccat naturaliter, & ita per accidens fieri poteſt ut etiam civilium violatio conſcientiam lædat. Chemnit. *in loco de lege cap. 4.* hanc quæſtionem breviter decidit, *Humanæ leges*, inquit, *vel ſunt ordinationes politicæ, à magiſtratu qui poteſtatem habet condendæ legis probabili ratione inſtitutæ ad finem politicum: illis Petrus 1. cap. 2. v. 13. dicit obediendum eſſe* propter dominum, *Paulus Rom. 13. v. 5.* propter conſcientiam: *vel traditiones inſtitutæ ab hominibus, ut ſint cultus Dei: Chriſtus vocat præcepta hominum Matth. 15. v. 9. & addit, fruſtra colunt me* [illegible] *Paulus inquit Coloſſ. 2. v. 15. nemo vos judicet.* H[illegible]e. vide Vaſq. *lib. 1. cont. cap. 7.* D. Thom. *in 1. Sec. qu. 96. art. 4.* Sic etiam ipſos legum latores, ſi per civilium frequentem mutationem reip. damnum machinentur, contra conſcientiam agere ſtatuimus, quia omnis qui inſidioſè agit peccat contra jus naturæ. Atq; ex hiſce t[illegible]ia concludere licet, 1. leges civiles non ſpernendas, ſed obſervandas eſſe propter conſcientiam. 2. legum civilium contemptores à magiſtratu, ſi leniora remedia non ſufficiant, etiam capitaliter puniri poſſe, cùm quia contumacia eſt contra jus naturæ, tùm quia ſalutem totius civitatis unius refractarii civis ſanguine emere licet. 3. Totum jus noſtrum eſſe conſcientiæ, & malè à quibuſdam certos conſcientiæ caſus ſeligi. Inprimis verò hic apparet, quid judicandum ſit de vulgari illo axiomate quod plurimis tanquam tritum proverbium in ore eſt, *in caſibus conſcientiæ ſequendum eſſe* *De caſibus conſcientiæ.*

 jus

Digitized by Google

jus canonicum, non civile. Canonicum jus necessariò eadem habet jura naturalia quæ sunt in jure Imperatorio: civilia verò quæ naturalibus adduntur suâ naturâ indifferentia sunt, & conscientias non obligant, nisi eo ipso tantùm quod postquam constituta sunt cogimur obedire nostro magistratui. Si nostra positiva jura contra naturalia sunt, non sunt jura, & in totum abjicienda erunt: si verò jura positiva Imperatoria contra jus naturæ non sunt, contra conscientiam faciunt & falsum committunt qui magistratui suo debitam obedientiam subtrahunt, autoritatem majestatis minuunt, & alienis legibus utuntur. Aut legibus civilibus nostrorum magistratuum uti, aut pugnam quandam in iis cum jure naturæ ostendere oportebit, si inobedientiæ & falsi suspicionem evitare volumus. Est verò id quoq; erroneum certos quosdam casus conscientiæ seligere, ut causas matrimoniales, juramentorum, usucapionum & usurarum, reliqua verò jura, quasi nihil ad conscientiam attinerent, præterire. Quæro enim an furta (quò pertinet tota contractuum materia) rapinæ, homicidia, inobedientia contra parentes & magistratus, (quò pertinent omnia personarum & jurisdictionum jura) dolosæ circumventiones in judiciis, & si quid est præterea in quo contra jus delinqui potest, non sint casus conscientiæ? parum abest quin Imperatores nostros nec rationem nec conscientiam habuisse dicant, & jus civile totum abjiciant.

Mihi

Digitized by Google

Mihi videntur jura nostra Imperatoria multò propius accedere ad jura Mosaica & sacras literas, multò etiam meliores rationes politicas habere quam Canonica, quapropter in casibus conscientiæ, hoc est, in omni justitiæ administratione facilius abjecerim Canonicum jus quam civile.



De jure civili mixto seu composito.

CAP. XI.

Sufficiant prædicta de speciebus juris simplicibus, nunc de mixto jure paucula adjiciemus. Mixta jura sunt quæ ex duabus aut tribus speciebus juris simplicibus sunt composita. Jus naturale & gentium sæpè miscentur: sæpè etiam jus gentium & positivum in modis defensionum: at multò frequentius naturalia, gentium & civilia jura simul in unam legem confluunt, adeò ut vix in toto juris corpore inveneris legem ex pluribus juris speciebus simplicibus non compositam. Naturales leges per se subsistere possunt; jura gentium eo ipso quod naturalibus accedunt, se commiscent: utrisque, tàm naturalibus quàm juris gentium præceptis admiscentur civiles observationum, defensionum, solennitatum vel executionum modi, cum in civitate publicè proponuntur: civilium verò ea natura est ut sine naturalibus,

Jus compositum seu mixtum quod.

Quomodo leges misceantur.

tanquam accidens sine substantia subsistere non possint. Sunt quædam leges primâ fronte purè civiles, ut de officio consulis, quæstoris, præfecti, &c. sed eæ tamen nihilo minus in recessu habent rationem naturalem, nempe appetitum boni & salutis conservandæ desiderium quod est naturale, ut ita etiam in hisce legibus tantùm modus externæ ordinationis sit purè positivus. Exemplum juris civilis mixti proponit Imp. *instit. de nupt. in princ.* cum inquit, *hoc fieri debere,* (nempe ut liberi consensu parentum, in quorum potestate sunt, nuptias contrahant) *& civilis & naturalis ratio suadet*: Reverentia parentum est naturalis, coactio est juris gentium, at potestatis eorum publicus effectus, nempe ut sine illorum consensu contractæ nuptiæ non sint justæ, est civilis. Eodem modo *in l. scientiam. 45. §. 4. D. ad l. Aquil.* dicitur *vim atque injuriam propulsare omnes leges omniaq; jura permittunt*, cum tamen jus naturæ priùs vim & injuriam ignoret, & jus civile publicis defensionum remediis utatur, non privatis: sed defensio est juris mixti, & sensus horum verborum est, quod ex mente omnium juris specierum justum sit vitam suam amare, defendere, injustitiam prohibere & depellere, licet quæq; juris species suo utatur peculiari executionis modo. Ita dicimus parentes colere, uxorem ducere, veritatem loqui, omnes leges omniaque jura permittunt, nam quod jure naturæ justum est, etiam à jure gentium & civili probatur. Rectè etiam

etiam dicitur, leges civiles rogare & abrogare, privatum habere carcerem, magiſtratus creare & exautorare, judicia publica exercere, homini privato nulla lex nec ulla juris ſpecies concedit. Atque hæc nos monent non eſſe ſibi contradictoriè invicem opponendas juris ſpecies, quia ſe mutuò confirmant, non deſtruunt: ut ſi fortè in lege poſitiva occurrat ratio, quam jura naturalia non probent ſed ſimpliciter reſpuant, certiſsimum ſignum eſt legem civilem eſſe falſam aut aliam habere rationem quâ fulciatur. Recedunt quidem à ſe juris ſpecies, ſed non recedunt in totum *l. 6. D. de Iuſt. & jure*, ſemper uno in genere & ſummo fine conveniunt.

Iura compoſita cur vocentur civilia.

Quod autem jura compoſita potius civilia appellamus quam naturalia, cauſa hæc eſt, quia cum naturalia ſine civilibus eſſe poſsint, civilia verò ſine naturali rationis fundamento ſubſiſtere nequeant, appellatio civilium ſemper involvit & præſupponit jus naturale, cui civiliter aliquid ſit adjectum. Matrimonia ſunt juris mixti, & naturalia in iis prævalent, dicimus tamen ea eſſe juris civilis, quia etiam naturalia & gentium jura ſunt in civitate noſtra, & civilium appellatio complectitur omnes ſpecies juris, quod appellatio juris naturalis non facit. Ita jus noſtrum vocamus civile, quia mixtum eſt & conſtat ex præceptis naturalibus, gentium ac poſitivis. Cum verò dicimus Adamum in ſtatu innocentiæ uſum eſſe jure naturali, id volumus eum tum temporis nulla gentium aut ci-

Digitized by Google

vilia jura usurpasse. Communiter, quotiescunque aliquid juris civilis esse dicimus, jus mixtum seu compositum significamus.



An detur jus quod nec sit naturale, nec gentium, nec civile, nec ex hisce compositum?

CAP. XII.

SI juris summas species, quæ sunt vel esse possunt, consideraverimus omnes, deprehendemus jura vel esse simplicia vel mixta: & simplicia talia, ut de iis antequam à magistratu promulgentur referat qualia habeantur, vel ut non referat. De quibus naturâ refert qualia sint, ea naturalia vocavimus & duplicia esse ostendimus: de quibus vero naturâ non refert qualia sint, ea positiva esse docuimus: quæ ex utrisq; constant, ea composita esse modò probavimus. Non video quomodo alia juris species simplex vel ex hisce non composita nasci possit: consuetudines enim, statuta, plebiscita & privilegia, species juris civilis mixti sunt, quæ ad summam juris divisionem non faciunt. Et tamen Franc. Connanus *lib.5.comment.jur. civ.cap. 1.* putat dari jus aliquod, quod nec sit naturale, nec gentium, nec civile: ut si quis pactum publicum cum hoste faciat, id, dicit, non est juris natura-

turalis, quia id jus bella & contractus non agnoscit: nec juris gentium, quia si non fiat secundum leges civiles, non observatur, ut populus Rom. sponsionem consulis Posthumii, quam in furculis Caudinis cum Samnitibus fecit, ideò improbavit quod non esset legitima *Liv. lib. 9.* nec est juris civilis, quia obligat hostem qui civilia nostrarum legum vincula non agnoscit. Verùm fallitur Connanus, quia talia pacta fundantur in jure naturali, cujus est fidem servare, & formaliter sunt juris gentium, cujus sunt bella & contractus, ideò etiam apud omnes gentes servantur. Posthumii verò sponsio à Romanis reprobata fuit, quia potestas alios obligandi, quæ vel ex jure civili vel ex jure gentium est, utraque deerat. Romani consules majestatem non habebant, sed erant tantum magistratus, non habuit itaque Posthumius civilem potestatem obligandi majestatem populi Romani. Est etiam contra jus gentium, ut liber homo invitus obligetur ab alio, qui nec mandatum obligandi habet nec superiorem potestatem. Putat Connanus opinionem suam confirmari posse *l. 5. D. de pact.* ubi pacta privata constituuntur duplicia, juris gentium & legitima: publica verò ab his ideò distingui putat, quia nec juris gentium sint, nec legitima seu civilia. Respondet illi Alb. Bologn. d.l.5. ejusdem Ulpiani esse, cujus sit l.1. & 6. *D. de Just. & jure*, nec verisimile esse eum plures juris species *in d.l.5.* tradere voluisse quam *in d.l.1. & 6.*

Pacta publica cujus juris sint.

posuerat: esse autem publica pacta origine juris gentium, at virtute juris civilis. Nos dicimus talia pacta esse juris mixti, nam fidem servari est juris naturæ, pacisci & contrahere est juris gentium, at nomine totius reipub. pactū fieri ab illo qui absolutam potestatem paciscendi habet, id est juris civilis. Obligant ergò pacta, quæ facta sunt nomine reipub. à persona mandatum vel potestatem à civitate habente, civitàtem mandantem ex jure naturæ, ob consensum vel mandatum datum: ex jure gentium ob modum obligandi, qui fit per pactum: & ex jure civili, quia civitas se arbitrio paciscentis submisit: adversam verò partem obligant tantùm ex jure naturæ ad fidem servandam, & ex jure gentium quod habet pactorum vincula omnibus hominibus communia. Sic cum Tullus Rex Romanorum cum Metio Suffetio paciscitur, tres utrinq; ad pugnam seligendos, & rempub. vincentium pro victrice habendam, *Liv. lib. 1. Halic. lib. 3.* quisque habet potestatem obligandi suos cives naturalem ob consensum, juris gentium ob pactorum communionem, & civilem ob majestatem: sed adversarios quisq; sibi & suæ reipub. obstringit tantùm iure naturæ & gentium, non etiam jure civili. Fortè etiam dici posset in talibus pactis alterum in alterius jura civilia consentire. Sed omnes contractus obligant exteros ex jure naturali & gentium eâ qua diximus ratione, ex jure civili regulariter neminem nisi nostrum concivem, vel qui

Digitized by Google

qui se legibus nostris subjecit. Interdum alicui jus consentiendi quod habet naturaliter, vel paciscendi quod habet jure gentium, adimitur civiliter, ut prodigis: interdum datur idipsum civiliter, ut tutoribus & curatoribus: nonnunquam etiam jus quod quis civiliter habet, adimitur impedimento naturali, ut furore aut morbo: vel etiam jure gentium, ut captivitate: pro ut semper miscentur negotia humana. Hæc & similia non constituunt novas species juris, & dirimi poterunt, si modo naturam cujusque articuli juris attentè consideraverimus, nam in commixtione plurium naturalium & civilium jurium turbatur interdum conceptus humanus. Universaliter statuere licet omnibus istis in quæstionibus, quæ aliquot argumentis inclinant ad jura naturalia, aliis ad jura positiva, mixtum jus esse, nec posse ad eas nisi per distinctionem & separationem jurium responderi.



Quomodo jus [illegible]*t unum & trinum?*

CAP. XIII.

VNum jus, unam jurisprudentiam & unum habemus juris studium, nempe idipsum quod una lex humana seu ratio in homine jubet; *lib. 2. cap. 2.* Et quamvis jus nostrum tres

habeat primas species ut diximus, illæ tamen unius sunt generis, & in uno efficiente, nempe in ratione, item in uno fine summo, in bono videlicet conveniunt. Causâ verò efficiente proximâ & fine inferiori, item formâ constituendi & modo applicandi differunt, quemadmodum ex supradictis liquet. *Vnum jus est*, inquit Cic. *1. de legib. quo devincta est hominum societas, & quod lex constituit una.* De jure naturæ nulla est controversia, quin ubique & semper unum sit & in idem bonum tendat: nec opinor de jure gentium dubitari, quia & illud ubique unum est & in eundem finem conservationis juris naturalis tendit, licet modi ejus applicandi ubique non sint iidem. Ius civile, quia de rebus naturâ indifferentibus statuit, varium est, prout tempora & mores hominum magnam varietatem habent. Sed hoc non officit quò minus in eundem summum finem boni tendat, quò spectant jus naturæ & gentium: media enim applicationum & forma gubernationis externa tantum mutantur, finis verò, qui est salus reipub. & justitiæ conservatio publica, semper manet idem: & superior finis non potest esse alius quam appetitus ejusdem boni, ad quod anhelat jus naturæ. Si species juris civilis mixti consideraverimus, nempe leges civiles, constitutiones Principum, senatusconsulta, statuta, & similia, quia hæ sunt species iis ex juribus simplicibus compositæ quas jam diximus in unum tendere summum finem, non possunt alium quam eundem sum-

summum finem habere. Ita juris mixti species unum jus civile, species verò simplices unum jus Deo placens & hominibus salutare constituunt.



An rectè constituatur duplex jus & forum, aliud soli, aliud poli?

CAP. XIV.

QUandoquidem ergo, ut audivimus, omnia gentium & positiva jura naturali juri quod æterna Dei voluntas & justitia ipsa in Deo est serviunt, unumq; in finem summum unanimiter contendunt, nec aliud jus dari potest quod verè jus, & tamen nec naturale nec gentium nec positivum sit: sequitur malè constitui duplex forum seu duplicem justitiam. Id quidem extra controversiam est, non modo homines in hisce terris de negotiis humanis judicare, sed Deum quoq; justum suum de iis habere judicium; nec dubitatur posse aliquem coram judice humano in foro soli, propter externam disciplinam & defectum probationis evidentioris, vel etiam respectu ejus finis quo humana judicia constituta sunt, justum pronunciari, qui tamen coram Deo in foro poli, propter internam legis inobedientiam & respectu ejus finis, quem Deus sibi propositum habet justus non sit, ut Pharisæus ille *Luc. 18.* & *De foro soli & poli.*

si hoc

si hoc sensu duplex forum facerent nostri homines, ut dicerent opera legis externa in foro soli sufficere & hominem judicem decipere posse, sed in foro poli esse insufficientia, laudaremus eam fori & judicii distinctionem ut verissimam: sed plurimi eâ fori duplicitate nimium abutuntur, & alio sensu duplex jus constituunt. Nempe, si quærat quis an usucapiones, servitutes & usuræ justæ sint? respondent justas esse in foro soli, at non in foro poli. Quæritur ergo, utrum id quod in foro poli injustum esse scimus & fatemur, in foro soli ullo modo justum pronunciare aut facere possimus? Hic vapulare solent, qui de jure & rationibus legum disserere audent, & principia juris non perceperunt, ut naturalia à civilibus, pura à mixtis distinguere possent, Et merito: quia qui duplicem justitiam faciunt, juris species sibi contradictoriè opponunt: pugnam inter jura naturalia & civilia statuunt: unicum omnis juris finem esse ignorant: jus naturæ, propter quod & & circa quod omnia jura soli sunt, esse idem illud jus quod divinum jus poli vocatur, nesciunt: & majus damnum minori merâ civili ratione postponi arbitrantur. Deinde in juribus & rationibus legum mixtis confunduntur, ut nihil habeant quo se extricent, nisi falsam hanc juris & fori distinctionem. Sed præstabat tacere, quam eam impietatis maculam juri nostro aspergere. Si quid in foro poli injustum esse scimus, quâ humanâ lege vel ratione id in foro soli justum

justum efficiemus? hoc non est ministrum Dei esse: nec hæc est vera illa philosophia justitiæ cultrix, divinarum humanarumque rerum notitia, de qua *in l. 1. & 10. D. de just. & jure* gloriamur. Apage distinctionem istam, quæ nihil continet nisi confessionem inscitiæ & injustitiæ turpissimam, & summum juris civilis contemptum. Aut afferenda est ratio melior, qua istiusmodi jura etiam Deo placere probemus, aut si id non possumus, omne quicquid contra Deum & jus naturæ est, è civili jure exturbandum. Opinor autem rationes usucapionum, usurarum & similium jurium civiliter constitutorum nos facile probaturos pias & bonas, si modo veras inquiramus & afferamus. Et spero nos id supra *cap. 3.* fecisse, ubi de rationibus & fine civilium legum in genere locuti sumus, & specialiter etiam de usucapionibus & usuris aliquid adjecimus. Ex duobus malis propositis, quando alterutrum necessariò eligendum est, eligere minus, non est civilis rationis sed mixtæ: omnia jura in bonum tendunt, & jubent eligi id quod melius est, etiam illud jus quod in Deo est. Possemus multis rationibus & sententiis sacrarum literarum, item exemplis divinis Christi & sanctissimorum virorum probare, debere nos jussu & voluntate Dei semper eligere id quod melius est, & naturalem appetitum semper in melius ferri: sed non opinamur quenquam de eo ambigere. Quodnam ergo piaculum commisimus, aut quomodo

modo jus aliquod soli contra jus poli constituimus in usucapionibus? an præstabat lites immortales & fomitem seditionum in civitate nutrire, quam tranquillam vitam & certa rerum dominia conservare? an melius erat usuras pro dimidia acquisiti lucri parte concedere, quam hominum invidiam ferre, argenti defossionem probare, & quomodo plurimi mutui auxilii defectu ad mendicitatem malitiæ plenam redacti perirent, languidis oculis spectare? Iuris nostri mens fuit hominum avaritiæ cancellos circumdare, & mala toti civitati imminentia talibus legibus avertere ut *d. cap.* 3. copiosiùs explicavimus. Nihil ergo hic contra Deum aut jus naturæ peccatum est, nec quicquam constituimus hic in foro soli justum, quod in foro poli injustum esset. Si verò nostris legibus positivis quis abutitur, & alio fine quam latæ sunt, eas usurpat, is utroque in foro est injustus, tàm in foro soli quàm in foro poli. Et licet fieri possit ut judicem in foro soli decipiat & ab eo justus pronuncietur, reverâ tamen justus non est, ne in foro soli quidem, sed putatur tantùm justus esse, quia probationes injustitiæ ejus deficiunt, Deus autem, quem nemo fallit suo tempore illi justam sententiam feret. Interim judex humanus suo officio functus est, si rationabiliter judicavit de iis quæ noverat. Iure humano cogitationis pœnam nemo patitur. *l.* 18. *D. de pœn.* & tamen pravæ cogitationes nostro jure non pronunciantur justæ. Alia enim

est

Digitized by Google

est quæstio an jus nostrum omnem occultam cordis malitiam punire possit vel debeat? quod *d. l. 18.* negatur; alia, an eam injustam & juri contrariam pronunciet? quod affirmatur: quia jus nostrum jubet colere justitiam, *l. 1. §. 1. D. de just. & jure.* religionem, *l. 2.* & honestatem, *l. 10. D. eod.* idq; puro corde, animi proposito constanti ac perpetuo, *d. l. 10.* sine dolo & fraude. *l. 29. 30. D. de legib.* Et quidem id sedulò cavendum est, ne periculosissima illa opinio radices agat, quæ statuit aliquid in foro soli júltum pronunciare licere, quod in foro poli sit injustum: hoc enim dato actum esset de toto jure nostro, & potentiores quicquid in mentem veniret justum pronunciare juberent; cujus erroris uberior refutatio erit in capite sequenti.



Sitne jus & quod de jure hactenus tradidimus re verâ, an opinione tantum?

CAP. XV.

QUod Cicero quodam in loco inquit, *nullam unquam tam absurdam extitisse opinionem quæ neminem philosophorum patronum habuerit*, id verùm esse vel unica quam hoc capite tractandam suscipimus quæstio evincere poterit. Quid enim absurdius fingi potest, quam homines dubitasse, an discrimen veri & falsi, boni & mali, ho- *An jus sit, turpiter dubitari.*

li, ho-

li, honestorum & turpium, quod etiam beluis innatum conspicimus, sit commune omnium hominum somnium, an verò aliquid re verâ in natura existens? nonne Dei, rationis & sensuum obliti fuere, qui dubitare ausi sunt, an quæ rectè fiunt ex opinione rectè fierent; an verò

Quidam negarunt esse.

naturâ & ratione? Prodiére tamen, & quidem quod mirandum est, ex numero eorum qui inter philosophos censeri vellent, qui jus opinionem esse defenderent. Apud Platon. *1. de repub.* Thrasimachus putabat, jus esse quicquid potentiori placuisset: Archelaus dixit honestum & utile non naturâ constare, sed lege, *Laërt. in Archel.* quod idem autor etiam de Pyrrhone testatur. Euripides putavit usum legum & deorum metum esse callidum commentum ad gubernandas respub. à vafro quodam viro inventum. *Plut. de placit. phil. lib. 1. cap. 2.* Lucret. *lib. 5 rer. nat.* dicit jura ab hominibus excogitata esse, cum priùs aliquot seculis ferarum more vixissent: religionem verò ortam putat ex somniis, quod homines omnia vera opinarentur quæ per quietē vidissent. Referimus eò Academicos dubitatores, & dignos tali causa patronos Protagoram ac Epicurum, quorum ille dubitabat an essent Dii, an non essent? *Laert. in vita Protag.* hic omnia suis voluptatibus & doloribus ponderans, Deos humana non respicere arbitrabatur. In Aristotelis quoque peripato hanc quæstionem ventilatam esse *ex 5. eth. 7. al. 10.* colligitur. Nec dubium est Academicos & Epicureos,

Digitized by Google

reos, contra quos Cic. *1. de legib.* hanc disputationem specialiter dirigit, pro ea tuenda naviter pugnasse, illi ut omnia incerta affirmando nihil tamen certi affirmare, hi ne Deum justorum & injustorum vindicem fateri cogerentur. Fuit in ea opinione etiam Lysander, de quo Plut. *in apophi. Lacon. Hic homo versutus & pleraq; fraudibus miscens, jusq; in sola ponens utilitate, veritatem ajebat nihilo meliorem esse mendacio, sed utriusq; dignitatem & precium usu definiri.* Et videntur hujus erroris non omninò puri esse, qui negant jus esse de essentiali veritate Dei, quive opinantur Deum ita supra omnem legem esse velle ac posse, ut ei furta, latrocinia, mendacia, & alia quæ ipso volente ac operante ab hominibus peccari statuuntur, placere, eoque ipso statim justa esse possint. Item illi qui communes opiniones inveteratasque consuetudines vulgi, autoritate & numero errantium tantùm confisi, etiam tùm audent defendere, cum legibus & rationibus evidentissimis erroris sunt convicti.

Magni autem refert pravam istam opinionem radicitus exstirpasse, ut Cic. *1. de legib.* inquit, *omnium quæ in hominum doctorum disputatione versantur, nihil est profectò præstabilius quam planè intelligi nos ad justitiam esse natos, neque opinione sed natura constitutum esse jus*, quia hic non tantum humana justitia & ratio, verum etiam Dei veritas, justitia, & omnis divinarum humanarumque rerum certitudo in dubium vocatur, quapropter eam profligare sedulò annitemur. *Illi necessariò refutandi.*

Digitized by Google

Si justitia est opinione etiam Deus & omnes virtutes sunt opinione.

Et quidem, si jus reverâ in natura nullum est, sed merâ opinione consistit, tolletur Justitia ipsa cum autore suo, & cum omnibus quas in se continet virtutibus: nullus erit Deus qui justa velit, injusta vetet, quia sine justitia & virtutibus nullus est Deus, vel si quis est, opiniones & nihil velle non potest. Ita religio, temperantia, gratitudo, pudor, & quicquid ad justitiam universalem referre solemus, erunt meræ opiniones & inania hominum somnia. Nam si justitia non est naturâ, solâque opinione constant quæ recta & prava, vera & falsa dicuntur, etiam nulla veritas est in natura, sed vana opinione constant omnia. Si hæc vera, & virtutes nihil aliud nisi inania hominum superstitiosorum terriculamenta sunt, quid restat nisi ut sine Deo vivamus? Cic. *1. de legib.* inquit, *Si natura confirmatum Jus non erit, virtutes omnes tollentur, ubi enim liberalitas? ubi patriæ charitas? ubi pietas? ubi aut bene merendi de altero, aut referendæ gratiæ voluntas poterit existere? nam hæc nascuntur ex eo quod natura propensi sumus ad diligendos homines, quod fundamentum juris est. Neque solum in homines obsequia, sed etiam in Deos ceremoniæ religionesq; tolluntur, quas non metu, sed ea conjunctione quæ est homini cũ Deo conservandas puto.*

Justus est Deus, & justitia in operibus ejus.

Est autem omnibus naturâ notum esse Deum aliquem: at sine justitia & voluntate justi Deus esse non potest, unde sequitur jus & justitiam primo *realiter* in Deo esse, non opinativè. Cum verò Deus citra justitiam suam nihil agat & ab omnibus creaturis justus prædicari velit, necessariò

sariò indidit naturæ discrimen honestorum & turpium, justorum & injustorum, alioquin si hæc susq; deq; habuisset, contra seipsum egisset. Ut verò nihil sine veritate egit, nihil simulavit aut præstigiis mentitus est Deus in iis quæ corpori dedit, sed carnem & ossa, virtutesq; quas in corpore esse affirmat, ut calorem sanguinis, nervorum robur & similia, re ipsâ exhibuit: Ita etiam nihil falsò finxit aut jactavit de animabus nostris, sed eas re verâ constituit quales esse affirmavit, nempe justitiâ & omnibus virtutibus ad imaginem suam decoratas. Et quidem omnes creaturæ, quatenus capaces erant, participes factæ sunt bonitatis & virtutum divinarum. Hinc illa turpium aversatio quam in beluis conspici *lib. 2. cap. 8.* docuimus, quæ non est imaginatio vel assuefactio quædam, sed reale quid naturæ à Deo insculptum. Cic. *1. de legib.* ait *nec arboris nec equi virtus quæ dicitur, in quo abutimur nomine, in opinione sita est, sed in natura.* Ut omnibus in rebus ab infimo ad summum datur progressus, & unius rei per varia genera quasi continuata quædam est ad perfectionem elevatio: ita Deus terræ, mineralibus & gemmis virtutem quandam abstrusam; deinde plantis & arborum fructibus paulò apertiorem & sensibus perceptibilem indidit, incitantem ad lætitiam, amorem vel ad alias corporis & animi suo in usu bonas passiones. Hæ virtutes, etsi à quibusdam non percipiantur, ab aliis vix acumine ingenii investi-

Omnium creaturarum virtutes in homine perfectæ.

Digitized by Google

gentur, tamen non sunt opinativæ, sed reales; quæ quando incidunt in corpus sensu prædi-tum, fiunt perfectiores, absolvuntur autem & virtutum perfectarum nomen induunt benefi-cio rationis; si creaturæ rationabili immergan-tur, & in ea ratione regantur. Hinc Cicero re-ctè colligit, si virtutes arborum & brutorum animalium non sunt opiniones; cùm tamen ibi sint imperfectæ, multò minus in nobilissima a-nima hominis opinionib⁹ constabunt; ubi sunt perfectissimæ. Hanc esse Ciceronis argumen-tationem ipsa verba evincunt: & ideò virtutem *1. de legib.* definit, *virtus nihil aliud est, quam in se perfecta & ad summum perducta natura.* & *4. de finib. rationis perfectio est virtus.* quas definitiones etiam Sen. probat; *epist. 66.* Et quidem ea considera-tio hominem maximè decet; & digna esset quæ quàm pulcherrimè exornata proponeretur, ut videremus quomodo homo totus ad justitiam factus, & à Deo omnibus naturalibus ad virtu-tum cultum unicè instructus sit; & quomodo omnia quæ naturaliter in homine sunt; in vir-tutum perfectionem nitantur. Sed nos paucu-la delibabimus; saltem ut pro instituto nostro confirmemus id quod superius statuimus; nihil in homine & universa natura esse quod natura-liter in malum inclinet & nos malè agere do-ceat; & ut lectorem invitemus ad eam consi-derationem, quomodo justitia & reliquæ virtu-tes altissimis in natura hæreant radicibus, ni-hilq; omninò boni in homine opinione tantùm

sit,

sit, sed omnia realiter & re verâ. Iuvat enim in fine hujus opusculi nostri paulisper in considerationem naturalium virtutum humanarum exspaciari, si fortè, cum omnia naturalia grata & dulcia, naturæ repugnantia verò exosa & invisa sint, eò majorem sitim ac venerationem virtutum excitare possimus, quo magis vitia contra naturam esse apparebunt.

Homo est epitome totius universi.

Admiranda quidem & præclara sunt omnia quæ Deus creavit, adeò ut nulla ætas, nulla humana ratio contemplationi operum divinarum sufficiat; sed homo supra omnia. Ille enim μικρόκοσμος & totius universi epitome esse debuit, qui creatoris sui omnipotentiam, sapientiam & bonitatem cùm in omnibus, tùm in sui ipsius structura & divinis animi sui virtutibus agnosceret, sibiq; de sua præstantia in Deo cum exultatione & gratiarum actione gratularetur. Hunc enim sibi Deus peculiariter selegerat & exornaverat, ut esset omnium terrestrium creaturarum arbiter dignissimus, & magnificentissima regia spiritus Dei. Quapropter nullum est dubium quin homo ante lapsum & corpore & animo ita exornatus fuerit, ut omnium creaturarum Dei sub cœlo viventium virtutes evidentissimè superâret. Quæ virtutes, etsi corrupto per lapsum corpore & animo unà profligatæ sint, non tamen ita penitus perierunt quin adhuc aliquo modo in naturalibus bonis, & maximè in regeneratis qui peccati qualitates suffocare student, appareant. Quod ad palpabilia

Dona cor-

Digitized by Google

poris humani præstant omnibus corporibus.

lia corporis dona attinet, ut cutis levitatem jucundissimam, quâ omnium florum & sericorum filorum contactui præstat; membrorum pulcherrimam harmoniam ad infinita humana negotia mirandâ agilitate habilem, cui nemora & colles & omnia ab homine fabricata cedunt; item, calorem sanguinis, & spiritum se in eo moventem; hæc quidem nemo negaverit.

Idq; non opinione, sed re vera.

Quis verò tam inhumanus sui ipsius hostis & contemptor esse possit, ut hæc omnia opinione tantùm grata esse affirmet? quis fragrantiam florum, gemmarum conspectum, saltuum amœnitates, rivulorum susurros & avium cantus amicæ conversationi gratiosi hominis præferret? quisve eas quas inde percipimus recreationes opinione solâ constare diceret?

Homine nihil charius.

Est omninò aliquid in natura hominis, quod nobis hominem per se, & propter eum omnia mundana commendat, quod inde manifestò evincitur, quia omnia alioquin nobis exoptatissima sine homine tristia sunt, & ipsa jucunditas absente amico injucunda est, *Senec. epist. 6.* ut è contra propter eum quem diligimus etiam acerbissima mors exoptata fieri potest. Quanta vis sit amoris & humanitatis, ab amicis, parentibus & conjugibus est discendum. Tanto nos naturali vinculo colligavit Deus, ut etiam inhumanissimæ immanitati possibile non sit omnem humanitatem odisse. Nempe ignobiliorum creaturarum virtutes vel unum tantùm ex sensibus externis demulcent, vel paucos imper-

per-

perfectè; at homo gratiosus omnes corporis & animi sensus jucunditati simul imbuere, & animum gaudio, corpus delectatione perfundere potest, quod nulli alteri creaturæ est possibile. Sunt verò hæc dona non animi aut corporis tantùm, sed totius compositi, ita ut hæc sine præsentia corporis, illa sine præsentia animi, nulla vel imperfecta sint, & ea tantùm pro perfectis habeantur, quæ à corpore & anima simul proficiscuntur. Amamus quidem absentes etiam, & eorum dona miramur, at si donis animi præsentia corporis accedat, ut etiam sensus nostri amoris fiant participes, tum verò inflammamur & exardescimus duplicata amoris causa. Et videas interdum non homines tantùm sed & animalia ob familiarium amicorum suorum præsentiam & adventum commoveri, licet animo suo aliud jam agant, & de adventu amici sui non cogitarant. Quod cum ex opinione & imaginatione esse non possit, certissimò evincit, esse etiam in corporibus humanis occultas quasdam virtutes, ad commotionem alterius plurimum facientes, nec esse nos ea in parte inferiores floribus aut aliis rebus ignobilioribus, quarum præsentia in habili subjecto ex longo intervallo operari ac sentiri solet. Scribunt eruditi, & teste experientiâ evincunt, homines sæpè rei alicujus vilissimæ præsentiâ & naturali virtute ita affici, ut deliquium animi patiantur, vel ut omninò dementientur; ut si quis sub taxo vel sambuco quiescat, si quis odo-

Homo totus est amabilis.

Humani corporis virtutes.

Virtutes magnæ in plantis & floribus.

retur anhelitum ejus qui cæpas vel allium comederit, quod Ægyptii propterea pro sancto Deo qui à nemine morderi vellet habebant *Iuven. Sat. 15.* & Horat. *lib. Epod. 3.* parricidis ut pessimum venenum precatur. Plutarch. *lib. 3. Sympos. qu. 1.* inquit: *Mirum nemini videri debet, si exhalationes sertorum vim tantam habeant: cum memoria proditum sit umbram smilacis interficere homines in ea dormientes, quo tempore planta maximè turget & florem suum parturit: & spiritum à papavere defluentem, non cautè observatum ab iis qui succum colligunt, subvertere homines. herbam autem alyssum, si duntaxat in manum sumatur, imò nonnullos si modò intueantur eam, singultu liberare.* Quomodo nonnulli angantur, si felis vel caseus, vel aliud quid quod eorum natura aversatur sit in conclavi, nemini ignotum est. Nec quisquam ignorat quomodo aceto, floribus, aromatibus, aliisq; rebus naturalibus plurimis cor refocilletur & recreetur. Hæc quæ in creaturis ignobilioribus efficit anima vegetativa, æquè manifesta sunt in homine, modò quis animum attendat, & peccatis suis non obstet quò minus natura per se in homine operari possit. Non enim animæ vegetativæ virtutes propter peccatum omninò è nobis evanuerunt. Plut *lib. 1. Sympos. qu. 6.* scribit: *Alexandri corpus propter siccitatem tam suaviter oluisse, ut etiam tunicula replerentur fragrantia aromatum odorem æmulante.* & *lib. 5. qu. 7.* docet quorundam hominum odore, spiritu & obtutu alios infici & enecari. *v. Plin. lib. 7. cap. 2. lib. 11. cap. 53.* quo pertinet etiam grave-

Eas æquè esse in homine, ex anima vegetativa.

graveolentia quorundam corporum quæ sola experientiâ tam certa est ut nulla egeat probatione. Confirmant id sacræ literæ, in quibus videmus nunquam virtute caruisse corporalem contrectationem sanctorum virorũ. Quoties Christus rogatus fuerit ægrotis manum imponere, & quoties imposita manu morbos depulerit, non potest hic recenseri, Lucas *cap. 6. v. 19.* expressè testatur exiisse virtutem quandam de corpore ejus, quâ sanati fuerint malè habentes; & Ioh. testatur non potuisse omnia ejus miracula describi, ne multitudine opprimeremur, quapropter & alii sæpè compendio dicunt sanatos esse omnes qui eum tetigerint quive opem ejus implorârint. Ita etiam Elias corpori suo admovet defunctum puerum, *1. Reg. 17. v. 21.* quod item Elisa facit *2. Reg. 4. v. 34.* Nec putandum est homines ejus seculi tam insipientes fuisse, ut frustra optarint licere sibi sanctissimos viros tangere & ab iis tangi: multò minus credendum, pios viros vanis opinionibus dementatos, quid coram hominibus gesticulari voluerint ignorasse. Notabile exemplum est *Mat. 8. v. 23.* ubi Christus cœci oculis salivam (quæ alias, si infecta non sit, hominum oculis mederi dicitur) illinit, quæ tamen prima vice pterygium, sive quid aliud mali fuit, non detersit. Quin imò, ut physici aridis floribus, ita sacræ literæ etiam cadaveribus mortuorum. *2. 13. v. 21.* & piorum vestibus *Mat. 9. v. 20. & 14. v. 36. Act. 19. v. 12.* & umbris. *Act. 5. v. 15.* aliquam virtu-

tem tribuunt: quæ si quis omnia merâ opinione esse dixerit, & physicorum probationes & historiam sacram erroris convincat oportebit. Et hæc de virtutum animæ vegetativæ perfectione in homine dicta sint, quæ tamen in homine solæ non operantur, sed auctæ reliquis animæ facultatibus ut jam dicetur. Hoc prius monemus omnes hasce virtutes, ut re verâ in homine sunt, ita etiam efficaciter in bonum tendere, & in vero suo usu efficaciter quantum possunt ita operari, ut hominem præparent ac disponant ad temperantiæ, sobrietatis, humanitatis, aliarumq; semivirtutum & perfectarum virtutum moralium acquisitionem & usurpationem. Tam profundè in naturam demersus est boni appetitus ut planè nihil tam vile & exiguum in tota hac rerum universitate invenire liceat, quod non quatenus naturale est, eatenus omnibus viribus suis in bonum nitatur, quorum nihil credere oportet eos, qui omnia opinionibus constare, vel Deum & naturam mali quid operari somniant. Consideret autem homo, cum ex voluntate Dei & naturæ corpora nostra usq; adeò omnium corporum nobilissima sint, ut non modò omnium creaturarum virtutes in iis confluant, sed & superentur; & creator in hac epitome omne, quicquid in mundo mirandum ac jucundum, absolvere voluerit; quantum sacrilegium sit humanum corpus corrumpere, & quot nominibus coram Deo rei fiant qui dona illa præstantissima in se

Eas niti in bonum.

& in

Digitized by Google

& in aliis non amant, magnifaciunt & custodiunt, ſed iis ad omnia flagitia abutuntur, vel etiam Deum ipſum in ſeſe, quaſi ab illo ex puris vitiis compoſiti & ab ipſa materia prima ad omnia ſcelera excitati ſint, calumniantur. Cum Paulus *Act. 17. v. 27. 28.* ait Deum vivere & palpari in nobis, & *1. Cor. 6. v. 15.* docet nos eſſe membra Chriſti, haud dubiè id vult, omnem injuriam quæ dictis, factis & cogitationibus contra corpus hominis committitur, Deo fieri, *1. Theſſ. 4. v. 5.* eumq; ultorem habere.

Cur non ubique operentur. Id verò nos nihil movet quod ſtupidi quidam homines eas corporum humanorum virtutes nec credunt nec percipiunt, ut nec odori florum quid detrahit, quod ejus nullus uſus eſt in piſcibus, nec luſciniæ officit judicium muli, aut Apollini ſententia Midæ. *Ovid. 11. metam. 5.* qua de re paulò poſt plura dicemus.

Animæ ſenſitivæ dona & virtutes. Anima ſenſitiva non modo vegetativam in ſe continet, ſed & peculiaribus quibuſdam facultatibus ea eſt perfectior, ideò & in brutis & in hominibus deprehendimus virtutes quaſdam nec ad vegetativam nec ad rationalem animam pertinentes, quas in bruta animi noſtri parte eſſe, ibique virtutum moralium nomen induere docent ethici. Ut autem Plin. *lib. 13. c. 3.* *Quomodo percipiantur.* docuit, eum non ſentire odorem à quo ſpirat, & ut animæ vegetativæ virtutes à ſeipſis non percipiuntur, ſed animæ ſenſitivæ facultatibus primo apprehenduntur, ita etiam animæ ſenſitivæ virtutes & facultates ſolo intellectu rectè perci-

percipiuntur & dijudicantur, non colore aut sapore, vel odore & tactu. Non enim calent aut frigent virtutes morales, ut in sensum aliquem externum ita incurrere possint, quemadmodum ea quæ ab anima vegetativa esse diximus, sed sunt subtiliores & minus corporeæ, quapropter etiam externis corporeis sensibus percipi non possunt. Ut verò odor florum propterea opinione non est quod ipsi flores non olfaciunt, ita nec virtutes morales propterea opinione sunt, quod sensibus externis non apprehenduntur: & animæ sensitivæ dona peculiaria ideò non sunt nulla, quod bruta nullum de iis habeant judicium. Deus semper inferiora in superioribus perficit, & naturam non opinionibus sed veris naturalibus constituit, & cum nihil aliud sit anima nisi partes ejus seu virtutes (omnes enim animæ partes sunt activæ) simul sumptæ, sequeretur animam ipsam tantùm opinione esse, si ejus facultates & operationes tantùm opinione esse ponerentur. Sunt verò etiam sensuum organa, sensus ipsi, & virtutes animæ sensitivæ nullibi in tanta perfectione quam in homine, quia ille in corpore absolutissimo plus vitæ ac animæ habet quam ullum corporeum vivens, atque ideò etiam eò magis accusandus, si animæ sensitivæ virtutibus non ut oportuit utitur. Quod enim homo à quibusdam animalibus in facultate sentiendi naturaliter superari creditur, ego nemini

Quod sint re verâ.

Sensus in homine sunt perfectissimi.

mini concesserint, sed puto hominem, si naturalia sua dona ex utero materno perfecta habeat, eaque ipse nulla intemperantia corrumpat, etiam in hisce rebus omnibus beluis tantum præstare, quantum par est animam sensitivam in optimo & maximè animato corpore cum ratione conjunctam plus posse, quam sine hisce adjumentis. Quis enim probaverit apros vel cervos acutius audire quam attentos homines? fallacia causæ quibusdam imponit hominibus: nam cum illa animalia aures metu arrigunt, & vel ob conspectum hominem, vel ob susurrum venti in aridis foliis ludentis, vel ex simili aliqua inani causa, quam homo propter imaginationis vanitatem non attendit, se sine judicio in pedes conjiciunt, tum nobis alii persuadere volunt, id fieri auditu acutiore. Atque ut id eò citiùs persuadeant, seque contra experientiam opinioni suæ contrariam muniant, addunt, easdem feras demissis auriculis ferè nihil audire, quod mihi idem videtur ac si dicant, apros nisi metum pro auditu habeamus, multò minus audire quam homines. Idq; ratio perfectionis humanæ evincit & experientia docet, cum feræ illæ sæpè à venatoribus in cunabulis suis deprehendantur, & cicuratæ deposito hominum metu multo obtusiores habeant sensus quam homo. Fieri etiam posset periculum, si homo & aper sese invicem non vidissent aut audissent, quis rem utrique æquè formidabilem ex æquo spacio priùs animadversurus esset.

ſet. Mihi omnia ſenſuum organa in homine ſubtiliora & perfectiora eſſe apparent, ideò crediderim eum in æqua animi intentione etiam ſenſibus ſuis multo acutius & rectius uti poſſe: perſuadere enim mihi non poſſum organa ſenſuum in homine fruſtra nitidiora & ſubtiliora eſſe. Quod autem toties & tam facilè non commoveatur, id conſtantiæ & judicio ejus adſcripſerim, vel animi remiſsioni, non ſenſuum imperfectioni. Fertur etiam lynx hominem viſu ſuperare, quod neſcio unde homines reſciverint: ſi enim illi non vident quod lynx homine amplius videre putatur, qui ſciunt quòd ille plus videat, & quid? Aquila de ſublimi videt prædam ſuam in terra: ſed cogitemus hominem de alta turri animal ſeſe in terra movens longiori intervallo proſpectare, quam ulla aquila de terra elevari poſsit: quid mirum ergo, ſi avis ſub nubibus hærens tandem mobilia ab immobilibus diſcernere poſsit? Et qui ſcimus an prædam in ſublimi viderit, an verò poſtquam ſe propius demiſit? Araneæ quid tangere poſsint quod hominis tactum effugiat, non video: nec dum indagare poſſum unde conſtare poſsit ſimias hominibus in guſtu prævalere? Canum odoratum refero ad aſſuetudinem, & ad propiorem organi admotionem. Et opinor hominem, ſi exerceat ſe ut omnia ſenſibus externis explorare poſsit, quemadmodum bruta animalia ſuis in ſenſibus ſe quotidiè exercere coguntur, nulla in re ſentienda ulli animali natura-

turaliter inferiorem fore, nec in corporis nec in animæ agilitate & habilitate, de quo nunc non est opus copiosius disserere. Legantur Plin. *lib. 7. nat. hist.* & alii, consideretur item historia sacra & incertitudo earum quæ de brutis affirmantur, & facilè apparebit hominem non ratione tantum sed omnibus omninò corporis & animæ virtutibus omnia animantia superare. Statuamus itaque etiam animæ sensitivæ virtutes in homine esse perfectas, & hominem præ omnibus animalibus etiam hac in parte ita à Deo compositum, ut hisce naturalibus donis bonum à malo distinguere, sibi à malo cavere, & ea quæ ornant ac decent eligere & agere possit. *vide Solin. in polyh. cap. 6. Alex. gen. dier lib. 7. cap. 21. Plin. lib. 7. cap. 20. & seq.* In virtutibus intellectualibus eadem ratio est, quia anima rationalis non est ignobilior corpore & animabus inferioribus, sed ratione, intellectu, sapientiâ & similibus virtutibus pulcherrimis dotata est. Et quamvis ejus virtutes nec odore nec gustu percipiantur, sunt tamen re verâ in natura. Ostendunt quidem virtutes intellectuales operationes suas per sensus externos; ita ut ex vultu & gestu mens hominis conjici & præsumi possit, sed hæc operatio est à posteriori, quâ sensus & externa hominis serviunt imperio animæ interno: ipsam autem operationem suam propriè exercent per verbum internum & externum, quo à Deo & homine egrediuntur vel recipiuntur. Externum verbum interdum abest, & tum

Virtutes intellectuales sunt reales.

Et operantur per verbum.

& tùm internum solum operatur, vel externo obtutu & nutu adjuvatur, sed internum verbum si absit, nihilo plus potest externum solum, quam corpus sine anima. Ubi verò utrumque & utrinque, tam in loquente quam in audiente, est conjunctum, & voluntas dandi accipiendique traditionem juvat; ibi est plena & efficax operatio virtutum rationabilium. Quicquid justitia, pietas, amor aut veritas volunt, id verbo mentali decernunt & vocali applicant. Mens hominis est unica & vera officina intellectualium virtutum, à qua illæ perficiuntur, egrediuntur & reguntur, quemadmodum & *libro 1.* diximus, actionum humanarum arbitrum & moderatorem esse ipsum judicium seu rationem. Quod verò operatio mentis re verâ & efficaciter fit in natura, id maximè probatur ab effectibus, qui re verâ in natura deprehenduntur. Multa enim agimus & loquimur, quæ non nisi ab intellectu proficisci potuerunt, & quæ virtutem verbi interni ejusq; gubernationem ubique præ se ferunt. Nec desunt nobis probationes quod virtus verbi interni verbo externo realiter & verè applicetur, *v. Cæl. Rhodig. lib. 16. lect antiq. cap. 14.* Ac ut de magorum carminibus & formulis nihil dicamus, quas superstitionum plenas libenter missas facimus, consideremus modò sacram historiam, quomodo verba Dei & piorum hominum penetrarint & perruperint per omnia, secundum voluntatem verbi mentalis interni. Quicquid Deus, prophetæ

Cognoscuntur ex effectu.

Effectus verborum.

phetæ ac apostoli aliique pii viri seriò sine facto nostro existere voluerunt, ac in Spiritu imperarunt, quodve iis in rebus, in quibus voluntas & consensus accipientis requiritur, hominibus accipere volentibus verbo externo tradiderunt, id præstò fuit. Ratio est, quia in talibus verbis non est tantum sonus ille ἀκυρὸς, sed mens votum, imperium ac vis divini illius spiritus, cui tum nihil resistere potest. Ille spiritus ex intellectu, anima & pectore loquentis proficiscitur, ibiq; veritate voluntatis divinæ acuitur, ideò semper conformis est verbis prolatis, in quibus tanquam anima in corpore vehitur, blandus in blandis, iratus in iracundis. Non percipitur ille sensibus primò, quia sensus, etsi sonum audiant & vultum loquentis videant, tamen de verborum mente & de animo loquentis judicare nequeunt, sed mens de mente & verbis alterius judicat. Eo modo virtutes intellectuales à verbo intellectus interno egrediuntur per verbum externum, & vicissim per externum recipiuntur in internum, ibiq; tùm applicantur & operantur. Hæc naturalia media quatenus absunt, eatenus operationem nullam faciunt: cum verò adsunt & usurpantur, effectu carere non possunt. Nulla tamen ratio satis indagare potest, quomodo tanta vis in verbis esse posit, quam effectus verè adesse testantur. Sed unaquæque res agit vel patitur instrumento actioni & fini suo adæquato, quod item verum est in virtutibus & facultatibus

Virtutes intellectus non percipiuntur sensibus.

Nn animæ

animæ *Piccol.gr.mor.5.cap.29.* Odores & colores non percipiuntur intellectu, nisi per sensus; sensus externi quid ipsum audire & videre sit nesciunt, sed de iis judicat ratio: ea verò quæ rationis sunt, sensus & vegetatio non apprehendunt: & tamen unius facultatis operatio ad totum hominem descendit. Quæ superioribus animæ facultatibus percipiuntur, persuasione & imperio operantur in inferiora, ut nihilominus fructus ad totum hominem perveniat, at quæ inferior animæ facultas capit, de iis superior cognoscere potest. Nam quod homini competit, toti competit, licet non primò & æqualiter, ita tamen ut bona & mala unius partis alteri fiant communia. Colore, odore & sapore totus homo recreatur, licet illi sensibus primò percipiantur: gustus virtutem veneni nō præsentit, sed ratio, cujus imperio & persuasione homo à veneno abstinet & totus servatur: quod itidem evenit in aliis. Intellectus jam incipit sese intelligere, *Plotin.en.5 lib.3. Zabar. de Ord.intell.cap.3.* nec tamen omnia intelligibilia exhaurit, quod indicant inextricabiles illæ de anima disputationes, & quæstionum inexplicabilium numerus infinitus. Ubi ergo intellectus deficit, ibi incipit fides, nam ratio ibi præsupponit notitiam vel autorem de cujus fide putat dubitare non licere, aut si id non facit, errore decipitur. Fides ergo superat rationem, ratio sensus, sensus vegetationem. Quod autem animæ facultates non ubique operantur inde

Et tamen sunt in toto homine.

Intellectus sese intelligit.

Eum superat fides.

Cur virtutes animæ

inde evenit, quod sunt potentiæ finitæ, & objecta quædam nimis sunt inepta, vel etiam omninò contraria. Ideò odor & color non ubique & ab omnibus percipitur, sed tantùm in instrumento suo adæquato & rectè constituto: & sensus ac ratio ideò non percipiunt omnia, quia non omnia sunt sensuum ac rationis apprehensioni apta: interim tamen rerum veritas manet. Unaquæque res, qualis à Deo condita & esse pronunciata est, talis est re verâ, & taliter agit pro essentia sua naturali. In vero suo usu operatur ad bonum ex mente & voluntate Dei: extra usum suum nihil operatur, quia cum potentiæ finitæ sit, destituitur eâ virtute quâ tale objectum moveri potest: in abusu verò & pravâ applicatione operatur quidem virtute suâ naturali, sed per accidens, propter pravam qualitatem abusui semper inhærentem & totam actionem inficientem, existit malum, quod aggravatur & deprimitur corruptione mediorum bonorum, pœnam in se continente, & indignatione Dei, qui omnem rerum bonarum abusum seriò detestatur. Et quò cujusque rei usus efficacior est ad bonum, eò ejus abusus periculosior est ad malum, naturalibus ejusdem rei interim iisdem manentibus. Infinitis exemplis naturalibus id posset demonstrari: calor alicubi salutaris, alibi exitialis est: scientia, pro ut applicatur, prodest vel obest: venenum quod omnibus ferè viventibus exitiale est, quædam tamen animalia non offendit, nonnulla etiam

non operentur ubique.

Nn 2 sagi-

saginat. *v. Plin. lib. 21. cap. 13. lib. 10. cap. 23.72. lib. 11. cap. 53. vide etiam Plut. lib. 2. Sympos. qu. 7. & 9.* Ita sanctorum virorum contactus quibusdam tantùm salutaris fuit, aliis nihil profuit, nonnullis etiam obfuit, propter malitiam vel superstitionem. Simili modo virtutes animi, per se bonæ & ad bonum datæ, tantùm in vero suo usu bonæ sunt, in abusu sunt pessimæ, in subjecto verò usui & abusui æquè inhabili nihil operantur, ut in furiosis & mente captis. Omninò virtutes similes sunt gladio, cujus acies contra malos usum habet bonum; quia eo fine factus est; contra bonos usum habet pessimum; contra ignem & aërem nullum. Non oportet verò concludere omnia illa tantùm opinione bona ac vera esse, quarum usus & abusus non sit in omnibus semper & ubiq; æqualis, eâ enim ratione creator ipse cum omnibus creaturis abnegaretur. Nisi verò ratio, pietas, fides, amor Dei & similes virtutes ideò piorum hominum opiniones sunt, quia lapides nihil sentiunt, & quia quidam omnibus de rebus dubitant, alii omnia calumniantur. An propterea Deus non est primus motor, sed otiosus omnium rerum spectator, quia Epicurei ita delirarunt? An Deus ideò omnium scelerum autor est, quod ex Stoico fato id sequitur? Academici de omnibus rebus dubitabant, an propterea hic mundus opinione est? Hæc quidem philosophia effecerit ut ipsi toti nil nisi opinio simus: ut opinione habeamus oculos, quia non odorantur;

Non sunt opinione bona quæ deficiunt vel officiunt in abusu.

Digitized by Google

rantur; aures, quia non vident; pedes, quia non audiunt. Quin præterea, si omnia opinione sunt, nec Deus, nec religio, nec quicquam rerum humanarum est, & ipsa etiam opinio re verâ non est. Sic tandem nihil erit, quicquid est, & ipsum etiam nihil reverâ neque aliquid neque etiam nihil erit, quia tantùm opinione alicujus, qui reverâ nullibi & nihil erit, erit nihil, ut Lucret. *lib. 4. rer. nat.* inquit:

Deniq; nil sciri si quis putat, id quoq; nescit
An sciri poßit, quum se nil scire fatetur.

Multas me absurdas nugas audire & legere memini, sed nihil absurdius hoc commento, quo omnis veritas simul abnegatur, quæ sensibus ac ratione percipi potest. Defendere licet nivem atram, & mundum ex atomis concretum, & mundos infinitos in vacuo inani volitantes, & quicquid de Diis hominibusque otiosi lusêre poëtæ, præ ea opinione quæ nec ipsam opinionem nobis verè opinionem relinquit. Et tamen olim fuêre atque adhuc sunt homines (si modò secundùm suam opinionem verè sunt) qui in futilibus suis argutationibus præsupponant, vel etiam expressè persuadere conentur rationem, justitiam, fidem & similes virtutes animi, non secus ac vim herbarum corporumq; viventium, & efficaciam divinorum verborum, in rebus à Deo huic usui cum affirmativa promissione traditis, communi errantium opinione fingi, re verâ autem non adesse. Hoc enim volunt qui justitiam & veritatem non reverâ & realiter in

Digitized by Google

naturâ esse, sed opinione hominum tantùm constare dicunt. Fingi plurima, & opinionum somnia pro veritate sæpè haberi, nemo dubitat: sed propterea omnia invisibilia & occultiora, etiam quæ Deus & spiritus Dei per homines locutus affirmavit, quæve ratio & conscientia in homine evincit ac docet, opinione esse statuere, id verò est grande nefas & morte piandum. Si videmus quasdam virtutes quas Deus in terræ glebis, gemmis, metallis perfectis ac imperfectis, herbis, leguminibus, arboribus & earum fructibus, item in sensibus & facultate animæ rationali, tandem in fide ac verbo suo esse dixit, & si negare non possumus virtute verborum humanorum nos efficaciter multis modis commoveri; quâ ratione omnia bona & mala, justa & injusta, vera & falsa, omnesque rerum corporalium & spiritualium virtutes solis opinionibus constare, ipsamque naturam non re verâ sed opinione tantùm esse dicemus? sed pergamus ad alia argumenta.

Jus naturâ persuadetur omnibus, opinio non.

Naturales justitiæ notitias non ex opinione esse, sed justitiæ reverâ alicubi subsistenti inniti, inde porrò probari potest, quod in omnibus hominibus sunt similes. Nulla opinio omnibus persuaderi, multò minus omnes ad posteros propagari potest, sed statim ut fumus radiis solaribus conficitur: sunt autem primæ notitiæ juris ab initio mundi omnibus gentibus certæ & confirmatæ, ut esse Deum, Deum esse adorandum, parentes honorandos, amicos amandos,

dos, turpia esse vitanda, delicta pœnâ digna esse: hæc si naturâ non sunt certa, dicendum est quisnam fuerit ille rhetor, qui omnibus terræ incolis ad comitia mundi convocatis, omnium populorum linguis locutus sit, cunctisque opinionem posteris ingenerandam infuderit?

Præterea conscientia nostra angitur ob errores & delicta, quæ nemine conscio commissa sunt, & Tyranni qui neminem timent, tamen conscientiâ punguntur: quid ergo hîc metuit animus ubi opiniones hominum metuere nequit, nisi naturalem justitiæ regulam? si homicidia tantùm opinione sunt injusta, & ex Dei voluntate fieri possunt, cur homicidarum conscientia semper trepidat? quid timet? cur sese accusat & fugit? cur non exultat & delectat se, quia voluntatem Dei fecerit? cur sibi pœnam præsagit, & non potiùs præmium? sunt etiam plurima in verbis, moribus & gestu, de quibus leges nullæ scriptæ sunt, quæ tamen facere veremur, ne offendamus id, quod inviolatum & sanctum esse jubet interior judex. Epicurei, quamvis Deum humana respicere negarent, tamen non ausi sunt omnes voluptates æquè probare, ut ap. Cic. *lib. 1. de finib.* Torquatus inquit: *Eos accusamus & justo odio dignißimos ducimus, qui blanditiis præsentium voluptatum deliniti atq; corrupti, quos dolores quas molestias excepturi sint, occæcati cupiditate non provident: similiq; sunt in culpa qui officia deserunt mollitiâ animi.* & ibid. *clamat Epicurus, is quem vos nimis voluptatibus esse deditum dicitis, non*

Conscientia metuit aliquid naturaliter.

posse jucundè vivi, nisi sapienter, honestè, justeq; vivatur: nec sapienter, honestè, justè, nisi jucundè. Et Apost. *Rom. 2. v. 14.* docet conscientiâ nos ad justitiam incitari, cum ait: ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα, φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῇ, οὗτοι νόμον μὴ ἔχοντες ἑαυτοῖς εἰσι νόμος· οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων, ἢ καὶ ἀπολογουμένων ἐν ἡμέρᾳ ὅτε κρινεῖ ὁ Θεὸς τὰ κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων. Cic. *1. de legib.* hoc argumentum sic infert: *At verò scelerum in homine atque impietatum nulla expiatio est, itaq; pœnas luunt non tam judiciis, (quæ quondam nusquam erant, hodie multifariam nulla sunt; uti sint tamen, persæpè falsa sunt) ut eos agitent insectenturq; furiæ: non ardentibus tædis, sicut in fabulis: sed angore conscientiæ, fraudisq; cruciatu. Quod si homines ab injuria pœna, non natura arcêre deberet, quænam sollicitudo vexaret impios sublato suppliciorum metu? quorum tamen nemo tam audax unquam fuit, quin aut abnueret à se commissum esse facinus, aut justi sui doloris causam aliquam fingeret, defensionemq; facinoris à natura jure aliquo quæreret. Quæ si appellare audent impii, quo tandem studio colentur à bonis?*

Si jus non est, nemo est justus aut bonus.

Quod si pœna, si metus supplicii, non ipsa turpitudo deterret ab injuriosa facinorosaq; vita, nemo est injustus, sed incauti potiùs habendi sunt improbi. Tum autem, qui non ipso honesto movemur, ut boni viri simus, sed utilitate aliquâ atque fructu, callidi sumus, non boni. Nam quid faciet is homo in tenebris qui nihil timet nisi testem vel judicem? quid in deserto loco nactus, quem multo auro spoliare possit, imbecillum atque solum? noster quidem hic naturâ justus vir ac bonus etiam colloquetur, juva-

juvabit, in viam deducet: is verò qui nihil alterius causa facit, & metitur suis commodis omnia, videtis credo quid sit acturus. Quod si negabit se illi vitam ablaturum, nunquam ob eam causam negabit, quod id naturâ turpe judicet, sed quod metuat ne emanet, id est, ne malum habeat. O rem dignam in qua non modò docti, verùm etiam agrestes erubescant.

Præterea, si opinione jus constaret, posset nobis etiam contrarium ejus quod nunc probamus persuaderi, & possibile esset ut quis aliquando omnibus hominibus persuaderet, Deo maledicendum, parentes occidendos, amicos contumeliâ afficiendos esse: at nullius rhetoris eloquentia, nullius tyranni potentia nos ea imbuet opinione. Non enim patimur nobis persuaderi, omnia quæ tyrannis placent justa esse, quia videmus regulam aliquam justi in natura, cui potentioris jussus conformis esse debet. Cic. 1. de legib. *stultißimum est existimare omnia justa esse quæ scita sunt in populorum institutis aut legibus.* & paulò post: *quod si justitia est obtemperatio scriptis legibus institutisq́ue populorum, & si, ut iidem dicunt utilitate omnia metienda sunt, negliget leges easq́ue perrumpet si poterit is, qui sibi eam rem fructuosam putabit fore. Ita fit ut nulla omninò sit justitia, si neque naturâ est, & ea quæ propter utilitatem constituitur, utilitate aliâ convellitur.* & iterum post pauca: *Quod si populorum jußu, si principum decretis, si sententiis judicum jura constituerentur, jus esset latrocinari, jus adulterare, jus testamenta falsa supponere, si hæc suffragiis aut scitis multitudinis probarentur. Quod si tanta potentia est stultorum sen-*

Si jus opinione est, etiam scelera possunt jus fieri.

Digitized by Google

tentiis atque jussis, ut sotum suffragiis rerum natura vertatur, cur non sanciunt ut quæ mala perniciosaq; sunt habeantur pro bonis ac salutaribus? aut cur, cum jus ex injuria lex facere possit, bonum eadem non facere possit ex malo? Atqui nos legem bonam à mala nulla alia nisi naturali norma dividere possumus. In eandem sententiam loquitur Plato *in Minoë.* Epicuri antecessor Theodorus eò impudentiæ tandem devenit, ut putaret omne quod placuisset, jus fieri posse. Cum enim primò Deos sustulisset & jus naturâ constare negasset, affirmavit deinde, sapientis etiam esse in tempore furtis, adulteriis & sacrilegiis operam dare, nihil enim horum naturâ turpe esse, si auferatur de hisce vulgaris opinio, stultæ ac imperitæ plebeculæ erroribus conflata: imò non alienum esse à sapiente publicè sine pudore scortis congredi, talem enim ad usum nasci mulieres. *Laërt. in vita Aristippi.* En impudentiam hominis! ecquis dubitat huncPhilosophum beluis impudentiorem esse? Augustin. *lib. 14. de civ. Dei cap. 20.* idem de Diogene testatur. Quasi forma & modus agendi, ex quo tota actionis qualitas dependet, nihil ad actionem attineret. Si Ciceroni fidem habemus, etiam severi nostri Stoici in ea opinione fuerunt, nihil esse turpe nec in rebus nec in verbis, *epist. fam. 22. lib. 9.* Præclara, si diis placet, sententia, quæ haud dubiè manavit ex eo principio, quod putabant Deo quidvis libêre atque id statim justum esse posse, quod supra *lib. 1. cap. 16. & lib. 3. cap. 8.* refutavimus: sublata enim hoc

modo

Digitized by Google

modo justitia Dei, conclusére porro, ergo etiam homini furari & scortari justum esse posse, si id legislatori vel communi consuetudini placeat: Deo enim hæc indifferentia esse arbitrabantur. Haud alia mens fuit Agrippinæ, quæ cum filio suo Neroni incestum offerret, putabat licére si libéret. *Tacit. 14. annal.* & consiliariorum Cambysis, qui consulti an sororem liceret uxorem ducere? responderunt *Persarum Regi, licére quicquid libeat Herodo. lib. 3.* Ad quid ergo Theologia & Iurisprudentia prosunt? quid juvant ethica & politica præcepta? quid sacrarum literarum minæ, & descripta ab ethnicis quoque Plutonis regna sibi volunt, si jus esse potest quicquid libuerit? Et quid de exemplis pœnarum atrocissimis, quæ Deus in injustis exhibuit, dicemus? an Sodomitæ opinione tantum peccarunt & puniti sunt? ergone etiam Deus ipse de justitia sua præter opinionem nihil certi habet? Cesso reliqua: pudet enim me istorum hominum, Deum & rationem abnegantium.

Si jus est opinio, etiam bonum & beatitudo est opinio.

Sed & illud Ciceronis *ex d. lib. 1. de legib.* argumentum observandum est, quod dicit eâdem ratione etiam bonum & beatitudinem tantum opinione fore. *Ipsum bonum*, inquit, *non est in opinione sed in natura, nam ni ita esset, beati quoque opinione essent, quo quid dici potest stultius? quare cum & bonum & malum naturâ judicetur & ea sint principia naturæ, certè honesta quoque & turpia simili ratione dijudicanda & ad naturam referenda sunt.* Plura pro veritate

ritate juris argumenta lector ex Ciceronis *lib. 1. de legib.* petere poterit: urget autem inprimis hoc argumentum, quod jus sit ipsum bonum, & justitia expetatur per se ut omnes aliæ virtutes, esse ergo necessariò essentiale & reale quid in natura.

An positivum jus opinione constet.

Atque hæc non de jure naturali tantum, sed etiam de civili intelligi volumus, quia jus civile est pars ejus rationis, quam opinionem non esse huc usque disputamus. Nam quis dixerit ea quæ ex civilibus legibus percipimus bona, quæque ob civilem societatem honestè & utiliter ordinantur, meras opiniones esse: nisi quis rationem cum opinione confundere, & se loco rationalis animæ opinionem habere affirmare velit? Officia publica distingui, actiones certo ordine institui, certis solennitatibus corruptelas legum arceri, non ex opinione bona sunt, sed utilitatem suam maximam realiter exhibent. Videmus civilium officiorum simulacra in natura: apes tam benè dispoſita habent officia sua, ut nec meliorem politiam homines fingere possint, habent reges & subditos, puniunt furta, & judicia quasi exercent, bella etiam gerunt, & omnes quæ ad societatis salutem pertinent leges, naturâ observant: nec possent etiam sine his uno in alveo cohabitare. Formicæ apibus persimiles sunt, & putantur similem politiam exercere in cavernis terræ. Grues, quia gregatim volant, duces suos habent ac vigiles. *Plin. lib. 10. cap. 23.* Hæc non possunt humanâ persuasio-

ſuaſione & opinione in brutis ac inſectis eſſe, ſed quia ſocietas ſecundum naturam eſt, ea autem ſine ordine conſiſtere nequit; ergo etiam quæ ad ſalutem ſocietatis ordinantur, ſimulacra ſua & niſus habent in natura. Nec quicquam naturæ veritati officit civilium mutabilitas, quia tantum externi applicationum modi in civilibus mutantur, pro ut ratio & uſus id poſtulant, quemadmodum ſuperius diximus, ipſa interior forma & finis civilium legum ſemper manent. Ut quisque ſibi veſtem comparat, ſuæ ſtaturæ aptam, ſuo ſtatui & officio convenientem: & ut quisque ſibi domum ædificat, & diſponit res ſuas, pro ut ſuæ negociationi & commoditati id utile eſt: Ita etiam publicus paterfam. in ſua civitate diſponit prout ipſi utile eſſe videtur. Non omnis veſtis omnibus apta eſt; nec quævis domus cuivis utilis; nec omnis lex civilis ubique eſt proficua. In hiſce ergo ſe tempori & rerum uſui accommodare non eſt opinio, ſed optima & conſtantiſsima ratio. Conſtantiſsimam dico, quia vera forma, ratio & finis civilium non ſunt in externa applicationis forma, ſed in eo fine quod ſemper utilia, convenientia, & uſui rationabili commoda eſſe velint. Ergo nec in puris civilibus id ſtatim rationabile, juſtum & reipub. utile eſt, quod legislatori in mentem venit, ſed & ipſa pure poſitiva fundantur in veritate rationis, non in vanitate opinionis, aut in quavis temeraria voluntate hominis.

Ut au-

Argumenta adversariorum. Ut autem plerumq; homines, quando à veritatis tramite semel declinarunt, malunt argutias quasdam, quibus errorem suum pallient, comminisci, quam hallucinationem fateri: ita hic quoque juris calumniatores ratiunculas quasdam, quibus imperitæ plebi imponerent, excogitavere. Et quia barbarum vulgus cupiditate licentiæ in contemptum juris pronum est, non inutile fuerit tela adversariorum, quibus maximè confidunt, confringere.

1. Ius naturæ non esse notum. Primò putant, si jus naturâ sit, cuivis innatum & notum fore, ut ipsa natura omnibus est innata. At jus quidem natura omnibus innatum est, sed usus ejus est in arbitrio hominis. Deinde etiam ea quæ sine ullius contradictione naturâ sunt, non sunt in omnibus æqualiter, idque multis de causis potest contingere. Interdum enim natura vitio corporis impedita perfectionem suam non attingit, & ita quidam sunt planè cœci, alii cœcutiunt: an propterea visus videntium est opinio? quidam prodeunt ex utero altero pede destituti, *Solin. in Polyhist. cap.65.* an propterea omnes homines sunt unipedes? Interdum natura vitio animi finem suum assequi nequit, quemadmodum in ebriis & ignavis videmus, qui vix belluas superant intellectu. Imputet quisque suæ socordiæ quod minus intelligit: jus certe naturâ ita comparatum est ut ab omnibus sciri posſit. Est verò id impudentis arrogantiæ, tantam suæ socordiæ tribuere sapientiam, ut quæ ipse resupinâ negligentiâ

Digitized by Google

gentiâ oſcitans non intelligas, pures à nemine intelligi, & erroneâ opinione omnes deludi, niſi te adſtipulatorem veritatis habeant. Multa ſunt omnibus in artibus veriſsima & naturâ certiſsima, quæ ſoli artifices cognoſcunt, ac imperito tyroni verbis indicare nequeunt, quia intellectus & judicium de rebus non modò ex verbis docentis, ſed etiam ex ingenio audientis & ex uſu tractantis eſt, quapropter nihil refert quid inſcii judicent, ſtandum eſt judicio intelligentium. Ideò etiam de civilibus ſeu poſitivis juris nemo rectè judicare poteſt, niſi objectum juris civilis, civilem ſocietatem cognoverit, ad quod uſu & experientia opus eſt.

Secundò dicunt adverſarii, ipſos juris autores ſibi non conſtare: Lycurgum furta eduliorum conceſsiſſe, Draconem capite plectendum ſtatuiſſe qui alienum florem decerpſiſſet: Moſen *Gen.* 2. & Iureconſultos, *D. de ritu nupt.* nuptias ita deſcribere, quod ſint *conjunctio unius viri cum una fœmina, quæ individuam vitæ conſuetudinem contineat*: eoſdem alibi divortia concedere; polygamiam alibi permitti, alibi capitali pœnâ prohiberi; quin unum eundemque legiſlatorem modo affirmare quæ nuper negarat, & infinitam eſſe in jure varietatem, cum ea quæ natura ſint, ſemper firma, certa & finita deprehendantur. Reſpondemus, diſtinguenda hic eſſe naturalia à poſitivis, & ea quæ ſimpliciter per ſe conſiderantur aliter aſpicienda, quàm quæ conferuntur cum rationibus majorum aut mino-

2. Autores juris ſibi non conſtare.

minorum bonorum: deinde distinguenda esse tempora & objecta, circa quæ jus redditur: & tandem, externos applicationum juris modos cum jure ipso non esse confundendos. Nam qui juris autores inconstantiæ arguere vult, primò videre debet an de naturali, an de purè civili, an verò de mixta lege & ratione loquatur, & an facta quæ sibi invicem opponit, omnibus modis eadem sint, nullamque temporis, loci, personarum, formæ reipub. vel alterius circumstantiæ habeant varietatem, an item legislatoris ratio ubique sit spontanea, an verò mixta & præ malis majoribus approbata. Qui hæc non consideraverit, rationem ab aliis sine ratione postulabit: qui verò id fecerit, haud facilè aliquid invenerit, in quo juris autores inconstantiæ arguere posit. Rationes autem quæ legislatores movere potuerint non semper extant in legibus, sæpius petendæ sunt ex historiis & ex forma reipub. Quia autem hæc sunt facti, & quia prudentissimos latere potest, quæ necessitas coegerit, quæve ratio persuaserit hoc potius quam illud eligere, ergo etiam in rationibus legum antiquarum interdum probabiles conjecturæ suum locum obtinent. Quâ de causa Moses divortia tolerasset, forte valde controversa esset quæstio, nisi nobis causam indicasset Christus *Matth. 19. v. 8.* nempe *propter duritiem cordis*. Erant Israelitæ tam duræ cervicis ut cum uxoribus exosis nullo modo vellent in gratiam redire, sed lædebant se conjuges mutuò

& ca-

Digitized by Google

& capitalia odia exercebant: divortia verò jam sensim invaluerant ut sine scandalo fieri possent, aut si Moses ea primus concessit, minus mali habebant quàm illa familiaria jurgia. Postquam verò homines iis libidinosè abuti cœperunt, potestate gladii & terrore mortis prohibita sunt, exceptis certis causis magistratui probandis. Eadem est ratio polygamiæ; invaluerat ea ante Mosen, & apud paucos erat in usu, ut nemini esset scandalo, nec poterat publicâ lege damnari, sine gravi præjudicio sanctissimorum patrum Abrahæ & Iacobi, quod valdè scandalosum fuisset: nostro verò tempore cur ea concedi non possit alibi diximus. Alia erant tum tempora, alia reip. forma, alii mores populi Israelitici, nostris longè dissimilimi. Lycurgus omnia furta non probavit ut Xenoph. *de repub. Laced.* testatur: eduliorum furta sola pueris impunita esse voluit, optimâ ratione. Non poterant pueri in sobria illa Lacedæmoniorum vita semper contenti esse ordinaria cibi portione, si quid ergo fame coacti surripuissent, id condonabatur ætati & necessitati, & excusabatur quod non posset in hæc delicta inquiri: pueros fame coactos esse: nemini vitio vertendum si famem solari voluisset: inprimis pueris eam culpam condonandam, cum non dolo sed puerili lusu vel calliditate aliis surripuerint: sibi imputare debere qui panem suum non custodierint: ingenia puerorum servilibus plagis non esse obtundenda.

denda. Ita excusabantur qui in ipso furto eduliorum non essent deprehensi, & quidem pueri tantùm, in quos pœna furti cadere non poterat propter defectum dolosi consilii; sine quo furtum non committitur. Si tamen ipso in facto deprehensi fuissent, vapulabant. Si edulia jam comedissent, impunè erat factum fateri & aliorum negligentiam irridere, quia aliàs pueri didicissent mentiri, & inquisitio publica, personæ ac rei vilitati non conveniens, fuisset instituenda. Has rationes nobis suggerunt Plut. *in instit. Lacon. in Lycurgo.* & Xenoph. *de repub. Laced.* Cur eas Lycurgi rationes improbemus, causam nullam video, cùm idem jus nostris legibus obtineat *§. penult. Instit. de oblig. quæ ex del. nasc. l. impuberem 23. D. de furt. Covarruv. in reg. peccatum. part. 2. §. 1. n. 3.* & optimam habeat rationem. De Dionysio Syracusanorum tyranno Plut. *in apophi.* inquit, *cum reliqua maleficia acerbè vindicaret, vestium furibus solis pepercit, ut Syracusani cogerentur aliquando finem convivandi & sese invicem inebriandi facere*: nisi nobis Plutarchus indicasset, id factum in odium & pœnam heluonum, ut non inquireretur si quid per ebrietatem amisissent, miraremur omnes cur sola vestium furta non puniisset Dionysius? Eadem ratione Prætor negavit se aleatorum susceptori judicium daturum, si verberatus fuerit aut damnum fecerit ab aleatoribus. *l. 1. D. de aleator.* miraremur cur Prætor furtis & injuriis atrocibus impunitatem promitteret, nisi ipsa lex rationem

tionem afferret, id factum in odium eorum qui aleatores suscipiunt. Quod autem Draco tam severus fuerit in pœnis, causam hanc esse suspicor, quia haud dubiè vidit agrestem & ferum populum suum (olim enim Græci ut latrones ex rapto vivebant *Thucid. lib. 1. Plut. in Theseo*) non posse nisi severissimis pœnis in officio contineri, & nisi ipse publicè tam severe plecteret, privatos iterum arma arrepturos & suas injurias multò crudelius vindicaturos: has pœnas Solon postea, mutatis Græcorum moribus, mutavit. Omnibus in locis & regionibus, quo barbariores populi, eo pœnæ sunt rigidiores, quia effera barbaries pœnas mitiores despicit: quo cultiores populi, eò etiam humaniores pœnæ. Iureconsulti dicunt ex facto jus sumi. *l. si ex plagis 52. §. 2. D. ad l. Aquil.* & jus ex re constitui. *l. 1. §. 3. D. ad l. Corn. de Sicar.* quo indicant circumstantias temporum & factorum considerandas esse, quod si nos fecerimus, Lycurgum, Draconem & alios legislatores pro suorum temporum & rerump. statu non absurdas leges tulisse deprehendemus. Fatendum etiã est Iurisconsultos & legumlatores interdum aberrare posse, quia homines sunt: at inde nequaquam sequitur, totum jus erroribus ac opinionibus constare: quin potius eo ipso probamus jus altissimis in natura hærere radicibus, quia tot erroribus petitum, tot arietibus falsarum opinionum percussum, tamen nec everti nec labefactari potest. Quo magis jus infestatur ab er-

rantibus, eò magis confirmatur & defenditur à sapientibus: si opinione constaret, à sapientibus jam dudum desertum, & à vulgo contritum esset. Sic oculus hominis in videndo, manus in apprehendendo sæpè fallitur, nec tamen visus & tactus opinionibus constant. Si ipsi sensus externi sæpè falluntur, mirandum non est judicia quoque, quæ pluribus & subtilioribus objectis obvia sunt, sæpè variare. Si omnes disciplinæ, quæ dissentientium opinionibus vellicantur, falsæ sunt, nihil erit veri in universa natura, quia nihil est de quo non disputetur. Cicero *lib. 1. de legib.* hanc objectionem ita diluit: *Sed perturbat nos, inquit, opinionum varietas hominumq; dissensio: & quia non idem contingit in sensibus, hos naturâ certos putamus, illa quæ aliis sic, aliis secus, nec iisdem semper uno modo videntur, ficta esse dicimus. Quod est longe aliter. Nam sensus nostros non parens, non nutrix, non magister, non poëta, non scena depravat, non multitudinis consensus abducit à vero: animis omnes tenduntur insidiæ, vel ab iis quos modò enumeravi, qui teneros & rudes cum acceperunt inficiunt & flectunt ut volunt, vel ab ea quæ penitus in omni sensu implicata insidet imitatrix boni voluptas, malorum autem mater omnium, cujus blanditiis corrupti quæ naturâ bona sunt, quia dulcedine hac & scabie carent, non cernimus satis.* Et paulò superius dixerat: *tanta est corruptela malæ consuetudinis, ut ab ea tanquam igniculi extinguantur à natura dati, exoriunturq; & confirmentur vitia contraria. Quod si, quo modo est natura, sic judicio homines humani (ut ait Poëta) nihil à se alienum putarent, coleretur jus æquè ab omni-*

ab omnibus. Et ita etiam Stoici ſtatuebant *διαςρέφεσθαι τὸ λογικὸν ζῶον ποτὲ μὲν διὰ τὰς τῶν ἔξωθεν πραγματειῶν πιθανότητας· ποτὲ δὲ διὰ τὴν κατήχησιν τῶν συνόντων· ἐπεὶ ἡ φύσις ἀφορμὰς δίδωσιν ἀδιαςρόφους. Depravari animal rationis particeps interdum negotiorum externorum impulſione, & inductione, interdum eorum qui unà ſunt doctrina & magiſterio, natura enim principia tribuit non depravata. Laert. in Zenone.* Juris autores ergo, quando civilibus legibus ſuo tempori & reip. aptiſsimis utuntur, vel quando majus damnum anteponunt minori, nullam veræ juris eſſentiæ mutationem introducunt, nec errore ſed optimâ ratione agunt. Si tamen interdum (quod rarò & ad breve tempus fit) error aliquis ſubintrat, is humanæ imperfectioni condonandus, juri autem ipſo non eſt imputandus.

Sed ulterius inſtant adverſarii & dicunt, ſervari illas quoq; leges quarum ratio nulla reddi poſsit, *l. non omnium, cum 2. ſeq. D. de legib. l. omnis definitio 202. D. de reg. jur.* & jureconſultos ipſos fateri nonnulla contra rationem juris conſtitui, *l. quod vero, 14. & 2. ſeq. D. de legib.* & errores jus facere. *l. ſupellectili. 3. §. ult. D. de ſupell. leg.* videntur itaq; juris compoſitores errores & opiniones conſultò defendere, & jus magna ſui parte erroribus conſtare ultrò fateri. Verum Jureconſultus *in d. l. non omnium.* non dicit leges ſine ratione conſtitui & opinionibus conſtare, ſed nos rationes legislatoris interdum ignorare. Multæ leges Romæ promulgatæ ſunt, de quibus *3. Jureconſultos non errore conſtare fateri.*

 diu

diu & studiosissime deliberatum fuit, quarum tamen rationes nos ignoramus & non nisi ex verisimilibus conjecturis reddere possumus, at eas propterea despicere nimis esset fastidiosum. In *l. 14. 15. & 16. D. de legib.* dicitur nonnunquam ex speciali ratione constitui aliquid contra rationem juris generalem, ut in privilegiis & remunerationibus benè meritorum: nam in distributione præmiorum aliquem respectum factorum & personarum habere non error est, sed optima ratio. Quando autem errorem jus facere dicunt Iureconsulti, hoc volunt, errorem levem potius dissimulandum, quam ut rescissione eorum quæ acta sunt antiqua vulnera refricemus, lites immortales semperq; redivivas faciamus, & cives nostros magistratuum ac juris contemptui assuefaciamus. Ea mens est Pauli *in d. l. 3. §. ult. D. de supell. legata.* Priscis enim temporibus non concessum erat civibus Rom. argenteam supellectilem habere ut *ex d. §.* intelligimus, ergo lex eo tempore de supellectile lata non poterat de argentea supellectili intelligi, quæ nondum erat. Aucto postea luxu, Romani vasa, crateres, candelabra & omnis generis instrumenta domestica, non ad ornatum tantum, sed etiam ad quotidianum usum ex argento conficiebant, quapropter non immeritò inter supellectilem numerari cœperant, *l. supellectilis. 6. l. 7. §. 1. D. eod.* legata itaq; supellectile putabant vulgus ex lege etiam candelabra & vasa argentea deberi, de quibus tamen legis-

Quomodo error jus faciat.

legislator non erat locutus. Quia tamen à mente legislatoris & definitione supellectilis alienum non erat, etiam argentea vasa, si testator ea in quotidiano usu habuisset, supellectili annumerari, nonnunquam in supellectile præstabantur, teste Paulo *d. §. ult. & Papin l. legata. 9. §. 1. D. eod.* Quærebatur à Paulo, an vasa argentea, per errorem ex legato supellectilis præstita, repeti possent? negat ille posse hæredem tanquam non supellectilem repetere quod ipse tanquam supellectilem præstitisset, & hunc errorem jus facere ait. Et hoc sæpius in jure evenit ut quis quod civiliter non debuit, si solverit, repetere non posit, si modò naturalis quædam ratio debendi affuerit: quia error civilis non debet infecta reddere quæ naturali jure adimpleta sunt, & in pari causa, quando rationes posidentis æquè firmæ sunt atque repetentis, melior est ratio posidentis. Sic & in aliis casibus error aliquando jus facit, ut si quis aliquem per errorem ex falsa causa manumisisset *l. 9. D. de manum. vind. §. semel. 6. Instit. quib. ex ca. man. non lic.* si servus in testamento testis adhibitus fuisset, cum putaretur esse liber. *§. sed cum aliquis. Instit. de testam. ordin.* si mandatarius ignorans mortem mandantis aliquid egisset. *§. item si adhuc. 10. Instit. de mandato.* In his & similibus casibus valet quod actum est, ob errorem facti, qui hominem facilè decipere potest. Si consultò id factum esset, non valeret, quia dolo & in fraudem legum esset actum: at humanus error fa-

cit ut valeat & jus ſit quod aliàs non valeret. Eſt enim reipub. & contractibus periculoſum, reſcindere omnia quæ alicubi humanus attigit error. Non tamen, quia aliquando error facit ut jus ſit & probetur quod alias reprobaretur, inde efficitur totum jus erroribus conflari, quin imò eo ipſo, quod in jure error committi poteſt, probamus jus naturâ & ratione conſtare, alioquin nemo in jure malè opinari & errare poſſet. Omnis error opponitur veritati, ergo ſi in jure error deprehendi poteſt, præſupponitur veritas à qua errans deviavit: veritas autem eſt naturale quid & reale. Lex penult. verſ. Prætor quoque *D. de juſt. & jure*, ſeipſam ſatis explicat. Objici etiam poſſet lex proſpexit *12. §. 1. D. qui & à quib. manum.* ſed ea nihil iniqui erroris habet, ſi modò conſideremus bonum publicum privato præferendum. Nam cum legislator videret mulierem, priuſquam divortium faceret, poſſe ſervum adulterii reum aut conſcium rus ablegare & ita legi fraudem facere, expreſsis verbis vetuit etiam illos manumitti ſervos, qui extra miniſterium mulieris fuiſſent. Duram hanc legem putat Iureconſultus ſervis innocentibus, at publicæ honeſtati tuendæ eſt utiliſsima, ut manumiſsio tali in caſu tantillum ſuſpendatur, dum quæſtio de adulterio potuerit haberi. Ad l. libertatem *28. C. de nupt.* in qua lex Papia *crudeliſsima ſanctio* vocatur, reſpondeo diſtinguenda eſſe tempora. Lata eſt lex Papia illo tempore quo Romani Senatores

Regi-

Regium splendorem præ se ferebant, ut Cineas regis Pyrrhi legatus putabat, se tot reges vidisse Romæ quot senatores, *Eutrop. lib. 2.* & eo tempore non erat absurdum tanti ordinis autoritatem tueri & libertinarum connubiis non maculare: at cum sub Imperatoribus autoritas senatus esset imminuta, & tandem libertinarum mariti in senatum cooptarentur, tum non opus erat priscam severitatem legis Papiæ observare. Nec debet judicium nostrum statim corrumpere vocula aliqua legi inserta, nam lex Papia *crudelis* non fuit, etsi Iustinianus eam ita vocet: fortè respectu illarum personarum, quarum gratia lex Papia abrogata fuit, durior visa est, quæ tamen olim rationabiliter & utiliter observabatur.

Sed non est hujus loci omnia specialiter explicare, & puto hæc sufficere ut jus nostrum non opinionibus conflatum esse, sed naturâ & prudentum rationibus constare obtineamus, temerariosq; censores honestius de jure sentire, ac consideratius judicare moneamus. Idem Plato facere voluit *lib. 1. & 2. de republ.* ubi docet jus naturâ constare, non opinione, & Aristot. *5. eth. 7. al. 10.* Cicero *2. de legib.* inquit: *Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendiq; sapientiâ.* Stoici quoque non omnes tam absurdi fuerunt ut putarent jus opinione esse, ideò Laërt. *in*

Ius opinione esse negant verè docti.

Zenone docet eos statuisse φύσει τὸ δίκαιον εἶναι καὶ μὴ θέσει, ὡς καὶ τὸν νόμον καὶ τὸν ὀρθὸν λόγον, *natura esse jus, non positione: sicuti & legem & rectam rationem.* Subscribamus ergo nos quoque sapientissimorum sententiæ, & contrariam opinionem, quæ totius juris eversionem molitur, abjiciamus, hoc enim dato, quod justa opinione tantùm sint, vel quod injusta Deo ullo modo placere possint, omnia pietatis & honestatis fundamenta tollerentur.

Atque hæc in præsentia de principiis juris dicta sufficiant, in quibus nos juris, à veritate justissimi Dei & rectâ ratione hominis oriundi, principia ostendisse spero, tam certa & nobilia, ut cum principiis aliarum artium facile possint contendi. Quibus omnibus conclusionis loco hanc admonitionem subjicimus, ut perpendat homo, quam pulchra, quam admiranda, & quam planè divina sint omnia quæ à Deo habet naturalia! Sive enim corporis dona consideres, sive animi, nihil est in toto homine quod pro dignitate sua satis prædicari possit. Humanum corpus totum mundum cum omnibus suis ornamentis vincit, cùm gratiâ tùm artificio. Quis verò virtutes facultatum animæ, in naturali sua bonitate consideratas, satis dignè prædicaverit? quis unquam virtutem minimam verbis satis celebrare potuit? Ut compendio dicam, totus homo ex mera bonitate & virtute naturaliter compositus est, ita ut nihil liceat invenire in homine quod in sua essentia

tia


Digitized by Google

tia non ſit ineffabiliter bonum. Si igitur omnia à Deo creata bona ſunt, & homo ſupra illa omnia eſt optimus mundi incola, quanto nos ſtudio par eſt virtutes colere? quanto odio & quam dira execratione digni ſunt juſtitiæ hoſtes? Impoſsibile eſt Deum aut hominem poſſe benè velle iis, qui ſeipſos & Deum in naturalibus ſuis donis abnegant. Tanto ergo ſtudio colamus juſtitiam & Deum juſtitiæ autorem, quam ſeriò volumus gratia Dei & pulcherrimarum virtutum fructibus cum exultatione frui.

FINIS.



Digitized by Google



INDEX IN LIBROS V. DE PRINCIPIIS IURIS.

Prior numerus librum indicat, alter caput.

A.

Acquisitio dominij est juris gentium. lib. 4. cap. 12.
Actiones cujus juris. lib. 4. c. 12.
Actiones divinæ quæ. lib. 1. c. 16.
Actiones humanæ quæ. lib. 1. c. 16.
Actiones existunt in particularibus. lib. 1. c. 13.
Actiones humanæ omnes existunt ex voluntate hominis lib. 1. cap. 13.
Actiones mixtæ quæ. lib. 1. c. 13.
Æquum & bonum sunt idem. lib. 2. c. 3.
Æquitas est materia juris. lib. 2. c. 3.
Æqualitas omnium hominum est juris naturæ. lib. 3. cap. 5.
Agnitio sui est juris naturæ. lib. 3. c. 4.
Alienatio dominij est juris gentium. lib. 4. c. 12.
Amore impletur jus naturæ. lib. 3. c. 1.
Amor est finis omnis juris. lib. 3. c. 1.
Amor mutuus est juris naturæ. lib. 3. c. 4.
Angelorum ignoratio genuit falsos Deos. lib. 1. c. 5.
Anima est principium motus. lib. 1. c. 7.

Animam

Animam rationalem propagari. lib. 1. c. 9.
Animalia bruta natura ad bonum ducuntur. l. 2. c. 4.
Animi candor est juris naturæ. l. 3. c. 3.
Appetitus, vitæ principium, in omnibus creaturis est. l. 1. cap. 12.
Arbitrium liberum in homine non est. l. 1. c. 14.
Auxilia mutua sunt juris gentium. l. 4. c. 8. 9.

B.

Bella sunt juris gentium. lib. 4. cap. 11.
Bonum est Deo essentiale. l. 1. c. 3.
Bonum est materia juris. l. 2. c. 3.
Bonum est jus ipsum. l. 2. c. 3.
Boni partes, honestum & utile. l. 2. c. 3.
Bonum volunt omnes leges & omnia jura. l. 2. c. 3. 4.
Bonum publicum privato præfertur. l. 2. c. 4.
Boni appetitus est naturalis. l. 3. c. 4.
Bonorum verus usus est juris naturæ. l. 3. c. 6.
Bonum summum est jus naturæ. l. 3. c. 12.
Brutorum natura inclinat in virtutes & in bonum. lib. 2. cap. 4. 8.
Brutis jus non competit. l. 2. c. 8.
Bruta non faciunt injuriam. l. 2. c. 8.

C.

Candor animi est juris naturæ. lib. 3. cap. 3.
Castitas est juris naturæ. l. 3. c. 5.
Casus conscientiæ qui. l. 3. c. 9. l. 5. c. 10.
Casu an fiant omnia. l. 1. c. 17.
Ceremoniæ externæ cujus juris. l. 4. c. 9. 12.
Civitas mari collata. l. 1. c. 1.

Civilis

Digitized by Google

Civilis vitæ regula. lib. 1. c. 10.
Civile quid. l. 5. c. 1.
Civitas duplex. l. 5. c. 2.
Civilia jura duplicia. l. 5. c. 2. 6.
Civilia mera quæ. l. 5. c. 2.
Civiles leges quando primum latæ. l. 5. c. 5.
Civilis juris finis. l. 5. c. 3.
Civilium ratio civilis. l. 5. c. 3.
Civitas quomodo nascatur. l. 5. c. 4.
Civiles leges fert majestas. l. 5. c. 4.
Civilia jura an ferenda in ecclesia. l. 5. c. 5.
Civilia jura quomodo sint mutabilia. l. 5. c. 7.
Cœlestis lex, pro divina. l. 1. c. 4.
Cœli lex. l. 1. c. 5.
Cœlum an vivat. l. 1. c. 5.
Cœlestis musica philosophorum quid. l. 1. c. 5.
Cœli virtus est fatum. l. 1. c. 15.
Communio bonorum est juris naturæ. l. 3. c. 6.
Communio uxorum est contra naturam. l. 3. c. 5.
Conjugium est juris naturæ. l. 3. c. 5.
Consensus parentum in nuptiis liberorum, cujus juris sit. l. 4. c. 9.
Contractus sunt juris gentium. l. 4. c. 12.
Creaturæ Dei omnes vivunt vel vitæ principium habent. l. 1. c. 5.
Cupiditas non efficit actionem violentam. l. 1. c. 13.

D.

Debitorum sectio quid. lib. 2. c. 4.
Defensionis omnes species juris gentium sunt. l. 4. c. 8.
Defensionis requisita. l. 4. c. 10.

Despe-

Digitized by Google

Desperatio est contra jus naturæ. l. 4. c. 19.
Deum esse. l. 1. c. 3.
Deus proprium est jurisprudentiæ proœmium. l. 1. c. 3.
Deum esse justum, bonum, &c. l. 1. c. 3.
Deus est lex ipsa. l. 1. c. 4. l. 3. c. 8.
Deus humana respicit. l. 1. c. 3.
Deus primum juris principium. l. 1. c. 4.
Deorum multitudo unde. l. 1. c. 5.
Dei voluntas non tollit voluntatem hominis. l. 1. c. 16.
Dimidium plus toto. l. 1. c. 1.
Divinæ actiones quæ. l. 1. c. 16.
Divortia cur concessa. l. 3. c. 10.
Dolus malus est spontaneus. l. 1. c. 13.
Dolo malo acta non valent. l. 1. c. 13.
Dominiorum distinctio est juris gentium. l. 4. c. 12.
Dominij acquisitio & alienatio est juris gentium. l. 4. c. 12.
Domus quæ dicatur l. 5. c. 4.
Duella provocantium se an licita. l. 4. c. 11.

E.

Ebrius differt ab ebrioso. l. 1. c. 13.
Educatio liberorum est juris naturæ. l. 3. c. 5.
Evangelij & legis consensus. l. 1. c. 8.
Errorum commune principium. l. 1. c. 5.
Errorum fructus. l. 1. c. 1.
Error quomodo vitari possit. l. 1. c. 8.
Error quomodo jus faciat. l. 5. c. 15.
Executiones cujus juris sint. l. 4. c. 12.
Exordium juris Deus l. 1. c. 3. & lex divina. l. 1. c. 4. & lex naturæ. l. 1. c. 6.

Familia,

Digitized by Google

F.

Familia, & familiaria jura. lib. 5. cap. 4.
Fas quid sit. l. 2. c. 5.
Fatum est jussus cœli. l. 2. c. 5.
de Fato copiosè. l. 1. c. 5. 15.
Fidei justitia ratione non cognoscitur. l. 1. c. 8.
Fidem servare est juris naturæ. l. 3. c. 3.
Fœdera sunt juris gentium. l. 4. c. 12.
Fontes juris duo. l. 1. c. 10.
Forma est principium motus. l. 1. c. 7.
Forma hominis. l. 1. c. 7.
Formulæ solennes quid prosint. l. 2. c. 4.
Fortuna an regat humana. l. 1. c. 17.
Forum soli & poli quid differant. l. 5. c. 14.
Furta an probet Deus. l. 3. c. 9.
Furti pœna quæ licita. l. 5. c. 8.

G.

Gentium jure an sit opus. l. 4. c. 1. ejus præcepta. l. 4. c. 7. & seq. cur sit introductum. l. 4. c. 2. ejus differentia à jure naturali. l. 4. c. 3. ejus appellatio. l. 4. c. 4. ejus definitio. l. 4. c. 5. quod sit duplex. l. 4. c. 5. quod sit immutabile. l. 4. c. 13.
Graduum prohibitorum ratio in conjugiis. l. 3. c. 10.
Gratitudo est juris naturæ. l. 3. c. 5.

H.

Homines quomodo pro Diis haberi cœpti. l. 1. c. 5.
Hominis partes corpus & anima. l. 1. c. 7.
Homo spiritualis quis. l. 1. c. 7.

Hone-

Digitized by Google

INDEX.

Honestum est pars boni. l. 2. c. 3.
Honestum jubetur à jure. l. 2. c. 3.
Honestas est juris naturæ. l. 3. c. 5.
Humana lex quæ. l. 1. c. 7.
Humanæ actiones. l. 1. c. 16.
Humanum jus duplex. l. 2. c. 8.
Humanitas hominum propria. l. 3. c. 4.

I.

Idea unde nata. l. 1. c. 5.
Ignoratio an faciat actionem invitam. l. 1. c. 13.
Ignorantia affectata quæ. l. 1. c. 13.
Ignorantia duplex est. l. 1. c. 13.
Ignorantem & ex ignorantia agere differunt. l. 1. c. 13.
Ingeniorum optimorum abusus pessimus. l. 1. c. 9.
Imago Dei in homine quid. l. 1. c. 8.
Intelligentiæ unde efficta, l. 1. c. 5.
Integritas præcipitur jure naturæ. l. 3. c. 3.
Invita actio quæ. l. 1. c. 13.
Jucunda non esse violenta. l. 1. c. 13.
Ius differt à lege. l. 2. c. 1. *& sæpe usurpatur pro lege. ibid. unde dictum.* l. 2. c. 2. *in prima & propria significatione quid sit.* l. 2. c. 1. 2. *in prima significatione quadruplex.* l. 2. c. 5. *est ipsum æquum & bonum.* l. 5. c. 3. *an sit opinio.* l. 5 c. 15. *est unum.* l. 5. c. 13.
Iuris species primæ an duæ, an tres. l. 4. c. 5.
Ius mixtum. l. 5. c. 11.
Ius humanum propriè dictum quid. l. 2. c. 6.
Ius divinum quid. l. 2. c. 5.
Ius cœli est fatum. l. 2. c. 5.
Ius naturæ dicitur quatuor modis. l. 2 c. 5. *duplex est.* l. 2. c. 9. *an sit in brutis.* l. 2. c. 8. *impletur amore.* l. 3. c. 1.

præstat omnibus juris speciebus. l.3.c.1.12 obligat omnes l.3.c.7. est immutabile. l 3.c.8. & seq. est unum & unitas. l.3.c.8. ejus finis. l.3.c.1.12. ejus præcepta. l.3.c.3. & seq. ejus nota generalis l.3.c.2. ejus definitio. l.3.c 1. ejus cum jure gentium confusio. l.2.c.9. ejus lex seu norma. l.1 c.10.
Iuris civilis norma & regula l.1.c.10.
Iuris gentium regula. l.1.c.10.
Ius gentium. vide Gentium.
Iurisprudentiæ dignitas. l.3.c.12.
Iurisconsultus quid differat a theologo in explicatione juris. l. 2. c.7.
Iurisconsulti finis. l.2.c 7.
Iurisconsultos occupari circa summum bonum. l.3.c.12.
Iustitia, ethnicorum dea, repudiata. l. 1.c.3.
Iustitia alia fidei, alia operum. l.1.c.8.
Iynges unde. l. 1. c.5.

L.

Lata culpa, ex qua ignorantia nascatur. l. 1.c. 13.
Legis significatio varia. l.1.c.4.
Legum rationes suppeditant principia juris. l.1.c.14
Leges allegans quid præsupponat. l.1.c.2.
Leges imperant, non persuadent. l. 1. c. 2.
Lex gubernans quadruplex. l.1.c.4.
Lex divina quæ. l.1. c.4.
Lex divinæ voluntatis regit omnia. l.1.c.4.
Lex cœli quæ. l. 1. c. 5.
Lex naturæ quæ. l. 1. c.6.
Lex humana quæ. l. 1. c. 7.
Lex peccati in homine. l.1. c.7.
Lex rationis in homine. l.1. c. 7.

Lex mo-

Digitized by Google

Lex moralis Dei cognoscitur à nobis imperfectè. l. 1. c. 8. cognoscitur ratione. l. 1. c. 8.
Lex naturalis vitæ. l. 1. c. 10.
Lex vitæ omnium gentium. l. 1. c. 10.
Lex vitæ civilis. l. 1. c. 10.
Lex civilis fertur à majestate. l. 5. c. 4.
Lex jubet bonum. l. 2. c. 3.
Libertas est juris naturæ. l. 3. c. 5.
Liberalitas est juris naturæ. l. 3. c. 6.
Liberorum educatio est juris naturæ. l. 3. c. 5.
Liberum arbitrium in homine non esse. l. 1. c. 14.

M.

Magistratus officium & dignitas. l. 5. c. 4.
Majestas quid. l. 5. c. 4. ejus officium. ibid. an sit subjecta legib. l. 3. c. 7. l. 4. c. 13.
Majus bonum præfertur minori. l. 3. c. 9.
Mala à Deo non esse. l. 1. c. 16.
Manumissio est juris gentium. l. 4. c. 11.
Materia juris est æquum & bonum. l. 2. c. 3.
Matres liberos non habent in potestate. l. 3. c. 9.
Mixtæ actiones quæ. l. 1. c. 13.
Mixtum jus, quod. l. 5. c. 11.
Molesta an sint violenta. l. 1. c. 13.
Mores an sequantur temperamentum corporis. l. 1. c. 15.
Morale jus est naturale. l. 3. c. 1.
Mosaicarum legum distinctio. l. 5. c. 6.
Mosaicæ leges quæ non observentur. l. 5. c. 9.
Motus rei ab anima & forma. l. 1. c. 7.
Multitudo uxorum an possit excusari. l. 3. c. 10.
Mundus an vivat. l. 1. c. 5.
Musica cœli quid. l. 1. c. 5.

Digitized by Google

in mutationibus quid considerandum. l. 2. c. 4.

N.

Natura varia acceptio. l. 1. c. 6.
Natura communis quæ. l. 1. c. 6.
Natura quid. l. 1. c. 7.
Naturale quid. l. 1. c. 7.
Natura humana in quo consistat. l. 1. c. 7.
Naturalis vitæ regula. l. 1. c. 10.
Naturam quam laudent philosophi. l. 1. c. 10.
secundum naturam vivere quid. l. 1. c. 10.
Natura semper ad bonum tendit. l. 2. c. 4.
Naturale jus quod. l. 2. c. 9.
Naturale jus dici quatuor modis. l. 2. c. 5.
Nefas quid. l. 2. c. 5.
Negligentia mater inscitiæ. l. 1. c. 5.

O.

Obligationes cujus juris. l. 4. c. 12.
Objectum jurisconsulti homo. l. 2. c. 8.

P.

Pacta sunt juris gentium. l. 4. c. 12. l. 5. c. 12.
Pagus quomodo constituatur. l. 5. c. 4.
Parentum amor est juris naturæ. l. 3. c. 5.
Patria naturaliter chara est. l. 3. c. 5.
Patria potestas est juris civilis. l. 3. c. 9.
Pax est juris naturæ. l. 3. c. 6.
Peccatum non est de natura. l. 1. c. 7.
Peccatum non est de essentia hominis. l. 1. c. 7.
Peccati lex in homine. l. 1. c. 7.
Philosophiæ in jure utilitas. l. 1. c. 1. 2.
Philosophiæ cum jure cognatio. l. 1. c. 1.

Philo-

Digitized by Google

Philosophia exhibet juris principia. l.1. c.2.
Pœnarum modi sunt civiles. l.5. c.8.
Pœna furti quæ justa. l. 5. c. 8.
Pœnæ quatenus sint juris gentium. l. 4. c. 9.
Politicæ & jurisprudentiæ cognatio. l. 1. c.2. & l.5. c.3.
Polygamia patrum excusatur. l.3. c. 10.
Positivum jus quod. l. 4. c.4. l. 5. c. 1.
Potestas patria est juris gentium. l. 4. c. 9.
Potestas maritalis est juris gentium. l.4. c.9.
Prædestinatio Dei non tollit voluntatem hominis. l.1.c.16.
Præscientia Dei non tollit voluntatem hominis. l. 1. c.16.
Præsumptiones juris unde nascantur. l.2. c.6.
Præsumptiones juris quotuplices. l. 2. c.6.
Princeps an subsit legib. vide Majestas.
Principia juris cur discenda l.1 c.1. *unde haurienda.* l.1.c.2.
Principium juris primum Deus. l. 1. c. 4.
Privilegia omnia sunt civilia. l. 4. c. 13.
Proœmium legum proprium Deus. l 1. c.3.
Providentia Dei non tollit voluntatem hominis. l.1. c. 16.
Provocationes ad duella cujus juris. l 4. c.11.
Pubertas an olim inspectione probata. l.2. c. 4.
Pudicitiam licet defendere. l. 4. c. 10.

R.

Ratio humana fato non regitur. l.1.c.5.15. *regit hominem ut hominem.* l.1. c.7. *est summa lex humana.* l. 1.c.7. *cognoscit voluntatem legis divinæ.* l. 1. c.8. *non est contra evangelium.* l 1.c.8. *est in omnibus hominibus.* l. 1. c.9. *est fons juris humanus.* l. 1. c. 9. *non est pars divinitatis* l. 1. c. 10.
Rationis summi apices sunt præsuppositi seu fidei. l.1.c.8.
Rationes legum suppeditant juris principia. l. 1. c.1.

INDEX.

Religio est juris naturæ. l. 3. c. 3.
Religionis defensio est juris gentium. l. 4. c. 8.
Ritualia sunt civilia. l. 5. c. 6.
Rituum ecclesiasticorum finis & usus. l. 5. c. 6.

S.

Sanctitas præcipitur jure naturæ. l. 3. c. 3.
Sanctio juris naturæ ad quos pertineat. l. 3. c. 7.
Sectio debitoris quæ olim usitata. l. 2. c. 4.
Servitus est juris gentium l. 4 c. 11.
Societas est juris naturæ. l. 3. c. 5. interdum juris gentium. l. 4. c. 9.
Sol pro Deo cultus. l. 1. c. 5.
Solennitatum civilium ratio. l. 2. c. 4. l. 5. c. 3.
Spontanea actio quæ. l. 1. c. 13.
Sui agnitio & amor est juris naturæ. l. 3. c. 4.
Summum bonum est finis juris naturæ. l. 3. c. 12.

T.

Testamentorum solennia quid prosint. l. 2. c. 4. l. 5. c. 3.
Theologiæ in jure utilitas. l. 1. c. 1. 2. ejus cum jure cognatio. l. 1. c. 1. 16. l. 2. c. 7.
Theologia exhibet principia juris. l. 1. c. 2.
Theologus quid differat à Iureconsulto in explicatione juris l. 2. c. 7.
Tutela est juris gentium. l. 4. c. 9.

V.

Veritas præcipitur jure naturæ. l. 3. c. 3.
Veritatis defensio est juris gentium. l. 4. c. 8.
Violenta actio quæ. l. 1. c. 13.

Vita

Digitized by Google

Vita in omnibus creaturis. l. 1. c. 5. 12.
de viribus humanis inquirendum iurisconsulto. l. 1. c. 11.
Voluntas divina pro lege. l. 1. c 4.
Voluntatem Dei cognoscimus ratione. l. 1. c. 8.
Voluntas Dei non tollit voluntatem hominis. l. 1. c. 16.
Voluntas hominis in omnibus actionibus humanis est. lib. 1. cap. 13.
Voluntarium quid. l. 1. c. 13.
Vsucapionum ratio. l. 2. c. 4. l. 5. c. 3.
Vsurarum ratio. l. 2. c. 4. l. 5. c. 3.
Vtile, est pars boni. l. 2. c. 3.
Vtile jubetur à jure. l. 2. c. 3.


Z.

Zaleuci pulchrum legum prooemium. l. 1. c. 3.

FINIS.



Digitized by Google



Errata.

Vitia typographica pravæ distinctionis aut mutatarum literarum, quæ benevolus lector nobis tacentibus deprehendere & corrigere poterit, consulto præterimus, & cujusq; candori emendanda relinquimus, ea tantum quæ autoris mentem in dubium vocare & scripturæ sensum obscurare poterant, pro ut in transcursu observavimus, indicaturi.

Cap. 3. & 4. lib. I. proœmium aliquoties scriptum pro procœmium. pag. 73. v. 10. lege humanis. p. 104 v. 28. l. pe-tat. p. 200. v. 23. l. quid. p. 241. v. 22. l. erunt. p. 307. v. 8. l. constat. p. 310. v. 23. l. defœcato. & v. 25 recte. p. 314. v. antep. l. acquireret. p. 315. v. 25. pro agere, malim, cogere. p. 354. v. penult. pro ad l. at. p. 383. v. pen. l. ingeniti. p. 466. v. ult. l. habet.



LIPSIÆ

LAURENTIUS COBER imprimebat.

ANNO CHRISTI

1615.



Digitized by Google

FIN.

Digitized by Google

Digitized by Google

A. PANDIMIGLIO
RESTAURO
DI
LIBRI - ROMA

Digitized by Google